Jura

<36606661500013

JURA

REGNI

CROATIÆ, DALMATIÆ & SLAVONIÆ.

EDIDIT

JOANNES KUKULJEVIĆ ALITER BASSANI DE SACCHI.

PARS I.

ZAGRABIAE, 1862.

VELOCIBUS TYPIS DRIS. LUDOVICI GAJ.


PRIVILEGIA & LIBERTATES

REGNI

CROATIAE, DALMATIAE & SLAVONIAE.

EDIDIT

JOANNES KUKULJEVIĆ ALITER BASSANI DE SACCHI.



ZAGRABIAE, 1862.

VELOCIBUS TYPIS DRIS. LUDOVICI GAJ.

Index partis I.

Pagina

Pagina

Pagina

Pagina

Pagina

Pagina

Pagina

PERAMATAE

SUAE PATRIAE

ET

NATIONI CROATICAE

HOC OPUS

DEDICAT

GRATUS EDITOR.

Lectori benevolo.

Si turpe est nescire praeterita suae nationis fata, eorumque testem historiam negligere; sane acerbo dolore ac detrimento non vacat, ignorando jura suae patriae esse peregrinum in patria.

Quod ego malum quum aegre ferrem apud animum meum, plures jam ante annos coëpi colligere talia Antiquitatis monumenta, quae generatim obscuram nationis Slavicae ad meridiem degentis historiam illustrarent, speciatim vero fundamentum historicum suppeditarent illis vetustate consecratis juribus, quibus Regnum Croatiae, Dalmatiae & Slavoniae per multas aetates ac secula utitur.

Jam mihi labor utcunque processerat, constitueramque opus in lucem quoque, sed longe tardius, edere, quum ex inopinato sed bonis ominibus promulgatum est caesareum 20 Octobris 1860 diploma, quod nobis antiquissimam Constitutionem, postremis duodecim annis interceptam, quodammodo in vitam revocavit, suopteque nutu pristina hujus Regni jura omnia restituit.

Unde summa nationi nostrae exorta est necessitas, ut tempestive jura haec perfectius cognoscat, eaque adversus dolos et impetus inimicorum tueri valeat.

Quocirca, etsi negotiis diversissimis, publicis et privatis, occupatus essem, tamen nil dubitavi, quorumdam amicorum precibus obtemperare, ut opus, licet non usque quoque perfectum, maxima festinatione absolverem, usibusque peramatae Patriae et nationis Croaticae dedicarem.

Divisi illud exigente indole argumenti in tres partes, ita quidem: ut I. Privilegia & Libertates Regni Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae, II. Articulos et Constitutiones Diaetarum seu Generalium Congregationum Regni Croatiae, Dalmatiae & Slavoniae, III. Constitutiones Comitiorum ad Regnum Croatiae, Dalmatiae & Slavoniae spectantes, atque e corpore Juris Hungarici excerptas Lectori exhibuerim.

Pars prima locupletior est propterea, quod ibi inter privilegia et libertates Regni, talia quoque documenta inserui, quae privilegia et libertates singularium urbium, locorum et nobilium Communitatum in se continent. Nihilominus istuc retuli non alia, quam quae ad scopum et integritatem operis idonea esse, intra breve compilationis tempus comperi.

Altera pars, quae Constitutiones in Regni nostri Congregationibus perlatas exhibet, majore proh dolor! inopia laborat. Causa est, quod in Archivio Regni Croatiae originalia Congregationum acta nulla omnino ante annum 1567. occurrunt, postea vero plura ad novissimam aetatem pertinentia desiderantur. Quare aliquos saltem Constitutionum anno 1567. anteriorum Extractus, in variis Archiviis repertos, communicare potui.

Majores nostri, quod magnopere dolendum est, parum laborabant de eo, ut domesticae idmodi Constitutiones ad familiarem nationis notitiam devenirent. Satis id esse ducebant, sicubi in manuscriptis delitescerent, eas in unum collectas, typis vulgare, nulli in mentem venit. Itaque non curae et sollicitudini illorum, verum fortunae ac propemodum casui, in acceptis referendum est, quod quidem Constitutiones nostras de a. 1492. item 1538. in Corpore Juris Hungarici impressas, Articulos vero Congregationum Regni de a. 1609. usque 1653., item de a. 1643. usque 1681., in opere Joannis Szegedy Jesuitae, inscripto: „Tripartitum Juris Hungarici tyrocinium“ typis evulgata habemus.

Quod ad plurimas eiusmodi Constitutiones attinet, praecipue post annum 1567. perlatas, talem studioso adhibui selectum, ut eas potissimum collectioni huic inferrem, quae a Regibus nostris speciatim ratihabitae, normis pro hoc Regno fundamentalibus accensentur, contra omitterem, exceptis paucis, illa permulta Congregationum Regni conclusa, quae regia sanctione destituta, non tam legum, quam statutorum municipalium, intra fines Regni hujus obligantium, naturam redolent.

Demum in tertia parte adduxi illa Decreta regia, atque Comitiorum Hungariae nobiscum communium scita, quae statum et rationes Regni nostri proprius

attingunt. In his fas est videre, quanto studio et conscientia communes legislatores nostri, usque aetatem Mariae Theresiae, Regnum Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae a Regno Hungariae partibusque ei annexis distinxerint.

Fontes ac tabularia, unde documenta accepi, in fine cujuslibet documenti commemoravi. Modum scribendi, quem seu in originalibus, seu in transsumptis copiis inveni, ubique fideliter reservavi.

Quodsi opus hocce suis defectibus urgetur, hos potissimum festinationi, item brevitati ac turbatae hodierni temporis condicioni, lectores tribuant velim. Si plus otii habuissem, fortasse plenius perfectiusque opus in lucem prodivisset.

Agnosco lubenter, amicum D. Professorem Mathiam Mesić in corrigendis naevis typographicis utilem mihi ac simul fastidii plenam operam commodavisse, hocve suo adjumento ocyorem editionem operis multum promovisse. Quo nomine gratum eidem animum profiteor.

Utere his Lector benevole! ad quantulumcunque rei literariae lucrum et carae Patriae Croaticae emolumentum.

Zagrabiae die 10. mensis Martii 1861.

PARS PRIMA.

PRIVILEGIA ET LIBERTATES

REGNI

CROATIÆ, DALMATIÆ & SLAVONIÆ.

I.

A. 837. 4. Martii. Byacii, prope Salonam.

Terpimirus Dux Croatorum affirmat Ecclesiam Salonitanam Metropolim fuisse usque ripam Danubii et pene per totum Regnum Croatorum.

In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Regnante in Italia piissimo Lothario Francorum Rege per Indictionem XV sub die IV Nonis Martii. Dum mundi ab origine cuncta per tempora facta mansisse, dellabisseque succedentibus alia alternis (altissimi Lucius et Farl.) simet oculis perspicimus mentis et manus fidei palpamus, nihil corporeis membris videre, audire aliud valemus, nisi ea, que presentantur & scripturarum auditio obtutibus pandit. Vnde ego licet peccator Tirpimirus Dux Croatorum, iuuatus munere diuino, incertus de die novissimo, et hora, qua nesciat homo, solicitus nimis anime mee, commune consilium meis cum omnibus Zuppanis construxi monasterium, ibique cateruas fratrum adhibui, quorum sedulis votis, & frequens oratio nos immunes redderet Deo peccatis, in hanc adjecit mens nostra, ejusdem monasterii ecclesie aliquid in utensilibus preparare. Cum autem non sufficeret in argento ipsa vasa perficiendum, accomodavit nobis Petrus Salonitane ecclesie archiepiscopus, et dilectus compater XI Libras argenteas: hac de re ei duximus hilari animo dare quidvis, et non denegamus charitati vestre, quibus ipse respondit: volo Domine et compater ut primum, quidquid proprio emi pretio, vel quod donatum est in immobilibus et mobilibus in sancta matre ecclesia, id est in Lasani et Tugari (Turgari Luc. et Farlati) cum servis et ancillis Stepus, Sagoleo, Chortino presentia Claritatis vestre per paginulam privilegialem sancte Salonitane ecclesie dicte mancipata in eternum permaneant, ac deinde, ut in fatam matrem ecclesiam, que est metropolis usque ripam Danubii, et pene per totum Regnum Chroatorum (Farl. Croatie) & pro remedio anime uestre, parentum uel fidelium uestrorum, et per commodatum argentum detis ecclesie b. Georgii, in loco qui dicitur Putalio, omnia que obtinet possessionum, servos quidem et ancillas, que Mislavo Duce ipsam ecclesie cum dedicata videtur, et ab ipso supradicto Duce donis ditatam, simili modo & Privilegii censura, hec quidem donatio a Vobis firmiter enixe deposcimus taliter (Luc. et Farl.

talibus) et suggestioni placiti data ad sensum spopondimus, et jure mansuris rebus priuilegium fieri, presentem nostram deliberationem, precepimus, videlicet ita duntaxat ut empta pretio infra terminis nostris, in locis memoratis, sempiterna donatione possideat dicta jam sancta ecclesia a nemine infestante. Tandem vero prefatam ecclesiam de regali territorio ab orientali et occidentali parte, a rupe montis, usque ad mare, ab utroque latere terminos cum lapideis, et ferro signatos, infra quos terminos nullius adjacet territorium, nos diligenter condonamus, et hoc in augmento sancte Salonitane ecclesie, proferentes firmamus, et ut singulis annis de omnibus nascentibus (Luc. et Farl. omni nascentia) terre ex curte nostra, que Clusan dicitur, decime inferantur in memoratam ecclesiam, quas decimas antecessor noster Mislavus (Luc. et Farl. Mislavo) dare cepit; si quis vero de superscriptis, quidquid Deo inspirante, amore sanctorum inflammati devoto pectore obtulimus, concessimus, & imposterum inconvulsa firmata manere (Luc. et Farl. valere) censuimus, in cenobium sanctorum martyrum Domnii et Anastasii, Cosme et Damiani; et si quis diripere, vel subtrahere, aut per vim opponere tentaverit, iram Domini Salvatoris, et sanctorum omnium maledictionem, quidem CCC patrum et octodenos vinculo insolubili anathemate Maranatha denodetur, dividetur et evellatur divino judicio a cognatione et patria, uxore et filiis, qui separare donationem nostram temerarie a sancta matre ecclesia jam factam presumpserit, fovetur itaque hic litigantibus cum eo vicariis sanctis religiosorum subsistentium, Principum gratia tam nefandum (Luc. et Farl. nefandi) faciens quisquis ille defunctorum oblivioni dans, et lumen animarum eorum octinguens (hanc constr. omiserunt Luc. et Farl.), et in novissimo die magni examinis, cum diabolo, et ejus tetris angelis, & Juda Iscariote, Christi proditore in gehenna barathri muneretur (Farl. numeretur), ubi ignis nunquam extinguitur, et vermes impiorum non moriuntur.

Actum in loco qui dicitur Byaci, tempore nuper fato, et testium notitia, presentia, communi voto, & voluntate corroboratum (Luc. et Farl. corroboratorum).

Signum manu, meque ipso Tirpimiro Duce, hujus rei concessore et auctore.

Signum manu Comicino Zuppano Testis.
„ „ Pretilia „ „
„ „ Nemustlo „ „
„ „ Zarsata „ „
„ „ Lodovico „ „
„ „ Ozanulo cum fratre.
„ „ Negutia Camerario testis.
„ „ Zullo (Luc. et Farl. Zupp.) testis.
„ „ Potecano testis.
„ „ Zutimuslo (Luc. et Farl. Zatimustlo) testis.
„ „ Damay testis.
„ „ Dominico Presbytero Capellano testis.
„ „ Cipriano Presbytero Capellano testis.

Ego Martinus presbyter capellanus preceptione domini mei Ducis memorati, rogatus scripsi, & manu propria opus compleui, signum manu feci.

Hec sunt nomina servorum de Masaro, pertinentes eos, in sancta matre ecclesia b. Domnii, scitote numerum eorum, sunt in primis: Carento, Postellio, Nassezai, Domaciai, Ylena, Trubula (Luc. et Farl. Trubasa), istis cum suis feminis.

Ceteri vero septem, quorum nomina sunt: Liutamiro, Strehemilo, Nedamuslo, Tesina, Luteciai, Ceustilo (Luc. et Farl. Ceustizo).

Ego Bonacursius q. Primi Parentis de Florentia Imperiali auctoritate notarius et nunc Communis Spalatensis Juratus, hoc exemplum sumptum ab autentico montano coram Reverendissimo in Christo Patre et DD. Dominico Dei et apostolice Sedis gratia dignissimo Archiepiscopo Spalatensi, una cum infrascriptis Benedicto Joannis, Stephano Desiderati et Lucano Primicerio, Notariis, diligenter et fideliter auscultavi, et quia utrumque concordare inveni, ut eidem exemplo adhibeatur de cetero plena fides de dicti D. Archiepiscopi licentia et mandato me in testem subscripsi, meoque consueto signo signaui et roboraui.

Ego Benedictus Joannis Imperiali auctoritate notarius hoc exemplum sumptum ab autentico montano coram R^{mo} in Christo Patre et DD. Dominico Dei et apostolice Sedis gratia dignissimo Archiepiscopo Spalatensi una cum suprascripto Bonacursio et infrascriptis Stephano Desiderato et Lucano Primicerio Notariis diligenter et fideliter auscultaui et quia utrumque concordare inueni, ut eidem exemplo adhibeatur de cetero plena fides de dicti D. Archiepiscopi licentia et mandato me in testem subscripsi, meoque consueto signo signaui et roboraui.

Ego Stephanus filius quondam Desiderati de Franchino de Teruisio publ. Imp. auctoritate notarius et nunc egregii viri D. Jacobi Gradensis Comitis honorabilis Spalatensis hoc exemplum suprascriptum ab autentico montano predicto coram R^{mo} in Christo Patre et DD. Dominico Archiepiscopo dignissimo Spalatensi una cum supradicto Bonacursio et Benedicto notariis et infrascripto Lucano Primicerio notario, diligenter et fideliter auscultaui et quia utrumque concordare inueni ut eidem exemplo adhibeatur de cetero plena fides de dicti Archiepiscopi licentia et mandato me in testem subscripsi, meoque consueto signo signaui et roboraui.

Ego Lucanus Bertani Ecclesie Spalatensis Primicerius Imp. auctoritate Notarius et R^{mi} in Christo Patris et DD. Dominici Dei et apostolice Sedis gratia Archiepiscopi Spalatensis hoc presens exemplum per me dictum Notarium scriptum, ut in dicto principali montaneo inueni, ita hic fideliter et per ordinem transscripsi et exemplaui, nil addens, vel minuens fraudulenter, quod sensum mutet, uel uariat intellectum, preter forte punctum, litteram aut syllabam per errorem, et una cum predictis Bonacursio, Benedicto et Stephano Notariis, coram predicto D. Archiepiscopo, et presentibus venerando in Christo Patre fratre Luca Dei gratia Episcopo Farensi, fratre Matheo ordinis S. Benedicti Abbate Monasterij S. Stephani Spalatensis Dioecesis, et Dessa Archidiacono Spalatensi testibus, fideliter et diligenter auscultaui, et quia concordare inueni cum ipso principali, de mandato et auctoritate ipsius D. Archiepiscopi in publicam formam redegi, signoque meo consueto signaui et ad maius robur omnium predictorum supradictorum DD. Archiepiscopus et Episcopus suorum sigillorum et abbas sigillo sui conuentus et Archidiaconus dictus sigilli sui Capituli iusserunt appensione communiri hoc presens exemplum, sub anno Dni. M.CCCXXXIII. Indictione prima, die penultimo mensis May. Pontificatus S^{mi} Patris et DD. Joannis Papae XXII. anno XVII. et tempore supradicti D. Archiepiscopi Spalatensis.

Locus sigillorum pendentium.

(Signum Notarii: *I. M. N.*) Ego Joannes Mazzarellus Notarius publicus Curiaeque archiepiscopalis Spalatensis Cancellarius, antescriptum exemplum aliena manu ex^tum auscultaui et concordare inuentum in fidem subscripsi, mei Tabellionatus signo apposito et ad majus robur Curie sigillo muniui.

Ex libro MSC.: „Donationes Principum Ecclesiae Spalatensis" in Archivio Episcopatus Spalatensis asservato. p. 1. Habent quoque Lucius de Regno Dalm. et Croat. Historia. Francofurti. 1666. p. 61. Vind. 1758 p. 60. et Farlati: Illyricum Sacrum T. III. p. 51. sed sat erronee.

II.

Anno 892. die 28. Septembris. Biacii, prope Salonam.

Mučimir Croatorum dux haereditarius confirmat donationem Terpimiri ducis, factam Ecclesiae Salonitanae, communi consilio cunctorum fidelium et Primatum populi.

In Nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Anno utique, sacram postquam Christus carnem ex virgine sumpsit, DCCCXCII Indictione XI sub die 4. Kalendas Octobrium. Cum magne inter Salonitanum et Nonensem presulibus, uerterentur de quadam facta donatione, a Tirpimiro piissimo Duce in juris sancte matris ecclesie Domnii & Anastasii beatorum Martyrum, quandam mancipando ecclesiam sancti Georgii, que sita est in Petalio, uidentur contentiones; dicente Petro Spalatensium Archiepiscopo: hanc quam dicitis ecclesiam donatam a prefato duce, & priuilegii statuto roboratam, in nostre juris ecclesie sub testimoniorum (Luc. et Farl. testimonium) notitia mancipatum habemus; respondens Aldefreda Nonensis ecclesie presul, dicebat: non ita habetur, sed nostre potius ecclesie dominio detinetur, quoniam non in ecclesia sanctorum Domnii & Anasthasii, ut dicitis, possidenda, sed ipsius presuli fruenda ad tempus tradita est; his ita habentibus comperto, placuit mibi Muncimir diuino munere iuvatus Croatorum Dux, residente Paterno solis, diuino spiramine, communi consilio cum meis cunctis fidelibus, et primatibus populi (Luc. et Farl Primat. Populis) omni opposita (Luc. et Farl. composita) et pretermissa contentione, dictam iam sancti Georgii ecclesiam in sanctorum martyrum Domnii et Anasthasii, cum omni suo introitu et exitu subiugare privilegio, cum servis et ancillis, campis et uineis, pratis et silvis, cuncta mobilia et immobilia omnia, quam ecclesiam teste & auctore Deo, uolo, ut nullus deinceps de successoribus meis, de potestate Spalatensium ecclesie subtrahere audeat, vel quomodolibet (Luc. et Farl. in quolibet) diripere, sed juxta priscam (Farlati pristinam) consuetudinem, ut donatam a Patre meo recolimus, et mox per presens priuilegium denuo mancipamus, ut omnino subjaceat dicte ecclesie jure; qui uero postmodum auaritie facibus accensus, atque in superbie cornibus elevatus, statuta nostra parvi pendens, nuper factam ecclesiam a dominio sanctorum martyrum

Domnii atque Anasthasii subtrahere uoluerit, uel quolibet modulo donationem dictam nocere temptauerit (Luc. et Farl. tentaverit) iram omnipotentis Dei Coelorum arbitri salvatoris mundi incurrat, et sanctorum omnium maledictionis uinculo CCCXVIII Patrum insolubiliter denodetur, descendantque super eum et domo sua, sibique consentientibus, decem quas in Egypto habite sunt plage, et lepra Naaman Syri ab iis nunquam recedat, deglutiat eos terra sicut Datan et Abiron, et in novissimo Maranatha litigantibus cum iis sanctorum constantia cum diabolo et ejus horribilibus Angelis, et Juda Iscariote in gehenne barathro munerentur, ubi ignis non extinguitur, et vermes non moriuntur. Actum est in Biaci, ante fores Ecclesie sancte Marthe Martyris (Luc. et Farl. Martyre) tempore & dimidium, nuper ut fuimus (Farl. fumus). Hoc palam testibus consentientibus, atque subscribentibus, dein ne aboleatur imposterum annulo nostro jussimus in calce signari.

Signum manu mei, qui sum, Muncimiro auctore hujus donationis cartule.

Signum mei Budimiro Jupano Palatino.
" " Zellivero Jupano Cleonie.
" " Petro Jupano.
" " Prisna Maccechario Jupano (Lucius et Farl. Prusna mavechario Jupano).
" " Pruadra Jupano Cavallario.
" " Zelisto (Luc. et Farl. Zellisbo) Jupano Camerario.
" " Zellidedo Jupano Pincernario.
" " Boledrago (Farl. Beledrago) Jupano Camerario.
" " Budimiro (Farl. Budumiro) Jupano Comitisse.
" " Cresamustlo Camerario secundo.
" " Stephani filii Budimiri Camerario tertio.
" " Zellidrago Maccechario Comitisse.
" " Prubitecho filio Petri Jupani.
" " Dragasai filii Semicasui (Farl. Drugazai filio Semicarini).
" " Tugina Jupano Armigeri.
" " Zitallo Superposito Monasteriis.
" " Leledrago Jupano Clisse.
" " Paualio Linicena (Luc. et Farl. Pacialio Limiresia.)

Sequenti autem die, que est tertio Calendis Octobris, veniens ego sepe fatus Dux in civitate Spalati ante sanctissimorum dictorum Altaria, & privilegii paginulam manu propria inter cetera munuscula, que manus nostre invenire uoluerunt, super sacrosancti Domnii Altario obieci, et donatione predicta mancipata sancti Domnii abii.

Ego Firminus (Farl. Forminus) diaconus & capellanus dicti Ducis, precipiente mihi Domino meo Muncimiro glorioso Duce, coram dictis testibus audita scripsi, & post tradita feliciter compleui.

Nota transsumptoris in capite Privilegii:

„Exemplum sumptum ex authentico in membrana cum duobus sigillis pendentibus, apparentibus tamen signis aliorum duorum sigillorum, resistente in Archivio Archiepiscopali Spalatensi.“ Cujus tenor sequitur etc.

Nota ejusdem in margine:

„Hoc exemplum est sumptum siue transcriptum ex quodam montaneo antiquissimo, in quo sunt quam plura Privilegia Papalia et Regalia antiquitus scripta, aliaque iura ecclesie et Archiepiscopatus Spalatensis, per me Lucanum Primicerium Spalatensem auctoritate Imperiali Notarium et nunc Juratum notarium R^{mi} in Christo Patris et DD. Dominici Dei et apostolice Sedis gratia Archiepiscopi Spalatensis, de mandato et auctoritate ipsius D. Archiepiscopi, lectumque et insinuatum fuit de uerbo ad uerbum in presentia ipsius D. Archiepiscopi per me Notarium supradictum et auscultatum diligenter per infrascriptos Notarios in presentia testium subscriptorum, cum ipso principali scripto, et cum dictus D. Archiepiscopus cognouit cum ipso principali concordare, ut adhibeatur in posterum huic exemplo plena fides, suam auctoritatem interposuit et decretum, cuius quidem series montanei per omnia talis est."

Sequuntur notae Bonacursi, Benedicti, Stephani et Lucani, uti in precedenti privilegio Terpimiri Ducis.

Ex libro MSC.: „Donationes Ecclesiae Spalatensis" in Archivio Episcopatus Spalatensis asservato p. 6. Habent quoque Lucius de Regno Dalm. & Croat. Francof. 1666. p. 65. Vind. p. 64. & Farlati Illyr. Sacrum T. III. p. 82.

III.

Anno 914. Spalati.

Decreta Croatorum et Serborum in concilio eorum Spalatensi, praesidente Tamislavo, Rege Croatorum et Dalmatiarum sancita, agente potissimum Legato romano cum praesulibus latino-dalmaticis.

Tempore Joannis Papae Sanctissimi, consulatum peragente in Provincia Chroatorum & Dalmatiarum finibus Tamislao Rege et Michaele in suis finibus praesidente Duce, Reverendissimo igitur Joanne Romanae Ecclesie praesidente Cathedra, dictus Chroatorum Rex & Michael cum suis Proceribus, simulque Episcopis Dalmatiarum; item Joannes Archiepiscopus p. Spalato, Forminus, Gregorius caeterique Episcopi, consulenter proposuerunt D. Venerabilem Papam, ut ad eos destinare dignaretur Episcopos suos et Monitorium Christianae Religionis dogma continentem. Quorum postulationibus saepefatus Pontifex assensum prebens, venerabilem Joannem Episcopum Anconitanae Ecclesiae, Leonem vero Pelestrinensem Episcopum cum suis Epistolis melliflue ructantibus eloquia destinavit; ut cum praefatas personas (praefatis personis) judicibus et Episcoporum (is) synodaliter congregati (s) et perpera estirpare & Deo placita canonice sancire deberent.

Quique pervenientes dicti Episcopi, Dalmatiarum peragrantes Civitates et Chroatorum atque Serborum proceribus convenientes, congregatis in Spalato Episcopis & Judicibus, celeberrimum Concilium peregere. Ubi divino juvamine freti haec quae sequuntur Capitula observare censuere.

I. Quoniam antiquitus B. Domnius ab Apostolo Petro praedicare Salonam missus est, constituitque, ut ipsa Ecclesia et civitas, ubi sancta ejus membra requiescant, inter omnes Ecclesias Provinciae hujus Primatis habeat et Metropolis nomen, super omnes Episcopos legitime sortiatur; ita duntaxat ut ad ejus jussionem Episcopi, qui per divinam gratiam cathedram ipsam retinuerit, et Synodus celebretur, & consecratio Episcoporum, quia dicente Domino: ubi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae.

II. Ut in cunctis Ecclesiis, in quibus supra recolitur Episcopus habitasse, nunc autem Clero, ordine et populis sufficiens adest infra Dioeceseos limites, Episcopus habeatur; quia juxta decretum Patrum non licet in modicis civitatibus, vel villis Episcopos statuere, ne nomen Episcopi vilescat, et ut Episcopus vacans vacantem Dioecesim cum Consilio Metropolitani, et caeterorum Episcoporum coe. accipiat.

III. Quoniam minime terminis a Patribus statutis transferri debent, unusquisque Episcopus descriptos sibi terminos possideat, et alienam dioecesim nullatenus invadat; jure proprio servato in regnandis, consecrandis Ecclesiis, vel Sacerdotibus promovendis, atque a suo Episcopo Chrisma accipiendum.

IV. Ut possessiones Ecclesiarum, quae pro peccatis conditorum oblatae sunt ad honorem sanctorum, saecularibus minime mancipentur; quia res Deo semel dedicata humano dominio subdi non debet.

V. Ut si qua Ecclesia vel possessio per privilegium a fidelibus sub anathemate in principali Ecclesia S. Petri apostoli subditae sunt, minime substantur (subtrahantur) quatenus et offerentibus et res ipsa tuentibus Christi Clavigeri Petri tueantur suffragiis.

VI. Ut si divino judicio in tumultu plebis Princeps provinciae occidatur, quia quod a multis committitur inultum manet, vel pro ipso reatu qui(s) cognoscunt, obnoxii debent esse pro ipsa anima eleemosynas facere, et si quam Ecclesiam dedicavit, vel libertos fecit, defendere, uxorem aut filios fovere benigne.

VII. Ut si quis malignus diaboli spiritu affato (afflatus) singulari consilio, sicut Judas, Dominum suum occiderit, lapide e collo suspenso, ferro corpore praecinctus, exul poeniteat.

VIII. De Episcopis Ragusitano & Catharitano, quorum manifeste una sedes dignoscitur, ipsam Dioecesim aequa lance inter se dividant, ita ut si unus dictae Ecclesiae Pastor obierit, donec ordinetur Episcopus, residens Episcopus ipsius Ecclesiae Ecclesiasticam curam gerat.

IX. De Licinio Episcopo, ut in Ecclesia, in qua ordinatus est, contentus permaneat; et nullus deinceps in ea Episcoporum, vel Presbyterorum Missam celebret, donec proprius Episcopus eam consecret canonice. Si quis postmodum

praesumptor in ea contra premissa fecerit, a nostro collegio excludatur. Quod si dictus Licinius nec legaliter in sua Ecclesia persliterit haeres; sed eventatus, ut extraneus accedens, et in sua mallet prima adhaerere Ecclesia, ut Presbyter permaneat.

X. Ut nullus Episcopus nostrae provinciae audeat in quolibet gradu Slavinicam linguam promovere; tamen in clericatu & monachatu Deo deservire. Nec in sua Ecclesia sinat eum missas facere, praeter si necessitatem Sacerdotum haberet, per supplicationem a Romano Pontifice licentiam ei sacerdotalis ministerii tribuat.

XI. Ut Episcopus Chroatorum (Nonensis), sicut nos omnes, nostrae Ecclesiae Metropolitanae subesse se sciat.

XII. Quod si Rex & Proceres Chroatorum omnes dioeceseos Episcoporum infra limites nostrae Metropolitanae suo cupiunt vindicare Pontifici, (h. e. Episcopo Nonensi), nullus ex nostris per omniam provinciam eorum neque regenerationes faciat, neque Ecclesias vel Presbyteros consecret, tum in suis sedibus commorantibus pro mie opus (sic). Quisquis ad nos accesserit, consecrari, regenerari, Chrisma sibi dari poposcerit, absque scrupulo omni per totam provinciam ipsa tribuant. De caetero autem cum suo Pontifice Deo reddant rationem de his omnibus, quae in eis Christianae Religionis dogma defuerit, nostra coram Deo conscientia est absoluta.

XIII. Ut in Ecclesia, ubi Presbyter occisus est, ante satisfactionem ipsius vel plebis, ut congruum ipsi Episcopo videtur, nullus missam faciat; et ut a Presbyteris res Ecclesiae non destruantur; neque semel suscepta Ecclesia sine causa relinquatur. Quod si aliter fecerit, donec perdita restituat, et Ecclesia propria accipiat, excommunicetur.

XIV. Ut uxores proprie deinceps non dimittantur, nisi propter fornicationem; quod si quis dimiserit, sic permaneat; et ut haeredes suos, servos suos litterate studiis (latinis) tradant. Quicumque Christianitatem perfectam habere cupiunt, ut illi eos instanter corripiant, et ipsi eos libenter exaudiant, non ut peregrinos, sed ut proprios.

XV. Quod si sacerdos incontinenter propter ipsam continentiam primam, quam sortitus est, separatus a consortio cella, teneat uxorem, si vero aliam duxerit, excommunicetur.

Haec ita habita deliberatione, quae supra scripta continentur, cuncta per ordinem sancta Synodus Romano Pontifici confirmanda per dictos suos Legatos Episcopos, et Petrum Presbyterum Spalatensem insertis litteris nuntiare decrevit: quatenus divinitus antiquae Religionis dogma in Ecclesiis Dalmatiarum arbitrio summi Pontificis universa praelibata sortirentur. Sed cum terminare cuncta legitime antiquo more praestolaremur ...... fuit fratris nostri Episcopi Nonensis (una et Croatorum slavici ritus) qui sibi vindicare cupiens primatum Dalmatiarum Episcoporum, hoc, quod non expediebat, contra dictam Synodum in auribus apostolicis injustum injecit certamen. Quam ob rem diversa, et nuntiis recitantibus de his praesentibus, et litteris patentibus non aequalia, ambiguitas Ro-

manae Ecclesiae facta, non definita ad nos et finienda adhuc, Epistola a Reverendissimo Papa Joanne per Legatum nostrum remissa est, cujus vero Epistolae tenor hic est. etc.

Farlati Illyricum Sacrum T. III. p. 92. et 96.

IV.

Circa annum 925—959.

Comitatus et termini Regni Croatiae, saeculo X.

Divisa autem est eorum (Chrovatorum) regio in zupanias undecim, quarum nomina: Chlebiana (Hlevno seu Hlivno), Tzentzena (Cetina), Emota (Imota), Pleba (Pleva in Bosnia), Pesenta (Vezenta in Bosnia), Parathalassia (maritima, Primorje), Brebera (Bribir), Nona, Tnena (Tininium, Knin), Sidraga, (in Dioecesi Scardonensi), Nina. Ipsorumque Banus tenet Cribasam (Corbavia, Kerbava), Litzam (Lica) et Gutzekam (Gačka seu Gadska), et quidem praedicta Chrovatia cum reliquis Sclavinis ita sita est. Dioclea porro propinqua est Dyrrachii oppidis Elisso, Helcynio et Antivari, extenditurque Decatera (Cattaro) usque; montana autem Serviae finitima sunt. A Decateris vero incipit Terbuniae principatus, porrigitque se Rausium (Ragusium) usque, at versus montana Serviae adiacet. A Rausio Zachlumorum principatus initium habet, et protenditur ad Orontium flumen usque; oraque maritima Paganis, montana, quae ad septemtrionem, Chrovatis, quae in fronte, Serviae contermina est. Ab Orontio flumine Pagania (non baptisata Croatia) incipit et porrigitur usque ad Zentinam flumen, et zupanias tres habet, Rastotzam (?), Mocrum (Makarska) ac Dalen (Delminium, Duvno), et quidem duae zupaniae, Rastotza ac Mocrum, ad mare sitae sunt et sagenas habent, Daleni vero zupania procul mari sita est, et eius incolae ex agricultura vivunt. Habent quoque Pagani in propinquo insulas quatuor. Meletam, Curcuram (Corcyra, Corzula), Bartzum (Bracchia, Brazzo, Brač) et Pharum (Lesina, Hvar) omnes pulcherrimas fertilissimasque; oppida item deserta et paludes multas in quibus habitant et iumenta alunt, unde victum parant. A Zentina autem fluvio Chrovatia (baptisata) incipit, extenditurque versus mare ad Istriae usque confinia, sive Albunum (Albona) urbem; versus montana aliquatenus etiam supra Istriae thema excurrit, ac versus Tzentzena et Chlebena (županias) Serviae regionem attingit.

Imperator Constantinus Porphyrogenitus. De administrando Imperio. Cap. 30.

V.

Anno 927—928. Spalati.

Decreta Synodi Spalatensis, praesidente Rege Croatorum Tamislao sancita, in quibus inter caetera antiqua Statuta et consuetudines Regni Croatiae confirmantur.

.... unde frequenter eadem poscentibus nobis definitionem recipere, hac de causa terminando injunctam sibi operis Bulgariam petentes Romanorum Legati Madalbertus venerabilis Episcopus & Joannes Dux illustris Dux Cumas (Ducis Crumi?) quae sequuntur Epistolae, ad nos post biennium devenerunt. Pervenientes igitur praefati Legati ad confinia nostra, et sicut illis opus injunctum Apostolica jussione fuit, Bulgariam perrexerunt; quique peracto negotio pacis inter Bulgaros et Croatos repetito, iter ad nos Venerabilis Madalbertus Episcopus in Ecclesia Spalatensi adveniens, synodaliter nos Episcopos Joannem, Forminum, Gregorium cum Croatorum principe et ejus proceribus congregavit; cum quibus residens, cunctas provinciae antiquae consvetudines, justo moderamine perseverans, firmavit, omnia secundum veterum statuta in omnibus Ecclesiis Episcoporum privilegia redintegrari. Ita dumtaxat:

Ut Ecclesia Sancti Domnii, sicut ab initio primatum obtineat, et intra limites dioecesis suae cuncta canonice peragat. Similiter unaquaeque Ecclesia, vel civitas, quae Pontificali munere constipata consistit, simul sedem cum praefinitis terminis Dioecesi suae a Patribus institutis regulariter abutatur; tam Jadertina Ecclesia quam ceterae Ecclesiae Dalmatiarum: Arbensis, Veclensis, Absarensis, quae sunt in occidentali parte positae, Ecclesiae vero aliae, quae in oriente habentur, id est Stagnensis, Ragusiana et Catharitana eamdem plenitudinem (cum) sedibus & terminis suis in omnibus catholicae fidei dogma adsequuntur. Nonensis vero Ecclesia non Episcopum antiquitus, sed Archipresbiterum sub ditione Episcopi habuisse cognoscitur. Constat legitime ut ipse Episcopus in qualibet Ecclesia ex his Ecclesiis, quas primis temporibus habuisse Episcopos omnibus patet; cum sint utrinque omnes populatae, et Deo adjuvante Sacerdotum et plebium copiam habentes, proponatur sive in Scardonitana Ecclesia, vel Sisciana, aut certe in Delminensi Ecclesia. Quod si immensum pontificii subire delectat, et unam sibi dioecesium sufficere non vult, harum trium magnitudinem Dioecesei ponderis ad interitum suum et eorum suscipiat; dum neque plebs perfecte ab eo pontificali munere percipere valeat gratiam juxta Sanctorum Patrum statuta, neque ipse adimplere suum in eis officium valeat, cum sit propter multa terrarum spatia difficile peragrari. His ita secundum apostolicam jussionem Madalbertus venerabilis Episcopus perscrutatus omnia & comperta veraciter, feliciter sancivit; ita ut nullus unquam hujus ordinationis violator existat, cum cuncta quae praelibata per dictum

apocrisarium Romano Pontifici fuerint praesentata et ab eo divina auctoritate & Sancti Petri per suas litteras, & palii missione confirmata.

Farlati Illyricum Sacrum T. III. p. 103. Ex libro MSC.: Historia Salonitana major, in Archivio Capituli Spalatensis illo tempore asservato.

VI.

Anno 928.

Leo VI. Pontifex Romanus, Jadrensem, Nonensem, Scardonensem, Absarensem, Arbensem, Spalatensem et Ragusanum Episcopatum in Croatorum terra fuisse attestatur.

Leo Episcopus Servus Servorum Dei Formino sanctae Jadaratensis Ecclesiae Episcopo, & Gregorio sanctae Nonensis Ecclesiae Episcopo, omnibusque Episcopis per Dalmatiam commorantibus dilectis filiis & fidelibus nostris.

Quia gratuita Dei omnipotentis misericordia vos in Episcopali Infula constituit, dignum est ut vestro Metropolitano sanctae Spalatensis Ecclesiae Archiepiscopo summam reverentiam exhibere delectimini, quatenus per ordinem et normam justitiae gradientes securi et intrepidi, valeatis ad divinam contemplationem pervenire. Nam quid deterius esse cernitur, quam Episcopus proprio Metropolitano inobediens esse, cum scriptum sit in Africano concilio: „Nihil Episcopum praeter conscientiam proprii Metropolitani aliquid agere debere.“ Et si ita est, cum scimus quia ita est, ut nullus Episcopus debeat proprium suum Metropolitam ignorare; cur vos Dalmatiarum Episcopi contemptores et quasi per latrocinium alienas Parochias diripientes, usurpatis vobis profanum nomen, quod ab antiquis Patribus vobis ereptum esse cernitur. Unde monemus vos ut omnes Episcopi in propriis limitibus sint contenti. Torminum namque monemus, ita suam parochiam retinere, quemadmodum in antiquis temporibus mansit, similiter Absarensis Ecclesiae Episcopum & Arbitanum atque Ragusitanum, Spalatensem etiam Archiepiscopum in Croatorum terra volumus ut propriam suam Parochiam retineat, quemadmodum antiquitus Salonitana Ecclesia retinebat. Quia non potest Parochia (terminari aut definiri) infra muros civitatis, sed per longinqua spatia terrarum in plebibus et villis et curis et Ecclesiis et in populo antiquitus determinato. Gregorium vero, qui probitate temporis in Croatarum terra Episcopus effectus est, praecipimus in sola Scardonitana Ecclesia tantummodo ministrare, alienas Parochias ei praecipimus nullo modo amplius usurpare; quia si fecerit, sine dubio a nostro Pontificatu excommunicatus manebit. Pallium vero, et usum pallii Joanni sanctae Spalatensis Ecclesiae Archiepiscopo, sicut antiqua consvetudo

fuit, concessimus. Cui volumus ut tota mente obediatis, eumque ut vestrum Patrem ametis, quia nunc Dei gratia subditos illuxerat, cum suis praepositis curam obedientiae exhibere delectantur. Amen.

Farlati Illyricum Sacrum. T. III. p. 106.

VII.

Anno 1069. Nonae.

Cresimirus, Croatiae et Dalmatiae Rex haereditarius, Regn Congregationem in urbe sua Nona celebrat, et mare adriaticum dalmaticum nominatum fuisse testatur.

† Quoniam diuinitatis eximia celsitudo summos ac minimos non modo pro meritis, uerum etiam dispensatione profunda terrenos largitur honores. A modo inuestigabili eleuat sublimandos, et sublimium superborum colla pessundat, ut ineffabilis iudicis ineffabile quoque iudicium perseueret, et omnipotentis discretio ex inexausto procedens fonte terrena dispenset imperia. Ideo ego cresimirus diuina gratia largiente chroatie atque dalmatie iura gubernans, atque aui mei beate memorie cresimiri regis, patrisque mei regis stephani, in elisio campo feliciter quiescentis habenas regni retinens. Anno dominice incarnacionis Jhesu christi domini nostri M. lx° VIII° Indictione VII. Epacta uero V. concurrente III. In nostro nonensi cenaculo residens, una cum nostris iupanis, comitibus atque banis, capellanis etiam nostre regalis aule, cogitare cepimus qualiter omnipotens deus hereditarii regni nostri concessa gubernacula conseruaret, et animabus meorum predecessorum requiem eternam donaret. Inueni nichil in operibus mei memorie dignius nichilque deo acceptabilius, quam ex nostra terrestri aula supernorum ciuium atque sanctorum sacrata habitacula possessionibus, muneribusque ditare condignis. Igitur, quia deus omnipotens terra marique nostrum prolongavit regnum, decreuimus et perprompto animo stabiliuimus monasterium sanctissimi G. martiris, cuius uenerabile corpus infra ejusdem ciuitatis menia requiescit, prediis atque possessionibus honorare, simul quia in gestis antecessorum nostrorum regnum (regum) silicet excellentissimorum, in campis et territoriis plurimis predictum monasterium inuenimus priuilegiatum. Nos ergo a predecessoribus nostris in nullo deuiantes, pro remedio anime mee, meorumque omnium defunctorum offerimus hoc et stabili tenore donamus Tibi beatissimo G. (Grisogono) martiri glorioso et per te domino petro tue sancte aule digno abbati, nostram propriam insulam, in nostro dalmatico mari sitam, que uocatur mauni, cui ex orientali parte adiacet insula, que in uulgari sclauonico „ueru“ nuncupatur, ut eam habeat et possideat in eternum, absque cuiusque mortalium inquietudine, predictum sanctissimi martiris monasterium; nam sic bona nostra decrevit uoluntas, annuentibus

et supplicantibus uniuersis nostri regni principibus. Ut autem hec nostra donatio in eternum fundetur et stabilitate perpetua perseueret, eam nostra nostrorumque episcoporum attestatione, simulque cum testacione astringimus et inuiolabiliter premunimus; statuentes, ut quicunque mortalium immemor diuini examinis et eruer nostre regie dignitatis uoluerit unquam ausu temerario de predicta insula a nobis regaliter concessa monasterium sanctissimi G. inquietare. simulque nostra iura confundere, incurrat iram super iram futuri iudicii et sit reus in conspectu extremi examinis cum herode, iuda et simone mago, porcionem in eternum habiturus, et antichristi consortium possessurus ab omnipotente deo, suisque apostolis et a cunctorum sanctorum cetu et beatissimo G. (Gris) maledictionem accipiat sempiternam et nostre regali curie quibuscunque successoribus meis regibus, Jupanis, comitibus, siue banis, componat libras auri C. et in nostro regno perpetuo sit infamis. † Ego cresimir rex cru. (sic) atque dal. Ego stephanus Jadre episcopus scripsi. et hec sunt nomina testium qui in hoc facto interfuerunt.. admiro nonensis iupanus, testis. Bolesclaus curialis comes, testis. Viachigo iupanus de luca, testis. † Volessa dad, testis. Budec postelnic, berberensis iupanus, testis. Johannes regis capellanus testis. Petrus regalis curie iudex. testis. Studec regalis pincerna, testis. Dominus leo imperialis protospatarius ac tocius dalmacie catipanus, testis. Saluisclauus nonensis iudex, testis. adamus monacus sancti bartholomei abbas, testis. Petrus iupanus de sidraga, testis. Dragomir iupanus de cetina, testis. Andreas belgradensis prior, testis. † Ego anastasius huius cirographi dictator cruatensis (sic) episcopus et aule regie cancellarius iussu et uoluntate predicti domini mei regis scripsi et confirmaui feliciter in civitate nonas. Amen.

(Signum Notarii $\frac{XX}{XV}$.) Anno domini M. CC. XL. VIII. die quinto intrante nouembris, Indictione sexta. Ego petrus papiensis publicus notarius aule imperialis autenticum huius exemplum uidi et legi, nichil addens uel minuens quod sententiam mutet, scripsi et sigillo consueto roboraui.

Originale membr. in Archivio gubernii Dalmatici, Jaderae. Cassetta XVIII.N. 430. Habet quoque Lucius. Lib. II. c. 8. sed sat erronee.

VIII.

Anno 1071. 8. Julii. Belgradi.

Cresimirus, Dalmatinorum et Croatorum Rex, una cum suis principibus, parochias Ecclesiae Arbensis ordinat et inter caetera mentionem župae seu comitatus Lichae et Bužani facit.

Anno ab Incarnatione domini nostri Jesu Christi Millesimo septuagesimo primo, Indictione VIIII, die octauo mensis Julij, tempore domini Alexandri pape

vrbis Rome. Ego Crasimir Rex Dalmatinorum et Croatorum, insimul meis cum principibus, justitiam Arbensis Ecclesie retinentes (sic) et eam in protectionem nostram suscipientes, volumus et perpetuo Jure assencientes firmamus, ut dicta Ecclesia habeat suas parochias, scilicet Juppam, que fuit sub alpibus, a castro latine murula uocitato, sclauonice stenizza, usque ad flumen copriue, et ecclesiam sancti Georgy in Ruina (Luc. et Farl. Vazuna) Clissam suis cum pertinencijs, tamen (Luc. et Farl. tantum) retinentes de jure suo paruas (Luc. et Farl. paucas) villas Pagi, Peçani, Murouulani, Vlasiçi, quas et si pro malo habet nouo dedimus episcopo nonensi, Juppam Liche, Juppam Buççani (Bužani) et Borachi (Luc. et Farl. Bocadri). Et hoc statutum uolumus in perpetuum inviolabile manere, sicut semper a maioribus natu didicimus, dicte iam ecclesie inuiolabile prestitisse. Quicumque autem nostris de successoribus hoc priuilegium contemtare (perturbare) et ei vim referre aliquo molimine attemptauerit, nostro iudicio pellatur e Regno. De inferioribus sancimus componere centum libras auri, Regali curie medietatem, et silicet (Luc. et Farl. sanctae) predicte arbensi ecclesie etiam (Luc. et Farl. aliam) medietatem, ad roborem et vigorem, nostreque cartule donationis assentionisque Justitie mitram, nominis nostri impressis litteris, prelibate donamus ecclesie, et nostri sigilli impressione firmando roboramus. Indictione VIIII. Datum est hoc priuilegium arbensi Ecclesie in castro Belgrado per manum Joannis diaconi et domini Regis notarij, coram comuni curia.

Copia antiqua in mea collectione MSC. Farlati: Illyricum Sacrum T. V. p. 229.

IX.

Anno 1076. Mense Octobri. Salonae.

Demetrius Svinimir, unanimi totius Cleri populique consensu Rex Croatorum Dalmatinorumque electus, in Salonitana Basilica S. Petri coronatur, Pontifici romano regnum suum devovet, Sedique Apostolicae Monasterium Vranae donat.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, anno Dominicae incarnationis millesimo septuagesimo sexto, Indictione decima quarta, mense Octobris. Ego Demetrius, qui et Svinimir nuncupor, Dei gratia Croatiae Dalmatiaeque Dux, a te Domino Gebizo, ex apostolicae sedis legatione, Domini nostri Papae Gregorii potestatem obtinente, in Salonitana Basilica Sancti Petri, synodali et concordi totius Cleri et populi electione, de Croatorum Dalmatinorumque regni regimine, per vexillum, ensem,sceptrum et coronam inuestitus, atque constitutus rex, tibi deuoveo, spondeo, et polliceor, me incommutabiliter complecturum omnia, quae mihi tua reuerenda iniungit Sanctitas, videlicet, in omnibus, et per omnia Apo-

stolicae Sedi fidem obseruem, et quidquid hic in Regno tam Apostolica Sedes, quam sui legati sanxerunt, aut sanxerint, irreuocabiliter custodiam, iustitiam excolam, Ecclesias defendam, primitiae, decimae, omniumque ad Ecclesiam pertinentium procurator existam, vitae Episcoporum, presbiterorum, diaconorum, subdiaconorumque, vt caste et regaliter uiuant, prouideam; pauperes, viduas, atque pupillos protegam, parentelae illicitam copulam destruens, legitimam dotem anulo, sacerdotisque benedictione constituam, & constitutam corrumpi non permittam; hominum venditionem contradicam, atque in omnibus, quae ad rectitudinis statum congruunt, Deo auctore, me aequum exhibeam. Ducentorum quoqe Bizantinorum tributum, meorum omnium consultu Primatum, Sancto Petro, per singulos Annos in resurrectione Domini, de mihi concesso regno persoluendos statuo. Et vt post me regnaturi hoc idem perpetuo seruent, censeo, corroboro, atque sancio. Dono insuper, concedo, atque confirmo apostolicae Sedi, Sancti Gregorii Monasterium, cui Vrana est vocabulum, cum omni suo thesauro, scilicet cum capsa argentea, reliquias sacri corporis eiusdem beati Gregorii continente, cum duabus crucibus, cum calice et patena, cum duabus coronis aureis, gemmis ornatis, cum euangeliorum textu de argento, cumque omnibus suis mobilibus et immobilibus bonis, et Sancti Petri Legatis sit semper ad hospitium, et omnino in potestate eorum. Hoc tamen interposito tenore, vt nulli alii potestati detur, sed omni tempore Sancti Petri sit proprium, et a me, meisque successoribus defensum, atque ab omni homine liberum et securum. Cuiuscunque autem audacia, temerario ausu, praefatum monasterium ex assignato thesauro priuauerit, terribilem illam Judicis vocem, quam diabolus cum suis Angelis auditurus est, audiat. Praeterea cum Deo seruire regnare sit, vice beati Petri et domini nostri Papae Gregorii, atque post se secutorum in Apostolica Sede, me tuis manibus committo et commendo, hanc fidelitatem sacramento stabilio. Ego, inquam, Demetrius qui et Suinimir, Dei gratia et Apostolicae Sedis dono, Rex, ab hac hora, in antea Sancto Petro et Domino meo Papae Gregorio, suisque successoribus canonice intrantibus, ero fidelis; et vt ipse, siue post eum futuri Pontifices, siue Legati eorum, vitam aut membra perdant, aut capiantur, neque in consilio, neque in facto ero, et consilium quod mihi crediderint, ad illorum damnum scienter nulli intimabo. Regnum autem, quod mihi per manum tuam, Domine Gebizo, traditur, fideliter retinebo, et illud, suumque ius apostolicae Sedi, aliquo ingenio, aliquando non subtraham. Dominum meum Papam Gregorium et suos successores atque Legatos, si in meam potestatem venerint, honorifice suscipiam, et honeste tractabo, et remittam, et vndecumque me inuitauerint, prout potero, eis simpliciter seruiem.

Ex Archivio Lateranensi, et ex actis Concilii Dalmatici. — Baronius. Annales Ecclesiastici. T. XI. p. 484

X.

Anno 1076.

Primatus totius Dalmatiae et Croatiae regnante Demetrio Svinimiro Archiepiscopo Spalatensi competit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti unius Trinitatis et trinae Unitatis individuae. Notum sit omnibus tam praesentibus, quam futuris, quod Praestantius Belgradensis Episcopus, gratia divinae et humanae caritatis, Ecclesiam SS. Cosmae et Damiani, quae sita est in acuto vertice cuiusdam monticuli, non longe a supradicta urbe distantis, monasterio S. Joannis Euangelistae perpetualiter habere concessit. Ne autem aliquis succedentium, violentia principum, Regis videlicet, Episcopi aut Prioris ejusdem ciuitatis, temeraria mente, feroci tyrannide haec statuta violare audeat et sua audacitate corrumpat; hujus concessioniss sanctio ante personas virorum honestissimorum, et sanctae religionis cultum jugiter exequentium, absque ulla contradictione laudabiliter corroborata est, in praesentia s. Dominorum Laurentii totius Dalmatiae et Chroatiae reuerendissimi Archiepiscopi, et Domni Gebizonis SS. Bonifacii et Alexii religiosissimi Abbatis, una cum Fulcoino Fori Simphronii Venerab. Episcopo, Ap. Sedis Apocrisariorum, in vinea justitiae Dei totis viribus misericorditer laborantium, astantibus etiam Belgradensis Ecclesiae Archipresbytero Drago, et omnibus Clericis utriusque ciuitatis et Domno Justo Priore, Gregorio Judice, Drago, Praestantio, Michaele, Drusia et fere totius supradictae civitatis clero favente ac populo. Anno milllesimo ab Incarnatione D. N. Jesu Christi videlicet septuagesimo sexto, Indictione vero quintadecima, temporc ejusdem Gregorii septimi Papae et Demetrii Dalmatiae et Croatiae Regis et Domni Petri ejusdem monasterii Abbatis religiosi. Quicumque autem corrumperit quod horum omnium laude confirmatum est, Dei et eorum maledictionem perpetuo incurrat. Amen.

Farlati Illyricum Sacrum. T. IV. p. 5.

XI.

Anno 1076. Belgradi.

Svinimirus Rex Croatorum nominatur Rex Slavorum.

Notum sit omnibus fidelibus tam posteris quam praesentibus, quia nos Belgradenses divites et inopes, nullo cogente, nullo monente, immo spontanea

voluntatae, gratia devotae intentionis, promisimus dare singulis annis decimas nostrarum olivarum monasterio S. Joannis Apostoli et Evangelistae, die videlicet dedicationis ejusdem ecclesiae, quam viri religiosissimi Domnus scilicet Laurentius Spalatensis Archiepiscopus, una cum Apocrisariis Romanae Sedis Episcopo Fulcoino et Gebizone Abbate SS. Bonifacii et Alexii, nec non et Praestantio ejusdem urbis episcopo dedicaverant; eisdem etiam donum supradictum collaudantibus, ac firmiter corroborantibus, et auctoritate Apostolica interdicentibus, ne umquam ab aliquo praesumatur violari. Quod si forte aliquis temerario conatu abnegaverit, iram supernae Majestatis incurrat, omniumque Sanctorum maledictionem possideat, et haec donatio acta, sancitaque fuit anno ab Incarnatione D. N. J. C. millesimo septuagesimo sexto. Indictione vero decima quinta; et hoc Apostolante Gregorio septimo Papa, apud Graecos Michaele imperante, apud Sclavos Svinimiro regnante, Petro in eodem monasterio Abbatiante, Dominico Justo Belgradi Priorante.

Farlati: Illyricum Sacrum T. IV. p. 5.

XII.

Anno 1076. die 9. Octobris.

Svinimir, Croatorum et Dalmatinorum Rex, in fidelium suorum maxima congregatione, assentientibus Praelatis et Baronibus Regni, Ecclesiae Spalatensi Privilegium Tirpimiri et Mučimiri confirmat.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego quidem Svinimir Chroatorum atque Dalmatinorum Rex, residente me in Regno meo, anno Dominice Incarnationis MLXXVI Ind. vero XIV die IX mensis Octobris, ac divina gratia confortante suffragantibus meritis beatissimorum martyrum Domnii & Anastasii, ob quorum reverentiam et devotum amorem ven. presulis mihi spiritualis patris d. Laurentii ecclesie spalatensis, in qua eorum corpora requiescunt, per presentem paginam do, et confirmo eidem D. Archiepiscopo & suis successoribus, ac ipsi ecclesie sue in perpetuum ecclesiam sancti Georgii de Putalo cum toto territorio suo a rupibus montis signatis ex utraque parte usque ad mare, juxta donationem et confirmationem Regum predecessorum meorum, videlicet Tirpimir et Mucimir, ut in ipsorum conscriptis tabulis vidimus contineri, cum servis et ancillis in eodem territorio positis atque commorantibus, presentibus et futuris, seu in eodem territorio in posterum residere volentibus, ita tamen quod ..... Dominus Archiepiscopus, ejusque successores temporaliter & spiritualiter merum dominium .... in ipsa manentibus Villa, et eorum bonis mobilibus, et immobilibus .... prenominata spalatensis ecclesia perpetuo possideat pacifice

& quiete. Nulli igitur liceat hanc paginam nostre donationis & confirmationis infringere vel turbare. Si quis vero attemptare presumpserit, trinum et unum Deum iratum habeat et maledictionem CCCXVIII sanctorum patrum incurrat, et aliorum sanctorum, ac cum Juda proditore in inferno damnetur eterno supplicio. Acta sunt hec in presentia horum servorum Dei, videlicet Stephani Episcopi Jadertine .... Episcopi chroatensis. Gregorii Episcopi Arbensis. Theodosii Episcopi Belgradensis. Basilii Episcopi Absarensis. Formini Episcopi Nonensis. Joannis Episcopi Traguriensis et Dabri Abbatis S. Stephani. Nec non Comitum et Baronum: Dominici Tepzii Curialis Comitis. Kirne .... Comitis. Dobrici Comitis Cleunensis. Pribino Cetinensis Comitis. Lubimiri Comitis. Et aliorum nostrorum Comitum et Baronum, ubi fuit fidelium maxima Congregatio. Pro quibus omnibus, et singulis perpetuum robur habentibus, atque tenentibus, presentis privilegii paginam nostri sigilli charactere feci muniri.

(Nota in fronte Privilegii.) Exemplum sumptum ex originali in Membrana cum Sigillo magno pendente, cum cordula rubri et crocei coloris existente in Archivio Archiepiscopali Spalatensi.

Ex libro MSC.: „Donationes Principum" p. 10. in Archivio Episcopatus Spalatensis & Farlati Illyricum Sacrum T. III. p. 147.

XIII.

Anno 1086 aut 1087. Apud castrum Sibenicum.

Post mortem Svinimiri Regis Stephanus Croatorum et Dalmatinorum Rex haereditarius, omnibus nobilibus collaudantibus solium capit.

† In christi nomine. Stephanus ego nutu dei chroacie (et dalmacie rex) huius paginis seriem uel dictaminis causam cunctis nostri regni conprouincialibus ad futuram (diuini numini)s graciam notare his studui scriptis... Cvm igitur omnipotentis dei pietas me sua clemencia p(atrum), auum, proauumque solio (in) regio, omnibus chroacie et dalmacie nobilibus collaudantibus, exaltauerit honore, undique u(niuersa) nobilitas seu exigui populi manus, ac ceteri ecclesiarum cenobiorumque (rectores, uel retroactis pro) causis (uel) confirmacio .... qu' uel gracia comunis nostri regni utilitatis, ad nostram ut moris est..... imperantibus, confluere ceperunt. Itaque mater et pro(curatrix) sanctimonialium spalatini cenobii, sancti uidelicet benedicti martiris, inter hos nostri presencia, una cum quibusdam suis sororibus, quoddam scriptum a nuper rege defuncto suinimiro concessum sibi hoc ad opus sui cenobii de quoddam territorio regali, qui in loco qui dicitur lasani habetur, secum deferens, in die natiuitatis sancte dei genitricis

et uirginis marie se medium statuit. Et hoc idcirco e ... at ut quemadmodum a memorato rege illud donacionis scriptum habebatur ratum, atque firmatum, pari modo, immo meliori a nostra regali dignitate, cum nostri impressione sigilli roborari, nec non perpetim deberet firmari. Quo cognito, tum illarum precibus flexi, tum nostrorum nobilium consilio suffulti, quod postulauerant adimpleri illis precepimus. Igitur memoratum territorium iam dicto in loco inconcussum, perpetualiter atque inuiolatum n .. ad opus prescripti monasterii cum terris que pustiza nominantur, firmamus. Ita quidem, ut nostrorum successorum (nullus) uel cuiuslibet persona magna uel parua nullomodo his nostris firmacionibus et sigilli impressioni contra ire debeat. Quod si, quod absit, aliud aliquis agere temptauerit et prenominatam domum his terris disuestire, trinum et unum deum habeat iratum et CCC. X et VIII sanctorum patrum consequatur malediccionem et cum Juda traditore in inferno mancipetur.

Actum est hoc apud castrum Sibinico, in die prefate solempnicionis ante noticiam horum testimoniorum. In primis laurencii archiepiscopi. iohannis tragurini episcopi. petri spalatini archidiaconi. presbiteri petri spalatini. iacobi morstici. (lu)bomiri (t)epzi. stresigna breberstici. uiseni zetinstici. dragoslaui sagorstici. uratina polstici. osrina dridistici. desimiri .... uone se ...... tici. Cola(no) epiciza ac ceterorum (nostrorum) nobilium. ad hec (quoque) causa diuini amoris a parte nostri sibi concessimus perpetue salone molendinum, similiter et starea que est propria nostra ...... testibus confirmantibus. Quibus eis omnibus legatum iupanum centene uisenum uidelicet (dedimus).

Originale membr. valde atritum in Archivio Regni Croatiae. Acta antiquissima. — Lucius Libr. II. cap. XI.

XIV.

Circa annum 1100.

Nota anonymi saeculi XII. de Regum et Banorum Croatiae eligendorum modo.

Tempore transacto erat consuetudo in regno croatorum, (quod) erant septem bani, qui eligerant regem in croacia, quando rex sine liberis moriebatur, scilicet banus croacie primus, banus bosniensis secundus, banus sclauonie tercius, banus posige quartus, banus podrame quintus, banus albanie sextus, banus sremi septimus. Et de sex generibus croatorum erant bani in croacia, quos eligebant duodecim tribus croatorum, et de aliis sex generationibus erant comites in comitatibus croacie: kacigi, cucari, suacig, çudomirigi, mogorovigi, subigi, isti sunt principales, quibus pertinet banatum et mittunt sortes cui eorum sors dederit.

Originale membr. in sacrario capituli Spalatensis. Doc. I. p. 27.

XV.

Circa annum 1100.

De Regni Croatiae terminis.

Reges Dalmatiae et Croatiae — habebant ex successione suae originis patrum et proavorum dominium Regni Dalmatiae et Croatiae. Istaque fuerant Regni eorum confinia: ab oriente Delmina, ubi fuit civitas Delmis (Duvno), in qua est quaedam Ecclesia, quam B. Germanus Capuanus Episcopus consecravit, sicut scriptum reperitur in ea. Ab occidente Carinthia versus mare, usque ad oppidum Stridonis, quod nunc est confinium Dalmatiae et Istriae. Ab Aquilone uero, a ripa Danubii usque ad mare dalmaticum, cum tota Maronia et Chulmiae ducatu.

Praeter Episcopos Dalmatiae in Sclavonia fuerunt aliquae statutae episcopales Ecclesiae, videlicet ab oriente fuit Episcopus Delmitanus, unde Dalmatia dicta est. Ab occidente fuit Episcopus Siscitanus ubi B. Quirinus martir quondam extitit praesul. Denique post Salonae interritum in Spalato. *)

Thomas Archidiaconus Spalatensis (scriptor saeculi XIII.) in Historia Salonitana. Cap. XIII.

XVI.

Anno 1102.

Nota Anonymi contemporanei de juramento Colomani Hungariae Regis Croatis et Dalmatinis de libertatibus ipsorum conservandis praestito.

Colomanus Rex ueniens Jadram, ante Ciuitatem conuocauit curiam.. Ibique de Dalmatiae libertate integra perpetuaque seruanda, communiter tractantes, ipse Rex inprimis supra sancta quatuor Dei Euangelia patre meo (Wenzel: me) C. Episcopo

*) Habuit praeterea Regnum Creatiae hos episcopatus: Jadrensem, Traguriensem, Tininiensem, Belgradensem, Mucarensem, Arbensem, Absarensem, Veglensem et Nonensem, Episcopum Curiae Regiae, cujus jurisdictio usque ad Dravum fluvium extendebatur. (Ecclesia Pharensis et Scardonensis, ac župania Hlevno in Bosnia erant sub Spalatensi Archiepiscopatu, Ecclesia vero Segniensis sub Nonensi Episcopatu.)

anitente manu confirmauit propria. Videlicet ut antiquam Dalmatiae libertatem, in nullo unquam deberet fraudare; nec Episcopum, uel primatum aliquem, nisi ab eorum uelle electum, illis dare confirmationem. Deinde hoc idem similiter supra sancta quatuor Evangelia, (Episcopi iuraverunt, quorum nomina) hic sunt: Laurentius Strigoniensis Archiepiscopus, Marcellus Vaciensis Episcopus, Simon Quinque-Ecclesiensis, Mattheus Vesperensis, Georgius Georensis, Sixtus Varadensis, Fulbertus Colocensis, cum caeteris Hungariae Episcopis. Comites uero maiores omnes hoc idem iurauere, quorum paucorum nomina scio, hi sunt: Joannes Palatinus, Cledinus, Marcus, Saulus, Saunicus et multi alii, quorum nomina, aut nunquam scire curaui, aut si sciui, in memoria non habeo, quae si omnium scirem, et uellem ponere nomina, in altum nimium nostra turgesceret pagina. Nam praeter Regem et Episcopos, et comites magnos, iurauere hoc idem et multi centurionum. Ille enim, qui Prouinciam Dalmatiae subesse Regi disposuerat, securus esse uolebat, per multas et magnas personas, sibi suisque successoribus, et eorum haeredibus, antiquam fore debere libertatem. Ad memoriam uero tantae confirmationis, tres cruces aureas dedit Rex, supra quas et quae superius explanauimus confirmauerat. Vnam uidelicet Jaderensi Ecclesiae, aliam Spalatensi, etiam Arbensi, simul quosque Nobiles Prouinciae ad se uocauit. Hac ergo securitate pace firmata, simulque terra tota per circuitum praevisa, Rex regressus est in Vngariam.

Ex Libro: Pactorum Archivii Veneti. — Habet quoque G. Wenzel in Codice Dipl. Arpadiano continuato Pesthini 1860, pag. 43.

XVII.

Anno 1102.

Colomanum Hungariae Regem Belgradi supra mare Dalmatiae et Croatiae Regem coronatum fuisse patet.

Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi millesimo ccntesimo secundo. Ego Colomannus dei gratia rex Hungarie, Croatie atque Dalmatie, salvo habito consilio postqam coronatus fui Belgradi supra mare, in urbe regia, rogatu subscriptorum meorum comitum pro charitate Dei, et remedio animae mee, dono perpetuam pacem et regiam libertatem monasterio sancte Marie monialium, quod situm est in Jadera, ut ibi Deo deuote degentes, securo Deum interpellare pro me et pro statu mei regni valeant. Nam nemo secularibus involutus curis, Deum, ut tanto decet ordini, contemplare potest. Unde sub istius priuilegij scriptione hanc dationem regie libertatis sic corroboro, ut nullus mei regni audeat quidquam distrahere uel auferre illi monasterio, tam in mobilibus, quam in immobilibus; si quis vero contumax nostre regali huic jussioni contraire ten-

taverit, et aliquid de bonis monasterii usurpaverit, illi ecclesie quadruplum reddat, usurpator vero cum suis omnibus regali sententie subjaceat. Et hoc confirmamus nostra sigillatione, istorumque Comitum: Procopius Acriensis Episcopus laudo. Singidunus Zagoriensis Episcopus laudo. Isaac Comes laudo. Petrus Comes laudo. Cladia Comes laudo. Saul Comes laudo. Arnei Comes laudo. Thomas Comes laudo. Andreas Comes laudo. Cosmas Comes laudo. Vocan Comes laudo. Dionysius Comes laudo.

Ex Archivio Monialium Jadrensium S. Mariae. — Habent quoque Lucius de Regno Dalm. et Croat. Lib. III, cap. III. et Farlati Illyricum Sacrum T. IV. p. 5.

XVIII.

Anno 1102.

Pacta conventa seu conditiones, quibus duodecim tribuum Croaticarum legati Colomanum Croatiae Regem agnoscunt.

Colomanus filius (nepos) Vladislai Regis ungarie stans in Regnis loco patris (patrui) sui et quia multa strenuitate vigebat, proposuit totam Chroatiam usque ad mare Dalmaticum sub suo dominio subiugare, venit cum suo exercitu usque ad flumen Draue. Chrouates vero audientes de adventu Regis, congregaverunt exercitum suum et preparaverunt se ad pugnandum. Rex vero audita congregatione ipsorum misit suos nuncios, volens ipsos gratiose tractare et pacta cum eisdem uti voluerunt ordinare. Chrouates vero audita legatione domini Regis, inito consilio, omnes insimul acceptaverunt et miserunt XII Nobiles sapientiores de XII tribubus Chrouatie, videlicet: Comitem Guran (Juran) de genere Chacithorum (Kačić), Comitem Hungrinum de genere Chucchacorum (Kukar), Comitem Marmognum de genere Subithorum (Šubić), Comitem Pribislavum de genere Çudomirorum (Čudomirić), Comitem Georgium de genere Suacittorum (Svačić), Comitem Petrum de genere Muritorum (Murić), Comitem Paulum de genere Gusichorum (Gušić), Comitem Martinum de genere Carinensium et de genere Lapçanorum (de Karina et de Lapac), Comitem Pribislavum de genere Politchorum (de Poljica?), Comitem Hobradum de genere Lasniçitorum (Lasničić), Comitem Joannem de genere Jamometorum (Jamometović), Comitem Mirognum de genere Tugomirorum (Tugomirić).

Qui venientes ad D. Regem, ei debitam reuerentiam exhibuerunt, dominus uero Rex ad osculum pacis eos recipiens et honorifice eos tractans, ad talem concordiam deuenerunt: quod omnes predicti teneant suum pacifice, et quiete, et quod non teneantur aliqua praedictarum generationum, nec eorum homines Regie maiestati solvere censum, nisi tantum teneantur d. regi, quando aliqui

invaderent sua confinia regalia; tunc si d. rex mittet pro ipsis, tunc ire debeant adminus cum decem armigeris equitum, de qualibet generatione prenominata, cum suis sumptibus et expensis usque ad flumen Draue, inde uersus Vngariam ad expensas d. regis, usque quo exercitus duraverit, debeant permanere, et sic extitit ordinatum de anno nostre redemptionis. Millesimo. C°. secundo.

Ex antiquissimo Historiae Salonitanae Thomae Archidiaconi manuscripto, in Bibliotheca Comitis Fanfogna-Garagnin Tragurii asservato.

XIX.

Anno 1103. die 15. Junii.

Colomanus, Hungariae et Croatiae Rex, antiquas donationes Ecclesiae Spalatensi factas, confirmat.

In nomine domini nostri Iesu Christi, anno ab incarnatione eius MCIII. die XV. Iunii. Colomanus, Dei gratia, Hungariae, Dalmatiae, Chroatiae, Ramaeque rex. Consideratis fidelibus ac deuotis obsequiis ven. patris D. Crescentii, Spalatensis archiepiscopi, nobis per ipsum exhibitis, eiusque prece dignanter inducti, donationes ac confirmationes regum atque Principum et aliorum dominorum, ad instar priuilegiorum Ecclesiae Spalatensis, quae in priuilegiis, literis, vel antiquis montaneis (id est codicibus) ipsius ecclesiae conscripta habentur, praesentis priuilegii pagina confirmamus auctoritate regia; ac pleno iure subiicimus eidem archiepiscopo, suisque successoribus et Ecclesiae Spalatensi. Omnes vero Episcopatus, quos ad praesens obtinet ipsa Ecclesia per Dalmatiam et Chroatiam, omnes villas et possessiones et alia, ad eandem Ecclesiam spectantia, praesertim villam S. Georgii de Putalo, vt ab olim donata fuit; cum omnibus hominibus in ea residentibus, seruis et ancillis, et eorum omnibus bonis; villam Syrenine, Gese, Tugari, Asseti, similiter cum seruis et ancillis et eorum posteris; Ecclesias Sanctae Mariae de Salona, et Sancti Stephani, et S. Moysis, et Ecclesiam S. Bartholomaei cum omnibus prouentibus earumdem; villam quoque Hosizan, villam Ostrog, villam Labenam, et totum territorium de Smina; villam in Cleuna Sudumirizam, et villam in Lesina Stolez; decimas praeterea Cleunae, Zetinae, Clissiae, et eius districtus; Massari cum toto monte magno Politii, et decimas Almissii vsque Mucarum. Quae omnia supra dicta volumus, quod teneat, possideat, regat, atque gubernet perpetuo Spalatensis Ecclesia, ac eius Praesules, sine alicuius perturbatione, seu molestatione, pacifice et quiete. Si quis autem in praemissis, vel quolibet praemissorum dictam Spalatensem Ecclesiam, vel ipsum Archiepiscopum, et eius successores molestauerit, vel turbauerit, iram Dei et

nostram indignationem incurrat. Et ad robur omnium praedictorum praesens priuilegium nostro sigillo authentico communiri mandauimus.

Farlati: Illyricum Sacrum T. III. p. 164. — Lucius L. VI. c. IV. — Kerčelić. Notit. praelim. p. 137. — Katona H. C. R. H. Tom. III. p. 169. sq. n. CCCXXVI. — Fejér. Codex Dipl. R. H. T. II. p. 39.

XX.

Anno 1108. 25. Maji. Tragurii.

Colomanus, Hungariae, Croatiae et Dalmatiae Rex, se Traгurinorum libertatem conservaturum juramento spondet praetereaque promittit, quum ad eos, qua Rex Croatiae et Dalmatiae coronandus aut negotia regni cum illis tractaturus venerit, se nemini civium, ut quem hospitio susciperent, vim illaturum esse.

Anno Dominicae Incarnationis M.C.VIII mense V die XXV Anno XII Regni mei. Ego Colomanus Rex Vngariae, Croatiae atque Dalmatiae, juro super sanctam Crucem Vobis Tragurinis, meis fidelibus ciuibus, firmam pacem; mihi et filio meo aut successoribus meis tributarii non sitis; Episcopum vero aut Comitem, quem Clerus et Populus elegerit, ordinabo, et lege antiquitus constituta vos uti permittam, praeterquam introitus portus ciuitatis de extraneis duas partes Rex habeat, tertiam vero Comes Ciuitatis, decimam autem Episcopus. In ciuitate quoque vestra neminem Hungarorum, vel alienigenarum habitare permittam, nisi quem voluntas vestra expetierit, cum autem ad vos coronandus, aut vobiscum Regni negotia tractaturus advenero, nemini ciuium vis inferetur Domorum suarum, nisi quem dilectio vestra susceperit. At, si forte aliquando Dominium meum aliquem aggravare videbitur et alias ire voluerit, secure cum vxore et filiis et familia et omnibus suis quocunque sibi placuerit, eat. — Hoc autem Sacramentum a Rege et ab Archiepiscopo Laurentio & Comitibus Hungariae confirmatum est. Ego Joannes Palatinus Comes laudo et confirmo. Ego Appa Comes laudo & confirmo. Ego Thomas Albanensis Comes laudo & confirmo. Ego Jacobus Borsodiensis Comes laudo & confirmo. Ego Vgudi Wasuariensis Comes laudo & confirmo. Ego Slauiz Comes Nouogradensis laudo & confirmo.

Lucius de Regno Dalm. & Croatiae. Lib. III. cap. IV.

XXI.

Anno 1111.

Colomanus Hungariae Rex, Cresimiri Regis privilegium fundationale Ecclesiae Arbensi datum confirmat, unaque Dalmatiae Clericos iisdem libertatibus, quibus Hungariae Clerici fruuntur, donat.

Anno Dominice Incarnationis M. CXI. Indictione IV. Epacta nona concurentibus. Ego Colomanus dei gratia Rex Hungarie per misericordiam dei potitus Regno Dalmatie atque Croatie, assentimus, ad quantum ad nos pertinet, et confiirmamus Arbensi Ecclesie suas Parochias: Juppam sub Alpibus suis cum terminis, a castro latine Murula vocitato, sclavonice autem Stenizze, usque ad flumen Coprive, Chissam suis cum terminis, Juppam Liche, Juppam Bussani (Lucius Bucani) et Buzzachi (Lucius Bochacchi), sicut semper didicimus habuisse per Priuilegium Crescimiri Regis & idoneos testes, quos Paulus eiusdem Ecclesie presul induxit, cognouimus; decreuimus quoque ad honorem et dignitatem illius ecclesie, investituras tam ecclesiarum, quam episcoporum et abbatum, absque Regis consilio, quemadmodum fuisse probavimus, fieri debere, postea necessarium duximus, cum utriusque Regni uniuerso consilio, ut qua libertate fruuntur clerici Hungarie, fruantur et clerici Dalmatie, scilicet ut qualiscunque potentie sigillo non constringatur, sed solo Episcoporum & Archidiaconorum suorum sigillo et judicio lege Canonum cogantur et iudicentur. Hoc modo Decimationem quemadmodum in Hungaria accipiant, Prestaldus Regis cum Prestaldis Episcoporum ex decimatione Episcopi ipsi accipiant decimam partem, ex qua Prestaldus Regius dimidiam partem illius decimationis accipiat, Prestaldi vero aliam dimidiam cum curiali Comite sui Episcopi per medium dividant, et sic curialis Comes dimidiam sibi habeat, Prestaldi vero aliam dimidiam inter se dividant. Indictione IV. Datum est hoc Privilegium dicte Arbensi Ecclesie, per manus venerabilis Laurentii Strigoniensis Archiepiscopi, perpetuo ex concessione Colomani Regis (Lucius Vngariae) Dalmatie et Croatie, sic in presentia suorum Episcoporum ac Comitum, quorum nomina hec sunt: Simonis Quinque Ecclesiensis Episcopi, Mathei Vesprimiensis Episcopi, Georgii Gevrensis Episcopi, Sixti Varadiensis episcopi, Marceli Vaciensis Episcopi, Tulberti Collocensis Episcopi. Comitum vero Johannis Palatini Comitis, Claodini, Marci, Sauli, Saunici, Vngareni, Theobaldi, Jandini et quamplurimorum Dalmatinorum Episcoporum et asserentium et testificantium, per quorum testimonium probavit predictus Presul dictam Arbensem ecclesiam semper ita habuisse. Crescentii Spalatensis Archiepiscopi. Anastasii Tininiensis Episcopi, Johanis Traguriensis Episcopi. Bani Albensis Episcopi, Marci Jadrensis Episcopi. Dominici Vegliensis Episcopi, Petri Absarensis Epi-

scopi et Generalis Domini Regis Curie. Et ut hoc priuilegium statutum et stabile perpetuo maneat nostro iubemus sigillo imprimi atque roborari.

Ruić, ex Sanctuario Arbensis Ecclesiae, in suo opere: Riflessioni storiche sopra la città et isola di Pago. MSC. & Lucius de Regno Dalm. & Croat. Lib. III. cap. IV.

XXII.

Anno 1118.

Ordelafus Faledrus, Venetiarum Dux, se Arbenses suis antiquis libertatibus ac consvetudinibus, prout iis Colomanus Rex spoponderat, recturum esse promittit.

Anno dominice incarnationis Millesimo centesimo decimo octauo. Indictione undecima, epacta XXVI curente. Nos namque arbensis Paulus, episcopus et Oriens comes, ac tota comunitas, recordationem ueritatis et certitudinis facimus nostris successoribus heredibus dimittendam: Qualiter Ordilaffus Faledrus Dux Venetiarum nobis iurauit suis cum nobilibus Joanne Tyano caprulano episcopo, Dominico pulano, Dominico Michaele, Dominico Mauroceno, Raynerio Michaele et Marino Longoferaro et cum pluribus aliis. Predictus Dux suo cum exercitu ibat Jadram, et nos misimus Vitazan et Madium Rage filium, diacones, ad dominum Ducem et ad exercitum eius dicentes: volumus dominio vestro subesse et si Jadrenses noluerint vel non potuerint, si uoluntatis uestre est, nos perpetuo retinere in consuetudine, statu et libertate terre nostre, et promisit eis dux tenere. Et iterum uenerunt Arbum, et ipse dux cum suprascriptis nobilibus hoc modo iurauit: Juramus uobis arbensibus et uestris heredibus successoribus perpetuo uestram consuetudinem et statum uestrum, et libertatem terre uestre, potestatemque, quam antiquitus dicitis habuisse sub Imperatore constantinopolitano et sub Rege Vngarorum, presulem uobis elligendi et comitem, confirmatione comitis nobis reservata, nostreque curie, taliter insuper vos reggere et manutenere, sicuti unam ex nostris oris riuoalti, et sicuti uobis Dalmatinis Colomanus Rex Vngarie iuravit suis cum archiepiscopis, episcopis et comitibus, ut in breuiario illo continetur. Actum est hoc in arbensis ecclesie atrio in tempore prefati presulis et comitis vita felici.

Transsumptum in membrana in Archivio Communitatis Arbensis, et in libris Pactorum Reipublicae Venetiarum asservatum.

XXIII.

Anno 1124.

Stephanus, Colomani Regis filius, Tragurinis et Spalatensibus, eadem quae Pater ejus Colomanus, juramento promittit.

Ego Stephanus Colomani filius, Rex Hungariae, Croatiae atque Dalmatiae anno Dominicae Incarnationis 1124, Indictione secunda, mense Julio, nono anno Regni mei, eandem libertatem et pacem a patre meo vobis Tragurinis et Spalatinis ciuibus stabilitam, cum Episcopo et Comitibus & omnibus Regni mei Principibus, sub eiusdem Sacramenti obligatione confirmo & corroboro. Ego Marcellus Strigoniensis Archiepiscopus laudo & confirmo. Ego Gregorius Baacensis Archiepiscopus laudo & confirmo. Ego Simon Quinque-Ecclesiae Episcopus laudo & confirmo. Ego Cledinus Comes laudo & confirmo. Ego Marcus laudo & confirmo. Ego Lambertus Comes laudo & confirmo. Ego Buzco Comes laudo & confirmo. Ego Nicolaus laudo & confirmo. Ego Jacobus Comes laudo & confirmo. Ego Sergius Comes laudo & confirmo.

Lucius de Regno Dalm. et Croat. Lib. III. Cap. IV.

XXIV.

Anno 1143. die 3. Maji. Spalati.

Geisa, Hungariae, Croatiae et Dalmatiae Rex, iuramentum Colomani Regis, civitatibus Croatiae & Dalmatiae factum, renovat.

Anno Dominicae Incarnationis 1143 Indictione 5. Epacta 22. currentibus 3 mensis Maii, anno secundo Regni mei. Ego Geysa Rex Hungariae, Chroatiae atque Dalmatiae juro super sanctam Crucem urbis Spalatensis Principibus firmam pacem et libertatem; mihi quoque et successoribus meis tributarii, aut angariarii ne sitis; Episcopum vero aut Comitem, quem Clerus aut populus elegerit, confirmabo; et lege antiquitus constituta cum vestro Judice uti permitam vos: Praeter quod

introitus portus civitatis de extraneis duas partes Rex habeat, tertiam Comes civitatis. In civitate vestra neminem Hungarorum, vel alienigenarum habitare permittam, nisi quem voluntas vestra expetierit. Cum autem ad vos coronandus, aut vobiscum regni negotia tractaturus venero, nemini civium vis inferatur domorum suarum, nisi quem dilectio vestra susceperit. Judicem inter vos et extraneos a me constitutum vobiscum in civitate sedulo commorari volo, nec eum extra urbem alias proficiscentem sui praecepto aut sigillo a vobis causa placitandi sequendum concedo. Si quis vestrorum per meum Regnum terra, marique negotia exercuerit, mihi aut alieni nostrorum hominum ex proprio commercio nullum persolvat debitum; obsides a vobis nullo modo recipiam, sed in curia nostra servire volentibus rogam impendam, et morandi sive discedendi ad suum velle, facultatem obtineant, nullamque super hoc molestiam inferam. Ac si forte aliquem dominium meum aggravare videbitur, et urbem vestram exire voluerit, secure cum uxore et filiis & familia et omnibus suis bonis quocunque sibi placuerit, eat. Haec autem omnia absque fraude et ingenio ad detrimentum civium vel civitatis in aliquo attinente observabo.

Sacramentum hoc a Rege et Archiepiscopo Muchia confirmatum est. Ego Bachiensis Archiepiscopus laudo & confirmo. Ego Martinus Agriensis Episcopus laudo et confirmo. Ego Paulus Vesprimiensis Episcopus laudo et confirmo. Ego Verblen Zagrabiensis Episcopus laudo et confirmo. Ego Zacheus Tavar. laudo et confirmo. Ego Joannes Quinqueecclesiensis Episcopus laudo et confirmo. Ego Paulus Canadiensis laudo et confirmo.

Farlati Illyricum Sacrum T. III. p. 174. — Fejér Codex Dipl. Regni Hung. T. II. p. 118.

XXV.

Anno 1151.

Belus Banus immediate post Regem in fronte diplomatis Hungarici nominatur.

Divina dispensante clementia, Geyse Rege regnante, anno quo Martyrius in Archiepiscopum est electus, Belo Bano existente, colloquii causa Regis ac totius Regni cum Duce Austriae habita est etc.

Originale in Archivio Abbatiae Szentmártonensis. — Monumenta Hungariae Historica. Vol. VI. Codex Dipl. Arpadianus Continuatus. Pestini 1860, pag. 60.

XXVI.

Anno 1169.

Stephanus III. Rex, iuramentum a Colomano Rege civitatibus Croatiae et Dalmatiae praestitum, renovat.

Anno Dominice incarnationis MCLXIX. Anno Octauo Regni mei. Ego Stephanus Rex Hungarie, Croacie, atque Dalmacie. Iuro super sanctam crucem vobis Sibenicensibus, meis fidelibus ciuibus, firmam pacem, mihi et filio meo, aut successoribus meis Tributarii ne sitis, comitem vero aut iudicem, quem commune et consilium elegerit ordinabo, et lege antiqua constituta vos vti permittam; preterea quod introitus portus Ciuitatis duas partes Rex habeat de extraneis, Terciam uero Comes ciuitatis, Decimam autem Clerus. In ciuitatem quoque vestram neminem Hungarorum vel alienigenarum habitare permittam, nisi quemque voluntas vestra expetierit. Cum autem ad uos coronandus aut uobiscum regni negocia tractaturus aduenero, nemini Ciuium uis inferatur domorum suarum, nisi quos dilectio uestra susceperit, aut si dominium meum aliquem agrauare videbitur, et alias ire voluerit, secure cum vxore et filys et famulis et omnibus suis quocunque sibi placuerit eat; et hoc illud concedo per Regale Iudicium et sigillum: quod extra ciuitatem non exeat, si de Ciuitatibus iudicare voluerit in Ciuitate cum Iudicibus comite et nobilibus iudicetur. Hoc autem sacramentum a Rege Stephano secundi Geyse Regis filio, et a principibus Hungarie confirmatum est. Ego Seyna Colocensis Archiepiscopus laudo et confirmo. Ego Vlcina Vltrasyluanus laudo et confirmo. Ego Stephanus Morisiensis sedis electus laudo et confirmo. Ego Ompodinus Comes Palatinus atque Banus laudo et confirmo. Ego Phulcus laudo et confirmo. Ego Gurka laudo et confirmo. Ego Smaragdus laudo et confirmo. Ego Tup collaudo et confirmo.

Idem Privilegium confirmarunt Reges Hung.: Andreas II. a. 1231, Bela IV. a. 1248 & 1251, Stephanus IV. a. 1270 & Carolus Robertus a. 1322. — Ex originali membrana Collectionis Jankovićianae. G. Fejér. Codex Dipl. R. Hung. T. VIII. vol. II. p. 351.

XXVII.

Anno 1173—1196.

Status Regni Hungariae, Croatiae et Dalmatiae Bela III. regnante.

Regni Vngarie fines et dominatus amplitudo. In Regno Bele regis Vngarie sunt he terre: Vngaria caput Regni, Croacia, Dalmacia et Rama. In Vn-

garia sunt due sedes Archiepiscopales; Strigoniensis et Colocensis. Strigonium habet de curia regis de moneta VI mille marcas et decimam monetarum, et est metropolis Vngarie. Colocensis sedem habet Bachiensem et habet duo millia et quingentas marcas. Suffraganei domini Strigoniensis sunt: Episcopus Agriensis habens III millia marcarum. Episcopous Woacensis habens septingentas marcas. Episcopus Quinqueecclesiensis habens mille et quingentas marcas. Episcopus Geuriensis habens mille marcas. Episcopus Wesprimiensis habens mille septingentas marcas. Episcopus Nitriensis habens mille centum marcas. Suffraganei Colocensis sunt: Episcopus Sunadensis (Chanadensis?) vel a fluvio preterlabente Morisensis, habens duo millia marcarum. Episcopus Biarch. cuius sedes dicitur Orosiensis (Olasiensis) habens mille marcas. Episcopus Vltrasylvanus habens duo millia marcarum. Episcopus Zagrabiensis super flumen Soa habens mille quingentas marcas. In Dalmacia sunt duo Archiepiscopatus: Jaderensis (Jacezensis), habens quingentas marcas. Espaletensis, habens quadringentas marcas. Vnde Espaletensis et insimiliter (Jadrensis) habent suffraganeos decem. — Rex Vngarie de reditu monete sue habet sexaginta millia marcas per annum, Idem habet de sale suo XVI millia marcas. Idem habet de pedagiis et passagiis et mercatis seu foris, que omnia sunt XXX millia marcarum. Idem habet de alienis hospitibus regis de Vltrasylvas XV millia marcarum. Idem habet de sua tertia parte de septuaginta duobus comitibus suis de redditu annuo XXV millia marcarum. Idem habet de Duce Sclauonie per annum X mille marcas. Unusquisque comitum 72 semel in anno regem Vngarie procurat, et antequam de mensa surgat, dona dat munus centum marcarum, et aliquis eorum II. C. marcas. In quibus adminus presumitur summa solius regis larga computatione X mille marcarum. Et preter hec dona regine et filiorum regis magna in argento, seu pannis, sericis et equis. Et preter hec tricesima. Populus terre regi facit victum plenarium.

Fejér. Codex Diplomaticus Regni Hungariae. Vol. II. pag. 217. E codice Regio Parisiensi Nro. 6238 fol. 20.

XXVIII.

Anno 1185.

Petrus Spalatensis Archiepiscopus, celebrato Concilio, Parochias inter Episcopatus Croatiae et Dalmatiae aequo jure distribuit multasque salutares ordinationes sancit.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Anno ab incarnatione domini MCLXXXV. indictione III. Domino Lucio papa III. apostolicae sedi praesidente, ac D. Bela III. Hungariae regnum gubernante, et Domino H. (Henrico) filio eius,

eo viuente coronato, hoc actum est. Quoniam pastoralis officii cura, quibus spiritualium rerum summa committitur, admonet vniuersos, ac paterna sollicitudo inuitat, vt gregibus sibi creditis ita quisque prouideat, quod luporum morsibus non exponatur incaute; et ne incongrua abutentes licentia terrenis commodis inhiare videantur; et ne animarum lucra omittant, diligenter inquirere. Ideo ego P. (Petrus) diuina fauente gratia, Spalatinae sedis archiepiscopus, videns multa enormia per nostrum archiepiscopatum emersisse, multiplicesque subditorum errores considerans grauiter pullulare, ut domino prouidente excessibus tantis finem congruum imponere, atque salutaribus monitis audientes possem informare, de mandato et voluntate summi pontificis, in nostra Spalatensi ciuitate, cum omnibus suffraganeis, et abbatibus, nec non clericorum copia, generalem Synodum, inuocata S. Spiritus gratia, Kalendis Maji celebrauimus. Vbi vero anathematizauimus omnes sectas haereticorum, et eorum complices, contra sacrosanctam Romanam Ecclesiam et eius doctrinam oblatrantes, et omnes indebite ecclesiastici officii verberatores, et decimarum, redituumque ecclesiasticorum raptores, inuasores, ac illicite retentores, nisi digna satisfecerint satisfactione. Vbi et statuimus, vt omnes vsualitates antiquae, quas Ecclesia S. Domnii habuerat, et iurisdictiones tam in episcopos, quam in alium clerum praecipiendo S. D. (secundum Deum) habeant auctoritatem, et quod neminem ad ordinem archiepiscopus promoueat, nisi per archidiaconum, aut per Canonicos S. Domnii praesentatum; sicut in alio priuilegio, quod Canonicis super antiquis vsualitatibus seruandis fecimus planum et expressum. Instituimus etiam, vt officium B. Mariae V. in omnibus ecclesiis per nostram diaecesim omni die cantetur. Praeterea, quum Parochiae Suffraganeorum nostrorum ad se inuicem essent confusae, et certis limitibus nequaquam distinctae, et nullis priuilegiis communitae, ita vt ipsi Episcopi in errorem et controuersiam saepe inducerentur; placuit nobis omnibus, memoratas parochias taliter distinguere, ac priuilegiis communire, vt de caetero vnusquisque episcoporum attributis sibi parochiis et priuilegiis gaudeat, et nulli vnquam fratrum suorum quaestionem exinde mouere praesumat. Definimus itaque pari voto, et communi voluntate eorumdem Suffraganeorum, vt A. Episcopus Spalatensis has habeat parochias: Clissam, Scale, Sminam, Cettinam, totam Cleunam, totum Massaron, et totum Pol (hodie Polizzam) vsque ad Vrullam, et vbicunque sunt terrae S. Domnii, debent dare decimas S. Domnio. Insuper habeat has ecclesias: S. Martham, S. Petrum de Clobuco, S. Mariam, S. Stephanum, S. Moysem, S. Bartholomaeum. Tiniensis Episcopus habeat sedem suam in Tenin; et habeat has Parochias: Tenin, Campum, Verchrezam, (Verhrecam), Pset. Traguriensis Episcopus habeat has Parochias: Tragurium, Drit, Sibenicum, et totum Comitatum Zagoriae. Scardonensis Episcopus habeat: Scardonam, Briber, Belgradum, cum tota Sidraga. Nonensis Episcopus habeat Nonam, totam Lucam, et medietatem Licae. Signiensis Episcopus habeat sedem suam in Signia; et habeat has Parochias: Signiam, Gezcam (Gačkam) totam, et medietatem Licae. Corbauiensis Episcopus habeat sedem suam in Corbauia; et habeat has Parochias: Corbauiam, Vinodol, Bussan, Nouigrad, Presnic, Plas, et Modrussam. Pharensis Episcopus habeat sedem suam in Phar; et habeat has Parochias: Phar, Braciam, et Lissam, Corceram, Lastam, et Mulcer, et totam Crainam. Ecclesiae vero S. Stephani Regis, et Capellae nostrae in honore S. Ioannis Euangelistae, quam nos

manu nostra consecrauimus, hanc ordinationem fecimus: quod ei post Archiepiscopum nullus praesit, nisi sacerdos ei ordinatus, cui hos reditus communi voluntate fratrum ibi assistentium concessimus: vineam vnam in Biaci, quam a quodam Tragurino, filio Firmini Calogeorgii, iustitia dictante, iudicio Pirsemiri, tunc Tragurii Comitis, recepimus. Cuius causae praestaldus est Cerne, filius Cipriani; testes sunt Petrus Iupanus, filius Gregorelli, et Martinus de Benedicite; et alii quamplures; et itidem in Biaci terram ad duos boues; bouem et vaccam. Statuimus siquidem, vt nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis et confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Quisquis vero ausu temerario id facere attentauerit, indignationem Omnipotentis Dei, et nostram, et fratrum nostrorum maledictionem se nouerit incursurum; et S. Domnio componat centum marcas argenti. Praecipimus insuper quod praesens scriptum in maiori Ecclesia sub cura canonicorum servetur, qui loco nostri, dum Ecclesia vacat, tam Episcopis, in quibus Ecclesiae obedire iuramento tenentur, quam universo Clero nostrae Diaecesis de iure praesunt, et auctoritatem habent imperandi, ut si alicui violentia fuerit illata, habeat illuc recursum, et si opus fuerit per censuram Ecclesiasticam eorumdem Canonicorum iuxta considerationem puniantur nolentes nostra statuta observare. Vt autem haec ordinatio, quam his personis praesentibus et approbantibus statuimus: Flascone, Tiniensi Episcopo; Michaële, Traguriensi Episcopo; Michaële, Scardonensi Episcopo; Matthaeo, Nonensi Episcopo; Miraeo, Signiensi Episcopo; Matthaeo, Corbauiensi Electo; Micha, Pharensi Electo; Isaac, S. Stephani Abbate; Vincentio, Traguriensi Abbate; Dujmo, S. Domnii Primicerio; Ioanne sacrista, cum toto eiusdom Ecclesiae Capitulo; Vilcotta, Archipresbitero de Clissa; Vilcotta, Archipresbitero de Kileo (seu Kalco); Gaudio, Archidiacono Traguriensi, cum suis Clericis; Prasez, Archipresbitero Scardonensi, cum eiusdem Ecclesiae Clericis; Desimiro, Licensi Archipresbitero, cum Clericis eiusdem Ecclesiae; Radona, Busanensi Archipresbitero, cum Clericis eiusdem Ecclesiae; Decomiro, Nonensi Archipresbitero, et Petro Primicerio, cum reliquis eiusdem Ecclesiae Clericis, firma, stabilisque permaneat; per Cancellarium nostrum Albertum, S. Bartholomaei Praepositum, fecimus conscribi et insigniri propriis sigillis. Datum Spalati in Ecclesia S. Andreae Apostoli, per manum supra dicti Praepositi, Alberti, Cancellarii nostri.

Farlati: Illyricum Sacrum T. III. p. 213—214. — Katona H. C. R. H. Tom. IV. p. 300. sqq. — Fejér. Codex Dipl. R. H. p. 220.

(Idem Concilium per Vrbanum III. PP. eodem anno 1185 ratihabitum. Vide Fejér Codex Dipl. T. II. pag. 225.)

XXIX.

Anno 1194. die 9. Julii. apud Tinium.

Emericus, junior Rex, Regia auctoritate Dalmatiam et Croatiam gubernat.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Anno ab Incarnatione D. N. Jesu Christi 1194 Mensis Julii die nono, intrante indictione XII. apud Tynum. Regnante Domino nostro Bela, Serenissimo Rege Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, atque Ramae, et Almerico (Emerico) filio super Dalmatiam et Chroatiam. Quum nos, nempe Petrus Spalatensis Sedis Archi-Episcopus, una cum Mathaeo Nonensi Episcopo et Damiano Jadertino Comite, et Grubessa, Spalatino Comite, caeterisque Nobilibus, quorum nomina inferius subscribentur, in Ecclesia S. Joannis de Tyno, ad controversias, quod inter Templarios et monasterium SS. Cosmae et Damiani pro terris et aquarum decursibus vertebantur, resecandas, de mandato regio resideremus; post multas altercationes, et verba, quae memoratae Ecclesiae inter se habebant — — de voluntate utriusque partis suscipientes pro bono pacis, et concordiae, talem inter utrasque Ecclesias finem, et divisionem auctoritate regia composuimus. (Hinc limites describuntur; deinde ita prosequitur). Stabilimus etiam, vt si qua utriusque partis antiqua tutamenta vel scripta, praeter hanc nostrae Chartam constitutionis — — praesumserit; Omnipotentis Dei, Sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli, omniumque Sanctorum, et nostram maledictionem incurrat; fiatque anathema, et super hoc poena duarum librarum auri mulctetur. Quae omnia firma et rata esse volumus, praesente Gualterio Magistro, et fratre Aczo praeceptore et omnibus fratribus; et Dominico Abbate, Privioria monacho et Diminoschia monacho, cunctisque fratribus; coram idoneis testibus, Petro Sagarelle, et Tolmatio et Burello, presbiteris Spalatinis. De Jadertinis vero fuerunt testes hi: Petruna Cucille, Peitiz Vitache, Peitiz Michaelis, Georgius Soppe, Bitte de Juda, Bitte Prestantii cum fratre Grisogono, Petrus Saluradi Templariorum advocatus, et quam plures alii. De Sclavis vero fuerunt testes hi: de Dominis, Jupanus, Wlcominis Jupanus, Berisius Jupanus, Grubescia Gaudii Jupanus, et Slillizus Jupanus cum pluribus aliis. Fuerunt etiam testes ibidem hi venerabiles viri: Gregorius Antivarensis Archi-Episcopus et Vincentius Sancti Chrysogoni Abbas, cum suis monachis et multis de plebe. Et ego Basilius diaconus et Jadertinae Civitatis Notarius, qui interfui, hanc constitutionis et concordiae chartulam jussu jam dicti Archi-Episcopi Spalatensis, et Nonensis Episcopi, ac Comitum praescriptorumque testium rogatu, ut audivi, complevi, roboravi, et signo consveto signavi.

Farlati. Illyricum Sacrum T. III. p. 225. — Katona H. C. R. H. Tom. IV. pag. 428. sq. — Fejér Codex Dipl. Regni Hung. T. II. p. 296.

XXX.

Anno 1195. Jaderae.

Emericus seu Enricus filius Belae III. Regis, Dalmatiam et Croatiam, Rex junior, separatim gubernat.

Anno MCXCV. Indictione XII. Jadrae. Regnante D. N. Bela Vngariae, Dalmatiae, Ramae Rege, et Enrico eius filio, bis coronato, Dalmatiam et Croatiam feliciter gubernante, ecclesia Jadertina proprio pastore vacante, et Damiano inclito Comite eiusdem Comitatus principante etc.

Farlati Illyricum Sacrum. T. V. p. 65 ex tabulario Jadertino. — Fejér. Codex Diplomaticus Regni Hungariae. T. II. Vol. I. pag. 183.

XXXI.

Anno 1198.

Andreas, Regni Dalmatiae et Croatiae Dux, Regia auctoritate fungitur, atque Episcopatum Pharensem Archiepiscopatui Spalatino, cui etiam olim suberat, subjicit.

In nomine Sanctae Trinitatis et individuae Unitatis. Anno ab Incarnatione Domini 1198 Indictione prima. Ego Andreas tertii Belae Regis filius, Dei gratia Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Chulmaeque Dux in perpetuum. Quoniam Ducali Serenitati jura et dispositiones Regni sui licet.... et disponere; hinc est quod nos in Dalmatiam perambulantes, invenimus Episcopatum Pharensem suo pastore vacantem, ne igitur juri Ecclesiastico in aliquo derogaretur, diligenti inquisitione, cui Archiepiscopatui suffraganatus subjaceret, relatione vero Dalmaciae Episcoporum, et universorum Croatorum Principum percepimus, quod ex antiqua constitutione sub Spalatensi Archiepiscopatu fuisset. Nos vero relationi eorum attendentes, praetaxatum Episcopatum cuidam Spalatensi Canonico M. (Michae) contulimus, ac eundem Episcopatum Spalatensi Ecclesiae confirmavimus. Huius autem constitutionis pagina testimonio istorum facta est: Andrea Bano, Comite Macharia, Comite Joseph, Comite Marco, Comite Andromico filio Bani, Camerario Ducis Vençeslavo, Praeposito Gutifredo, Magistro Teobaldo. Datum per manus Petri filii Milka Ducis Aulae Notario.

Ex Registro Archiepiscopatus Spalatensis. Lucius de Regno Dalm. & Croat. Lib. III. cap. 13. & Farlati Illyricum Sacrum T. III. p. 228 & T. IV. p. 245.

XXXII.

Anno 1198.

Andreas, Dalmatiae et Croatiae Dux, regia auctoritate fungitur, atque suorum majoum, Geysae et Stephani Regum, dona, Archiepiscopatui Spalatino data, confirmat.

Ego Andreas Dei gratia Dalmatiae, Chroatiae, Ramae, Chulmaeque Dux, confirmo B. Domnio capellam S. Moysi & Sancti Stephani in Salona, cum omnibus ad eas pertinentibus in perpetuum, quas olim Patres nostri, videlicet Geyza Rex et Stephanus eidem Ecclesiae auctoritate Regia concesserunt, statuentes scilicet, ut non liceat alicui Bano, vel principi, seu cuilibet ministrorum nostrorum, hanc nostram confirmationis seriem infringere, vel ei ausu temerario contraire, aut ipsam Ecclesiam in aliquo aggravare, sive ejus jura diminuere. Qui autem aliter facere attemptaverit, iratum habeat trinum et unum Deum, et nostram indignationem incurrat. Anno Domini nostri Jesu Christi 1198. Bano existente Andrea, Georgio Tiniensi Episcopo, Michaele Traguriensi Episcopo, Michaele Scardonensi Episcopo, Matheo Corbaviensi Episcopo, Macharia Comite, Joseph Comite, Bea Comite. Hanc nostrae confirmationis paginam Petrus Ducis Aulae Cancellarius adnotavit, Praestaldo huius rei dato Vratislao filio Vratislai de Zagrabia.

Farlati. Illyricum Sacrum T. III. p. 228.

XXXIII.

Anno 1199.

Andreas, Dalmatiae et Croatiae Dux, regio jure utens, urbis Spalati libertates jurejurando confirmat.

Ego Andreas Dei gratia Dalmatiae et Croatiae Dux, juro super sanctas reliquias vobis Spalati principibus firmam pacem et libertatem; mihi quoque aut filio aut successoribus meis tributarii ne sitis. Episcopum vero, aut Comitem, quem Clerus et populus elegerint, confirmabo; et lege, antiquitus consti-

tuta, cum vestro judice vos uti permittam; partiumque introitus portus civitatis de extraneis duas partes Rex habeat, tertiam vero comes civitatis, etc. Datum anno 1199.

Farlati. Illyricum Sacrum Tom. III. pag. 5. — Katona Tom. IV. pag. 87. — Fejér. Codex Dipl. Regni Hung. T. II. pag. 375.

XXXIV.

Anno 1200.

Andreas, Dalmatiae et Croatiae Dux, agrum Dub, in suburbio Sibenicensi situm Ecclesiae SS. Cosmae et Damiani regio jure donat.

In nomine S. Trinitatis et iudividuae Unitatis. Andreas Dei gratia Dalmatiae, Croatiae, Chulmiaeque Dux in perpetuum. Quum antiquorum veterum prudentia, salubriter cogitans et providens in futurum, pia devotione sanxerit, ut quidquid beneficiorum in praesenti impenditur monasteriis, virisqe religiosis, ad salutem et remedium indubitanter transire debeat animarum, et divini refrigerii locum capere non dubitetur; piis instanter pulsati precibus Abbatis et fratrum de Monasterio SS. Cosmae et Damiani, dedimus terram Ecclesiae S. Grisogoni, quae est sita in suburbio Sibenig, ad duo aratra, excolendam et perpetuo possidendam. Terra autem vocatur Dub, ab arbore ibidem exorta. Praedictam itaque capelam S. Grisogoni a civibus praedicti castri fundatam et eorumdem voluntate praefato monasterio traditam, adeo volumus esse liberam, ut nemini liceat ab ea exigere quidquam ex debito, nec in decimis, nec in aliis, salvo duntaxat jure et honore dioecesani Episcopi; nos autem ipsi sumus tutores et defensores ejus. Sed quoniam memoriae novercatur oblivio; oblivionis enim ortus est memoriae defectus, ne hujus nostri facti series fuligine vetustatis caligetur, scripto commendari jussimus; ut autem firmius robur obtineat, Sigilli nostri impressione communivimus. Datum per manus Jacobi Praepositi, Magistri nostri et Cancellarii, Anno Dominicae Incarnationis MCC. Prestaldus autem Comes Domaldus. Jobagionum vero nomina, qui tunc aderant, et huic nostro facto testimonium perhibuerant, haec sunt: Bernardus Spalatinus Archi-Episcopus; Nicolaus, Jadertinus Archielectus; Georgius, Tiniensis Episcopus; Mog Comes; Nicolaus Banus, etc.

Farlati. Illyr. Sacr. T. IV. p. 8. — Katona T. IV. p. 592 sq. — Fejér. Codex Dipl. R. Hung. vol. II. p. 375.

XXXV.

Anno 1207.

Andreas Rex Almissanorum atque totius Regni Croatiae privilegia jurejurando confirmat.

In nomine Sancte Trinitatis & Individue Vnitatis. Andreas Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Rame, Seruie, Gallicieque Rex in perpetuum. Regie sublimitatis interest et equitas suadet naturalis, ut qui sua statuta a successoribus desiderant obseruari, ipse quoque suorum predessorum leges pari stabilitate studeat conseruare, ut nulla vetustate dissoluantur, que succedencium sibi Regum attoritatis stabilitate decreuerunt roborare. Inde est quod priuilegia a predecessoribus nostris glor(iose memorie) Regibus, videlicet auo, patre et cetera. Ego Andreas Dei gracia Hungarie Rex juro super Sanctam Crucem uobis Almusanis firmam pacem et libertatem. Mihi quoque aut filio meo (aut successori)bus nostris tributarii ne sitis, Episcopum vero aut Comitem, quem Clerus et populus elegerit, confirmabo, et lege antiquitus constituta cum uestro iudice vos uti permittam. In ciuitate quoque uestra ne(minem) Hungarorum aut alienigenarum habitare permittam, nisi quem voluntas vestra expecierit. Cum autem ad uos coronandus aut uobiscum negotia Regni tractaturus uenero, nemini ciuium uis inf(eratur d)omorum suarum, nisi quem dileccio uestra susceperit. Iudicem inter uos et extraneos a me constitutum in ciuitate sedulo commorari, nec eum extra urbem alias proficiscentem sui precepto aut sigillo causa (placitandi) concedo. Si quis uestrorum per meum Regnum terra marique (negocia) exercuerit, mihi aut alicui nostrorum hominum ex proprio commercio nullum persoluat debitum. Obsides a uobis nullo modo recipiam, sed in curia nostra seruire uolentibus rogam impendam, et morandi siue discendendi ad suum uelle facultatem optineant, nullaque eis super hoc molestia inferatur, aut si Dominium meum aliquem aggrauare uidebitur, et urbem meam exire uoluerit, secure cum uxore et filijs et familia et omnibus bonis suis quocunque sibi placuerit eat. Hoc autem absque fraude et ingenio ad detrimentum ciuium et ciuitatis in aliquo attinente obseruabo. Vt autem tam meorum predecessorum quam nostra concessio perpetuo robur optineat firmitatis, presenti eam pagina in noticiam deduci posteris, et Regie attoritatis sigillo jussimus roborari. Datum anno Dominice Incarnationis M° CC° VII°

(Bulla aurea pendens.)

Ex Transumpto Nicolai Bani totius Slavoniae. 1323. — Monumenta Hungariae Historica. Pestini 1860. Vol. VI. pag. 93.

XXXVI.

Anno 1207.

Andreas II. Hungariae Rex Spalatinorum atque totius Regni Croatiae jura confirmat.

In nomine Sancte Trinitatis, & Individue Unitatis. Andreas Dei gratia Vngarie, Dalmatie, Croatie, Rame & Servie, Gallitie, Laudomerieque Rex in perpetuum. Regie sublimitatis interest, & equitas suadet naturalis, ut qui sua statuta a suis successoribus desiderat observari, ipse quoque suorum Predecessorum santiones pari stabilitate studeat conservari, ut nulla vetustate dissolvantur, que succedentium sibi Regum auctoritas stabilitate perpetua decreverit roborare, Inde est, quod Privilegia a Predecessoribus Nostris gloriose memorie Regibus, videlicet Avo, & Patre nostro Civitati Spalatensi pro libertate concessa renovantes, verbo ad verbum presertim scripto nostro tantum apposito nomine, et numero annorum Domini secundum tempora, nostra immutato, hoc modo duximus inserenda. Anno Dominice Incarnationis Millesimo ducentesimo septimo. Ego Andreas Dei gratia Vngarie Rex. Juro super sanctam Crucem, Vobis Spaleti Principibus, firmam pacem & libertatem, mihi quoque, aut filio meo, aut successoribus nostris Tributarij ne sitis, Episcopum vero, aut Comitem, quem clerus & populus elegerit, confirmabo, & lege antiquitus constituta, cum nostro Judice Vos uti permittam, preterquam Introitus portus Civitatis de extrancis duas partes Rex habeat, tertiam vero Comes civitatis. In civitate quoque vestra neminem Vngarorum, vel alienigenarum habitare permittam; nisi quem voluntas vestra expetierit. Cum autem ad vos coronaudus, aut vobiscum Regni negotia tractaturus venero, nemini Civium vis inferatur Domorum suarum, nisi quem dilectio vestra susceperit. Judicem inter vos & extraneos a me constitutum vobiscum in Civitate sedulo commorari; nec eum extra vrbem alias proficiscentem sui precepto, aut sigillo a nobis causa placitandi sequendum concedo. Si quis vestrorum per meum Regnum, Terra, Marique negotia exercuerit, mihi aut alicui nostrorum hominum ex proprio comertio nullum persolvat debitum. Obsides a vobis nullo modo recipiam, sed in Curia nostra servire volentibus, regam, et impendam & morandi, sive discendendi ad suum velle, facultatem obtineant, nullamque eis super hoc molestiam inferam; at si forte Dominium meum aliquem aggravare videbitur & vrbem nostram exire voluerit, secure cum uxore, & filiis, et familia & omnibus bonis suis quocunque sibi placuerit eat. Hec autem omnia absque fraude, & ingenio ad detrimentum Civium & Civitatis in aliquo attinente observabo. Vt autem tam nostrorum predecessorum, quam nostra concessio perpetue robur obtineat firmitatis presenti, eam pagina in notitiam deduci posterorum, & Regie auctoritatis sigillo iussimus roborari. Datum per manus Roberti Albensis Prepositi & Aule Regie Cancelarij, Joanne Strigoniense Ar-

chiepiscopo, Bertholdo Colocense electo existentibus. Kalano Quinque Ecclesiensem, Boleslao Vacienensem, Katupano Agriensem, Simone Varaadinensem, Desiderio Chanadiensem, VlinoUltrasilvanas, Kallenda Vespriensem, Gottardo Zagrabiensem, Petro Geuriensem Ecclesias gubernantibus. Cheffano filio Stephani Bacchiense & Palatino Comite, & Cheffano filio Miche Bano & Saguriensi Comite existentibus. Jula Budugriensem, Nicolao Bichorrensem, Petro Curiali Comite Regine, Chenadiensem, Benedicto Suprinuensem, Alexandro Musoniensem, Ochuz Vesprinensem Comitatus tenentibus. Regni nostri anno secundo. — Ego Cumanus Clericus Communis Spalatensis Juratus Notarius, ut in authentica Regia bulla de auro bullato vidi, verbo ad verbum scripsi & consueto signo complevi.

Liber Pactorum Reip. Venetiarum T. V. p. 195. in caes. Archivio Viennensi.

XXXVII.

Anno 1209.

Andreas II. Rex civitatem Varasdinensem propter servitia in captivitate sibi exhibita privilegiis donat et insulae Zrepichar seu Žrepinec ultra fluvium Dravam in circuitu metarum ejusdem civitatis sitae mentionem facit.

In Nomine Sancte Trinitatis et Individue Unitatis. Andreas dei gratia hungarie, dalmacie, croacie, Rame, seruie, Gallicie, Lodomerieque Rex in perpetuum. Ordo Juris expostulat & racio exigit equitatis vt bone fidei contractus perpetue stabilitatis gaudeat firmitate, nec iniquorum fraudibus dissolvatur, que ab initio ex equitatis processerunt, hinc est, quod ad peticionem fidelis nostri Poch Palatini et Comitis Musuniensis et maxime fidele servicium hospitum nostrorum in vila Varasd commorancium quod nobis deuote fideliterque, dum in Kene detineremur in carcere exhibuerunt, pio affectu Regio considerantes, eis tam in presenti existentibus, quam eciam superuenientibus perpetuo Jure contulimus statum huiusmodi libertatis ac terram circumdatam vndique metis precepimus eis assignare. Libertas prenominatorum hospitum nostrorum hec est: quod Comes vel suus Comes Curialis non habeat potestatem eos iudicandi, sed inter eos quemcunque uolunt Judicem constituant, quem Rihtardum solent appelare, nullus autem Burgensis tributum & tricesimam solvere teneatur, nisi qui vadit in Theuthoniam cum suis mercimonijs de quolibet curru ponderato solvet tres denarios, de singulis vero equis venalibus duos denarios, de duobus Bobus vnum denarium, de tribus porcis vnum denarium, in portu drave de quolibet curru vnum denarium. Item idem Hospites tenentur soluere comiti eiusdem Castri in Festo sti Martini de qualibet curia duodecim denarios, quos Judex eorundem debet colligere, quocies autem comes ca-

stri renouatur, tenentur ei dare viginti cubulos vini, centum panes & vnum bouem. Si quis autem herede carens decesserit, libere disponat suam possessionem siue ecclesie seu cuilibet suorum cognatorum. Si quis vero uoluerit de villa recedere, venditis omnibus suis edificijs libere possit abire. Quicunque vero Burgensis per aliquem extraneum in rebus suis dampnum pateretur, et idem Malefactor ab eodem burgense in villa sua recognosceretur, Rihtardus eius loci inter eos faciat Justiciam. Prima meta terre eorum incipit de villa Ivanc, ab oriente et tendit versus meridiem ad arborem narfa vocatam & protendit vsque aquam Pline infra capellam sancti Petri, vadit super aquam ad occidentem, peruenitur ad riuulum qui vulgo dicitur Blizna, et per eundem riuulum vertitur ad meridiem, pervenitur ad quandam vallem & ascendit ad magnam viam, per quam itur ad Thopliz, ibi tenet metas cum Zelko, et cum terra Thoplicz, et inde per viam superius eundo peruenitur ad duas arbores Zilfa vocatas, inde tendit ad montem qui dicitur Pechize, vbi sunt cauerne in eodem monte, & progreditur versus occidentem vsque viam leuatam, ibi tenet metas cum Vekozlau & cum Gurdon in quodam laco aqueo, et inde gradiens per eamdem viam leuatam ad aquilonem pertransit pontem muratum & duos lacus. conterminatur ville Episcopi & tenet metas cum ea in quodam lacu. Deinde progradiens versus meridiem cadit ad predictum fluuium Plinc & exit ad quandam viam leuatam, itur per eandem, cadit ad aquam, que vulgo dicitur Bzenice, et per eandem itur ad occidentem, conterminatur ville Bere (Beretinec) & tenet metas cum ea, inde vadit ad caput aque, ibi cum Radomer tenet metas, deinde tendit ad aquilonem, cadit ad predictam aquam Plinc, inde conterminatur ville Domse & tenet metas cum ea. Deinde tendit ad magnam viam per quam itur ad terram Cruciferorum & tenet metas cum ea. Deinde gradiens ad aquilonem itur ad dumum Coruli, iuxta quem est meta, inde vadit ad viam, ibi est meta terrea circumfossa, inde vadit ad magnam viam per quam itur ad Theutoniam iuxta quam est meta terrea circumfossa, deinde vadit ad arborem que dicitur Zilfa iuxta quam est meta, ibi est conmetaneus Iner Iobagio Castri. Deinde vadit ad portum Drave fluuij magni, per quem fluuium circuit Insulam que vulgo dicitur Zrepichar, quam nunquam aqua separare possit ab hospitibus nostris. Deinde progradiens per maiorem cursum fluuij magni peruenit ad predictam villam Ivanc in qua gradiens priori mete conterminatur. Prestaldi autem nostri Gurdon de castro Greben, et Zelko terrigena de villa Pritice. Vt igitur hec Regia donacio ipsis ipsorumque posteris in perpetuum consistat, presentem paginam scribi et Sigillo nostro fecimus communiri. Datum per manus Magistri Thome aule Regie Cancellarij. Anno ab Incarnacione Domini M°. C°. C°. nono. Venerabili Johanne Strigoniensi Archiepiscopo. Reuerendo Bertoldo Colocensi electo et bano existentibus. Stephano Zagrabiensi, Calano Quinque-Ecclesiensi, Boleslao Waciensi, Capano Agriensi, Roberto Bespremiensi electo, Desmo (Desiderio?) Chanadiensi, Symone Waradiensi, Petro Geuriensi Ecclesias feliciter gubernantibus. Poch palatino et comite musuniensi, Michaele Vayvoda existentibus. Zacharia Comite tunc tempore Varasdiensi, Marcello Vaciensi. Jula Budrugiensi. Baneone bichariensi. Nicolao Kemeriensi. Ochuz Supruniensi. Moyse ferrei castri. Mocrone posuniensi. Buzad Geuriensi Comitatus tenentibus. Regni nostri anno Quinto.

Originalis membr. in Archivio Civitatis Varasdinensis Fasc. I. N. 1.

XXXVIII.

Anno 1210—1365. Jaderae.

Ludovicus Hungariae Rex, privilegium Cetinensi Comiti Joanni a Rege Andrea II. anno 1210 concessum confirmat; eadem occasione duodecim generationum Nobilium Regni Croatiae mentionem facit.

Lodouicus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque Rex, Princeps Salernitanus et honoris montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus presentibus pariter et futuris presencium noticiam habituris. Salutem in omnium Saluatore. Ea que in conspectu principum juris tramitte deciduntur, litterarum testimonio solent perhempnari. Id namque in concussum permanet, quod regio fuerit patrimonio communitum. Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod cum nos spiritus sancti gracia suggerente, que ad bonum suaderet vnumquemque, Serenissimam principissam dominam Elizabeth eadem gracia Reginam Hungarie matrem nostram karissimam, cum quibusdam ceteris Regni nostri prelatis et Baronibus, pro reformacione status Regnorum Dalmacie et Croacie, nec non jurium nostrorum regalium extirpacione, ac cuilibet querulanti pro exhibenda justicia, ad partes Dalmacie, specialiter in Ciuitatem Jadrensem destinassemus, demum eadem matre nostra vna(cum) eisdem prelatis et Baronibus Regni nostri sospes atque sana, deo duce ad nos reuersa, nobis inter cetera retulerat eo modo: Quod dum ipsa et ijdem prelati ac Barones nostri, in dicta Ciuitate Jadrensi, secundo die festi sancti Grisogoni in sede tribunali consedentes, causales processus quorumlibet litigancium in statera equitatis dimicari (?) et fine debito terminari inchoassent, Iwan et Lachkow fiilij Touordia et Tuerko filius Georgij Grubig, de medio aliorum causidicorum exsurgendo, contra virum strenuum comitem Iwan filium condam Comitis Nelepuch, Comitatuum de Orbaz et de Zana honorem tenentem et personaliter adherentem, graui cum querela proposuissent isto modo: quod ipsi in districtu de Chetyne ab auo et prehauo semper nobiles, et omni eo nobilitatis titulo, quo nobiles duodecim generationum Regni Croacie potirentur, vsi semper extitissent et hereditatem in dicto districtu Chetyne habuissent, et habere deberent. Sed idem Comes Iwan ipsos indebite et minus iuste exclusisset et eiecisset de eadem, nuncque ipsi per factum ipsius Comitis Iwan, eorum juribus sic indebite spoliati, ad extreme paupertatis inopiam deuenissent, et sub tectis iam latitarent alienis. Quo audito dictus Comes Iwan respondebat ex aduerso: vt ijdem Iwan, Lachkow et Tuerko nusquam in dicta Chetyne nobilitatem seu aliquam hereditatem habuissent, nec haberent, nullaque pars, seu porcio de eadem Chetyne ad ipsos pertinuisset vel pertineret, nec ipse eosdem eiecisset et excludisset de eadem, dictum uero di-

strictum Chetyne cum omnibus suis pertinecijs a nostra Regia collacione et nostre prouisionis dono racionabiliter conseruasset et nunc conseruaret, vigore priuilegialis littere nostre mediante, et ad ea corroborandum vt dictus districtus Chetyne semper de jure et legittime Regie collacioni pertinuerit, nosque ipsum tamquam nostre collationi pertinentem et nulli alteri debentem, sibi iusto juris titulo conferre valluissemus. Ibidem et instanti quoddam priuilegium olim Excellentis principis domini Andree Regis Hungarie, atthaui nostri karissimi felicis recordacionis, de anno M°. CC°. X°. confectum et emanatum exhibuisset. In quo inter alia expresse reperissent contineri; quod idem dominus Andreas Rex pro multiplicium et diuersorum seruiciorum preclaris meritis quondam Domaldy Comitis de Scibinik fillij Saracheni, quandam terram nomine Chetyna et Tryl, cum omnibus suis pertinencijs, eidem comiti Domaldo et suis heredibus perpetuo dedisset et donasset, et eundem in ipsius terre possessione seu dominium per Vlricum Teutonicum et Sclouignam pristaldos suos fecisset introduci. In quorum contrarium prelibati Iwan, Lachkow et Tuerko allegassent: quod pp. (?) ipsi alia priuilegia et litteras eiusdem domini Andree Regis in facto dicte Chetene (sic), tales que pretactum priuilegium per ipsum comitem Iwan exhibitum, reuocassent et inualidassent, habuerint. Tamen idem Comes Iwan eos captiuando ipsa priuilegia et litteras manu violenti ab eisdem abstulisset, et hoc conscienciose attestationi sulummodo sex juratorum per ipsos nominandorum submiterent incunctanter; ad que idem Comes Iwan in contrarium obiecisset, quod licet ipse prefatos Iwan, Lackow et Tuerco pro ipsorum census non solucione et servicij obmissione dudum detinuerit et captiuauerit, tamen nulla instrumenta et priuilegia ab ipsis abstulisset nec aliqua litteraria munimenta ipsos habuisse sciuisset, uel audiuisset, sicque in totali premissa accione eorumdem innocens esset penitus et immunis. Et cum eadem genitrix nostra ac dicti prelati et Barones nostri partium predictarum huiusmodi proposicionibus et obiectiuis allegacionibus perceptis et auditis viginti duos juratos pro exequendis juribus nostris regalibus in Regno Croacie per nos deputatos, quorum assercionibus eedem partes se finaliter spontanea eorum obmiserant voluntate, in eo; vt qualis ipsis de omnibus premissis et eorum singulis veritatis constaret certitudo, eam conscienciose sub prestiti juramenti forma ipsis indagarent, requisitos habuissent, ijdem viginti duo jurati, habito prius inter se diligenti scrutinio et tractato, parili voto et voce consona ipsorum nemine discrepante ad eorum fidem deo debitam et fidelitatem sacre corone nostre Regie ac nobis obseruandam, extitissent attestati: Quod idem Iwan, Lachko et Tuerko ac eorum predecessores, de nobilibus duodecim generationum regni Croacie ortum et originem non habuissent, nec haberent, sed bene verum foret, vt ipsi et vniuersitas nobilium Regni Croacie sepefatos Iwan, Lacko (sic) et Tuerko, in eo loco, quo residenciam fecissent personalem, semper numero et nomine nobilium conseruassent et reputassent. Sed quod iidem aliqua priuilegia et instrumenta in facto dicte Chetyne habuerint, vel quod ipse Comes Iwan pro ipsis Instrumentis ipsos captiuaverit et ab eisdem ipsa abstulerit, nunquam audiuissent et sciuissent, neque sciuerunt. Cum itaque dicta causa propter repentinum ipsius domine Regine matris nostre recessum de Jadra factum, nostre deliberationi et discussioni fuisset procelata, Nos demum, Zagrabie nobis personaliter existentibus, ultra premissam dictorum Juratorum attestationem, ex

superhabundanti affluencia de parcium maiori iusticia et jure certitudinaliter edocentes, et nostrum animum experimentaliter informari cupientes, de consensu eiusdem domine Regine genitricis nostre, prefato Comiti Iwan, vna cum Gregorio filio Budizlai Comite Corbauiensi et Pasman filio Petri de Karyn nobilibus et Juratis Regni Croacie, juramentum duximus imponendum. Qui quidem Comes Iwan cum dictis duobus suis coniuratoribus, super sanctam crucem et ad sancta dei ewangelia, tactoque viuifico crucis ligno, in eo, quod ipse prefatos Iwan, Lackow et Tuerko pro dictis eorum instrumentis litteralibus non captiuauerit, nec aliqua priuilegia et instrumenta ab ipsis abstulerit, nec eciam ipsos aliqua nobilitate et hereditate in dicta Chetyne et eius pertinencijs habuisse sciuerit, neque sciat, corporale prestiterunt Sacramentum, prout per nos extiterit adiudicatum; verum quia tam ex prefatorum viginti duorum Juratorum assercionibus, quam eciam plurimorum nostrorum fidelium certis relacionibus, predictum districtum Chetyne rite et legitime ad regias manus fore deuolutum, nostreque collacioni de jure pertinere, et ipsi comiti Iwan per nos tamquam Jus nostrum Regium olim racionabiliter collatum fuisse et esse cognouimus; Ideo una cum eadem domina Regina matre nostra, nec non dictis prelatis et baronibus regni nostri, ne falsitas veritati et iniquitas calumpniancium preiudicaret equitati, de eorundem domine matris nostre et prelatorum ac Baronum nostrorum consilio ... dictum districtum Chetyne cum omnibus suis vtilitatibus et vtilitatum quarumlibet integritatibus ac pertinencijs vniuersis, sub suis metis, terminis et limitacionibus in eodem priuilegio domini Andree Regis per nos priuilegialiter confirmato nominatis et expressis, prefato Comiti Iwan filio Nelepuch suisque heredibus heredumque suorum successoribus adiudicamus sententiamus et per presentis Iudicii nostri sentenciam appropriamus et perpetuamus sub premisso primarie collacionis nostre titulo, Iure perpetuo et irreuocabiliter possidendum, tenendum, pariter et habendum; pretitulatis vero Iwan, Lachko et Tuerko ipsorumque posteris, in facto dicte Chetyne et suarum pertinenciarum, ex nunc perpetuum silencium duximus inponendum, presentis priuilegii nostri patrocinio mediante. In cuius rei memoriam firmitatemque per presentes concessimus litteras nostras priuilegiales pendentis et autentici Sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus uenerabilis in Christo patris domini Nicolai Archiepiscopi Strigoniensis, locique eiusdem Comitis perpetui, aule nostre cancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno domini M°. CCC°. lx^mo. Quinto, Kalendis Januarij, Regni autem nostri anno decimo nono, venerabilibus in Christo patribus et dominis eodem Nicolao Strigoniensi, Thoma Colocensi, Nicolao Jadrensi, Archiepiscopis, Ragusiensi sede vacante. Nicolao Agriensi, Demetrio Waradiensi, Dominico Transilvano, Dominico Chanadiensi electo confirmato, Colomano Jauriensi, Ladislao Wesprimiensi, Michaele Wachiensi, Stephano Zagrabiensi, Petro Bosnensi, fratribus Stephano Nitriensi, Thoma Syrmiensi, Johanne Tyniniensi, Bartholomeo Traguriensi, Demetrio Nonensi, Stepheno Farensi, Valentino Macarensi, Mattheo Sibinicensi, Mich. Scardonensi, Protiua Sceniensi Ecclesiarum Episcopis Ecclesias dei feliciter gubernantibus, Quinqueecclesiensi et Corbauiensi sedibus uacantibus. Magnificis viris Nicolao Konth Palatino, Dyonisio Woyuoda Transsiluano, Comite Stephano Iudice Curie nostre, Iohanne Magistro Tauarnicorum nostrorum, Leustacio Sclauonie, Nicolao de Zeech Dalmacie et Croacie, Nicolao de Machow banis. Petro Zwdor pincernarum, Paulo de

Lyskaw dapiferorum et Emerico agasonum nostrorum magistris, ac magistro Konya Comite Posoniensi, alijsque quampluribus Comitatus regni nostri tenentibus et honores.

Originalis membr. in Archivio Regni Croatiae. N. R. A. Fasc. 483. N. 31.

XXXIX.

Anno 1217.

Andreas II. Hungariae Rex privilegia Ecclesiae Zagrabiensis confirmat, unaque monetam Regis Hungariae intra ambitum possessionum Episcopi et Capituli Zagrabiensis, licet ea nunquam in Regno Slavoniae ab aliquo Hungariae Rege introducta fuerit, extra communem usum ponit.

Andreas Dei gratia Hungarie, Croatie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerieque Rex — — — Habito Consilio Magnatum nostrorum, omnia Privilegia predicte Ecclesie (Zagrabiensis) in medio fecimus deduci, & per Cancellarium nostrum Vgolinum de verbo ad verbum coram multitudine perlegi, & cum nihil contradictione dignum poterat inveniri in eisdem, omnia privilegia nostra & predecessorum nostrorum renovando, secundum quod in eisdem singulis continetur, aureo sigillo nostro confirmamus, et etiam auctoritate nostra adjungendo, firmiter statuimus, ut de cetero nullus Banus, sive sit de regali progenie, sive de magistratibus Hungarie, presumat populos predicte ecclesie coram se aliqua occasione in Judicium trahere, aut alicujus rei occasione descendere, aut descensum petere, aut etiam marturinas, seu quamcunque collectam, quocunque nomine nuncupatam exigere, sed potius firmiter injungendo Bano sive Duci pro tempore constituto precipimus, quod decimas Marturinarum omnium, seu omnium collectarum, quocunque nomine episcopo plenarie, & sine contradictione aliqua & dilatione quantum limes episcopalis contendit, persolvat, decimam etiam omnium tributorum forensium, siue decimas proventus portuum quorum sunt, si illi solvere nolluerint, cogendo eos cum gravi Judicio, ut ceteris metus in similibus incutiatur, solvere compellat. Statuimus etiam firmiter, ut Populos Ecclesie, sive sint episcopi, sive Capituli in nullius foro tributum solvere compellantur, nec etiam tributarii vel salinarii regis, causa exercende sue negotiationis contra Episcopi voluntatem, vel Officialium suorum ad aliquod forum episcopi accedere presumant & si inventi fuerint, capti in Carcere quadraginta diebus detineantur, omnes res suas, quas tunc erga se habent, amittentes. Istud specialius adiiciendo statuimus, quod licet nunquam moneta regis in regno banatus sive ducatus facta fuerit ab aliquo rege, tamen

a successoribus nostris si fieri contingat, quod non credimus, populos ecclesie tam episcopi, quam capituli mercimonia sua emendo, vel vendendo, dare non compellantur pro eadem, nec etiam monetarii ad aliquod forum episcopi causa exercende monete accedere aliquomodo presumant, & si inventi fuerint, per quadraginta dies capti ab offiicialibus episcopi in carcere detineantur, omnes res, quas tunc erga se habuerint, amittendo. Hec igitur omnia predicta a Nobis & predecessoribus nostris statuta, que ab eis et a Nobis usque nunc sunt observata, sic firmiter imperpetuum a filiis & heredibus nostris volumus observari, ut in nullo excedere videantur, attentando aliquid contra Jura predicta tam a nobis, tam a fratre nostro felicis recordationis Rege Emerico, quam etiam a fundatore predicte ecclesie sanctissimo rege Ladislao, vel etiam ab aliis heredibus sive Ducibus suis concessa & collata; et si quis Banus, sive Dux, aliquid contra predicta Jura attentare presumserit, quod non credimus, si fuerit de Regali progenie, paterna maledictione incomprehensibilis amaritudinis in perpetuum percutiatur & nunquam ad coronam, quam hereditario iure habere debebat, attingere possit, sed toto tempore vite sue sit vagus & profugus, suisque se sociari non valens, sed semper aliena mendicans. Si autem fuerit de nobilibus hungarie, & citatus fuerit ab episcopo ad regis presentiam, ante quam episcopo respondeat, quinquaginta marcas fisco regio, et alias quinquaginta marcas episcopo, rege eodem fortius compellente, persolvat. Ut igitur hec omnia que a nobis, & ab omnibus predecessoribus nostris sunt collata et concessa, nostris nostrorumque successorum temporibus irrefragabiliter salva semper et inconcussa in perpetuum possint permanere, sigilli nostri videlicet auree bulle munimine fecimus roborari. Datum per manus magistri Vgolini aule regie cancellarii, anno ab incarnatione Domini millessimo ducentesimo decimo septimo. etc.

Originalinis membr. in Archivio A. Episc. Zagr. — Kerčelić. Hist. Ep. Zagr. p. 327. — Farlati: Illyricum Sacr. T. V. p. 358. — Fejér. Codex Dipl. T. III. p. 210.

(Idem Privilegium confirmarunt Rex Bela IV. a. 1269, Rex Stephanus a. 1272, Carolus Robertus a. 1318 et Rex Ladislaus IV. a. 1492. Originalia asservantur iu Archivio Archiepiscop. Zagrab.)

XL.

Anno 1218.

Privilegium princeps liberorum Comitum Regni Croatiae, in quo Generalium Congregationum Comitatuum primo mentio fit.

In nomine sanctae Trinitatis et indivividuae Unitatis. Andreas Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriaeque Rex

in perpetuum. Quamquam Regia sublimitas generosa circa universos suos fideles ministros ex innata sibi Clementia liberalis existat; ad illos tamen, quos pro suis honoribus ferventius desudasse agnoverit, dexteram suae munificentiae extendere et eos eximiarum praerogativarum honore merito tenetur illustrare. Hac igitur ratione salubriter amoniti, praesentium & futurorum notitiae clarescere per haec scripta volumus, laudabilem constantiam fidelitatis, & strenua multifaria servitiorum obsequia fidelium nostrorum Baboneg (Babonić) et Stephani Comitum de Vodicha, filiorum quondam Comitis Stephani de Gorichia, quos veriloquax praeconii fama et veritatis experientia de originali Domo et Stirpe generosa Ursinorum Romanae Urbis Senatorum propagatos testatur. Nam inter caetera eorum laudabilia seruitia, quae praesentibus stili officio taediosum esset denotare, sed memoraliter nostro cordi existunt inculcata; cum nos divino monitu versus terram sanctam sepulchri nostri Salvatoris ad defendendum in Brachio potenti, salubri cum prosperitate profecti fuissemus; idem Comes Stephanus, frater dicti Baboneg, non monitu nostro angariatus, quinimo clarae fidelitatis voto instinctus, ad nostrum decus, cum suis, et eiusdem fratris sui proximis familiaribusque notabilibus, satis honesto coetu & congruo armis condecenter fulcito, equitibus ducentis & quinquaginta, pecuniarum ipsorum propriarum in expensis, per iter continuum nostro felici in aditu et reditu nobiscum procedere, diuturna quoque & nocturna temporis nostri in custodia persistere, gravesque labores suferre, cum totali quippe animi sui fervore, claraeque sollicitudinis, et eximia fidelitatis puritate nobis adesse atque ministrare non dubitavit. Ob quorum itaque expertae fidelitatis constantiam et servitiorum praescriptorum merita, considerantes etiam ipsos de praedicta nobili Ursinorum prosapia propagatos fore, Baboneg et Stephanum fratres praedictos ipsorumque haederes ac successores universos, in praefato eorum Dominio Vodicha, quod piae memoriae quondam Henricus Rex, noster Praedecessor, de Commissione quondam divi Regis Belae patris sui, dicto quondam Comiti Stephano de Goricha et suis haeredibus pro fidelibus servitiorum suorum meritis, ut ex tenore ipsius Henrici Regis litterarum collegimus, in perpetuum dedisse testatur; quodque Dominium nos ejus novae nostrae donationis nomine denuo, ad humillimam ipsorum supplicationem, universis etiam haeredibus et successoribus eorum perenniter dantes atque donantes confirmamus, nec non insuper et in caeteris possessionibus quibusvis per ipsos vel eorum haeredes et posteritates acquisitis atque acquirendis, aequo et justo more, auctoritate plena ac potestate nostra Regia, Solium Regale considentes, Prelatis atque Baronibus et Proceribus erga nos existentibus ipsis annuentibus ac eorum de maturo consilio, facimus atque creamus, fecimusque & creavimus, tituli veri illibati et eximii Comites liberos; taliter et adeo, eoque modo, ut ipsi in perpetuum rato ordinationis et institutionis ac creationis nostrae prenotatae vigore mediantes possint atque valeant liberaliter uti, frui atque solemniter gaudere, singulis atque universis ritibus, immunitatibus, generosaque conditionis proceritate, nec non quarumvis libertatum majorum et minorum, generalium et praecipuarum, eximiarumque, praerogativis atque gratiis, quibus praecipue caeteri quidpiam veri, eximii ac liberi Comites Regni nostri, aut in aliis quibuscunque Regionibus constituti, uti atque gaudere dignoscuntur. Praesertimque insuper etiam eidem Baboneg et Stephano, et cunctis ipsorum haeredibus, hanc de plenitudine

Regalis clementiae gratiam perpetuo duximus largiendam, ut a Judicio & Jurisdictione Ducis Sclavoniae atque Bani, et quorumvis aliorum Judicum Regni nostri et Justitiariorum, praeter solummodo Regiae Majestatis, prorsus exemti et segregati habeantur, nec eosdem Judicio suo astare. Praeterea ut nec ipse Dux vel Banus, nec etiam Officiales quipiam nostri, vel ipsorum, collectas mardurinales, quas ipsis in resarcitionem et recompensam praefatarum eorum pecuniarum, ad honorem nostrum expositarum, perpetuo damus, in dicto comitatu ipsorum et Dominio taxare exigique et recipi debeant neque possint quovis modo. Ceterum etenim quid iisdem Dux seu Banus, aut ceteri quipiam Regni nostri Praelati, Barones et Justitiarii, ne per eosdem hujusmodi libertatum praerogativa per nos eis gratiose in aevum facta videantur in aliquo eorum casu eis praejudicium generari, in eisdem Comitatu, Dominio et Possessionibus dictorum Baboneg, Stephani et haeredum ipsorum descendere, ac in eisdem generales congregationes celebrare, ullo temporis futuri in processu, quoquomodo debeant nec praesumant. Quae singula per vos, Ducem et Banum Sclavoniae, ac Praelatos et Barones, nec non officiales Regios atque vestros quoslibet, pro tempore habituros, edicto firmo regii mandati praecipientes mandamus inviolabiliter observare, custodire, atque observari facere in perpetuum. Ut igitur praescripti liberi Comitatus creationis, nec non praerogativarum gratia, per omnia successorum nostrorum tempora salva semper permaneant et inconcussa, nec per quempiam in irritum valeant retractari, in perpetuam firmitatem earum, praesentem concessimus paginam sigilli nostri munimine roboratam. Datum per manus magistri Ugrini aulae nostrae Cancellarii, anno ab Incarnatione ejusdem Salvatoris nostri M.CCXVIII. Venerabili Joanne Strigoniensi, Reverendo Bertholdo Colocensi, Archiepiscopis existentibus. Calano Quinqueecclesiarum, Desiderio Chonadiensi, Wilhelmo Vltrasilvaniensi, Simone Waradiensi, Roberto Besprimiensi, Jacobo Wachiensi, Petro Geuriensi, Stephano Zagrabiensi, Thoma Agriensi, Episcopis, Ecclesias feliciter gubernantibus. Jula Palatino, Bankone Bano, Dionysio Magistro Thavernicorum et Comite novi Castri, Ropoin Waywoda, Ochus Comite Curiae Reginae, caeterisque Comitibus Comitatus habentibus. Regni nostri anno Quarto decimo.

Walvasor. Ehre des Herzogthums Krain. Bd. XII. pag. 37. — Fejér. Codex Diplomaticus Regni Hungariae. T. III. pag. 245.

XLI.

Anno 1224. 9. Kal. Jauarii.

Bela Rex junior, Croatiam et Dalmatiam auctoritate Regia gubernat, hocque nomine Jobbagionibus de Gorica terram Klokoč in confinio Banali sitam, donat.

In nomine sanctae Trinitatis et individuae unitatis. Bela Dei gratia rex, primogenitus regis Vngariae, vniversis, praesentem paginam inspecturis, salutem

et gratiam. Dignum est et omni ratione consentaneum, ut hi, qui Principibus pro tempore exhibent obsequium, sui laboris praemio non fraudentur; praecipue, ut alii eorum exemplo ad indefessae fidelitatis constantiam animentur, quos sui laboris praemia viderint assecutos. Hinc est, quod Radus et fratres eius de Klokoche: Zorian, Vezt, et fratrem ejus uterinum Damianum, cum fratribus suis, Zladech cum fratribus suis, Wranco cum fratribus suis, Blaz cum fratribus suis, Fridrich cum fratribus suis, Dobrogozt cum fratribus suis, Wlchan cum fratribus suis, qui de filiis Jobagionum sancti regis de Goricza oriundi fuerant, ob fidelitatis suae meritum, qua Patri nostro et nobis servierunt, tanta donauimus praerogativa libertatis, ut tam ipsi, quam ab eis in perpetuum descendentes, de domo et familia nostra de cetero censeantur. Quibus etiam terram de Klokoche perpetua donauimus libertate. Itaque de cetero ad jam dictum castrum nullum habeant respectum (subiectionis). Terra autem eorum his metis distinguitur. Prima meta est inter Gorizam et Gay; quae ab incolis dicitur Glaue. Inde per viam tendit ad campum, qui appellatur Berzopolye; inde vadit super caput fontis Illaibez, et venit ad caput rivi, qui vocatur Knesepotok, et per eundem rivum descendit in rivum dictum Koranna; per quem descendit ad pedem montis, qui dicitur Ozlyche. Inde ascendit per cacumen eiusdem montis, et descendit in rivum dictum Iwanpotok. Inde per viam tendit ad campum, qui vocatur Chittepolye (Kerč. Chiltepolye. = Čistopolje ?), et venit ad dumum, qui dicitur Velike greche; inde tendit per viam, et transit Glujam per ponticulum, et venit ad caput riui Pestenoga. Inde vadit per viam, et venit ad locum, qui dicitur Potochysche, ubi antiquitus fuit ecclesia. Abhinc tendit ad montem, qui dicitur Kerker (vel Kecker), et inde venit ad montem, qui vocatur Vtokaverch; inde venit ad locum, ubi rivus Tolstipotok cadit in Coraniza, et transit et ascendit in montem, qui appellatur Sucho. Deinde venit ad rivulum, qui dicitur Gerstina, et transit et venit ad salicem super Glinam, quam transit, et venit supra caput rivi, qui dicitur Skopchno, et tendit ad viam, quae venit de Seyne (Segnia); et per dictam viam venit super sylvam, quae dicitur Krote (vel Keote) Buchovia, et per eandem viam redit ad primam metam, quae vocatur Glave. Porro hospites, quos praedicti liberi homines habuerint infra metas praescriptas, decem denarios debent annuatim persolvere pro marturinis. Vnde quilibet de praefatis liberis hominibus tertiam partem marturinarum habet de suis hominibus, duae vero partes marturinarum totius terrae illius, quae ad jus nostrum pertinebant, Radus et haeredibus eius dedimus in perpetuum pro fidelitate et multimodis servitijs Patri nostro et nobis ab eo collatis. Quoties vero necesse fuerit, in exercitu nostro, quindecim loricatos, et centum pedites vernaculos expeditos habebunt. Vt igitur regni nostri consvetudo exigebat, dictam terram et libertates praetexatas saepe dictis liberis hominibus de Klokoche per Prestaldum nostrum Petrum filium Jorche de Zagrabia fecimus assignari. Vt autem tam nostra concessio, quam nostrae confirmationis series cum libertate a nobis concessa, perfectae robur obtineat firmitatis, praesenti pagina in notitiam deduci posterorum et Regiae authoritatis Sigillo iussimus roborari. Dati vero testes sunt; vt factum praesens ampliori robore fulciatur: Chak ComesBudrugensis, Allader (Fejér. Alexander) Magister, Martinus Banus, Bachia Comes Zagrabiensis, Andreas Magister. Hujus autem terrae indigenae, Guncellinus Archiepiscopus Spalatensis, Martinus Episcopus Corbauiensis, Michus Episcopus

Tinniensis, Herebertus Abbas Topplicae, Boncelaus Comes Gorizensis, et alii, quorum recitacio fastidium generaret. Datum est hoc privilegium per manus Mathiae Praepositi Zagrabiensis, tunc tempore Aulae regiae Cancellarii, anno ab Incarnatione Domini MCCXXIV. IX. Kalend. Januarias.

Kerchelich. Notitiae praelim. pag. 190. sq. — Katona exhibuit non integrum. Tom. V. p. 435. sq. — Fejér. Codex Dipl. R. H. Vol. III. p. 445 et 466.

XLII.

Anno 1225.

Bela Rex, primogenitus Andreae R. H., Turopoljensium stipites e servitio castri Zagrabiensis in coetum Nobilium Regiorum cum plena libertate transfert.

In nomine Sancte Trinitatis et indiuidue Vnitatis. Bela, Dei gratia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Gallicie, Rame, Seruie, Lodomerieque Rex, primogenitus Regis Andree, et rex in perpetuum. Cum a primo rerum exordio libertatis omnium equalis fuerit condicio, diuina consulit pietas, in id ipsum regia debet annuere benignitas, vt, pro quibus merita efficaciter interpellare iudicantur, ad pristinum libertatis aera (sic) restituendi fore censeantur. Cum ergo gloriosa res sit libertas, nullo nobilius remuneratur deuote seruientium libertas, quam eo, quod per fauorabilem donationem ad altiora prouehatur per gratiam, quod non habet per corrupte carnis naturam. Considerantes igitur multitudinem seruitiorum Budune et fratrum suorum Iwan scilicet et Lewcha, nec non et cognatorum suorum videlicet: Georgii, Iwan filii Ladislai, Birbizlai, Nicolai, Dobche, Miluani, Rodus, Tele, Roscue, et aliorum iuxta eiusdem generationis lineam descendentium, ab obligatoria seruitute castri Zagrabiensis eximentes, liberati inferioris officii vinculo gaudeant, et honesta societate seruientium regis, et concesse libertatis nobilitas in totam successionis eius prosperitatem transfundatur; introducti in participium regalis domus glorienter de libertatis munere, quod adepti sunt fidelitatis deuotione. Verum quia prolixitas temporum sua frequenti reuolutione fragilem memoriam hominum superinducendo consueuit frequentius eneruare, ea, quae per nos prouida circumspectione geruntur, scripture, que mater memorie dicitur, decreuimus mancipanda. Vt autem hec nostra concessio robur obtineat firmitatis, ac in perpetuum perseueret irretractabilis, presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum per manus Mathie Praepositi Zagrabiensis, tunc temporis aule nostre Cancellarii. Anno gratie MCCXXV. Venerabili Vgrino Archiepiscopo Colocensi existente, et Cathedra Strigoniensi vacante. Rudberto Wesprimiensi, Stephano Zagrabiensi, Episcopis existentibus; Alader totius Sclauo-

nie, Wonic de maritimis Banis existentibus, Chak Budrugien., Qonith Bacien., Iula ferrei castri, Comitibus existentibus. Pausa Tauernicorum, Andrea Dapiferorum, Bogomiro Pincernarum, Iwan Agazonum tenentibus magistratum.

Fejér. Codex Dipl. Regni Hung. T. III. v. II. p. 481.

(Confirmatae sunt Turopoljensium libertates a Bela IV. R. H. a 1255, a Stephano V. anno 1272, a Ladislao Chuno a. 1278, a Sigismundo a. 1456, demum ab Vladislao II. a. 1514.)

XLIII.

Anno 1226. Kal. Augusti. Spalati.

Colomanus, totius Slavoniae Dux, Traguriensi Ecclesiae in Dalmatia praedium regale Drid regali donatione confert.

In nomine Sancte et indiuidue Trinitatis. Iustis postulantium desideriis equum est regiam condescendere maiestatem, et vt ecclesiarum penuria regiis facultatibus subleuetur, a tramite non deuiare equitatis. Quum itaque nos Colomanus, Dei gratia Ruthenorum Rex, et largitate gloriosi patris nostri Andree, Hungarorum Regis, Dux Dalmatie atque Croatie, ad partes descendissemus maritimas, venerabilis vir, et idem fidelis noster Treguanus, episcopus Traguriensis, a sublimitatis nostre culmine suppliciter postulauit, vt ob salutem anime nostre, et ob requiem anime carissime quondam nostre matris Gertrudis Regine, locum, qui dicitur Drid, Ecclesie Traguriensi eleemosyne intuitu largiremur. Cuius postulationi grato concurrentes assensu, tum in salutem nostram, tum in requiem anime gloriose dicte nostre matris ipsum locum prenominatum, scilicet Drid, cum omnibus suis pertinenciis, et pascuis, sibi adiacentibus, montibus, vallibus, et terris vniuersis, que laborari possunt, ad eundem locum spectantibus, regali donatione in eleemosynam perpetue possessionis dicte Traguriensi ecclesie, et episcopo memorato, et eius catholicis successoribus concedimus, largimur, et donamus; reducentes in irritum omnem actionem, omnemque iurisdictionem, quam Vlcinna, Tragurii quondam Comes, in eum locum, ex commissione gloriosi patrui nostri Henrici, quondam regis Hungarie, vel Petrus de Chelmo, ex concessione fratris nostri Bele, seu alii quicunque ibidem dignoscuntur habuisse. Predium autem ipsum iste mete ab aliis locis diuidunt et distinguunt. Ab oriente maria, ab occidente Stelpona, ab aquilone terre Tragurii, que Mezlime appellantur; ab austro vero terre Monasterii Traguriensis terminant eundem locum. Ac ne huius nostre donationis eleemosyna retractari valeat in posterum vel resolui, sicut superiorem actionem et iurisdictionem personarum, ita et omnium priuilegiorum omniumque scripturarum vires contra hoc vndecunque apparentium exstinguimus,

et in perpetuum eneruamus; ita vt nullius aduersarii voci contra presens priuilegium audientia tribuatur. Hanc donationem per exequutorem nostrum, Stephanum Comitem, Episcopo et Ecclesie memorate contulimus, et presentis priuilegii charactere fecimus communiri; statuentes, vt nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostre donationis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Contra quam si quis ausu temerario contraire presumserit, triginta libras auri pena multetur; viginti quarum fisco regio exoluantur, decem vero ad vsum ecclesie deuoluantur, cui noscitur iniuria irrogata, et post hoc presens priuilegium in sui roboris permaneat firmitate. Acta sunt hec in presentia horum testium: Gunzello, Archiepiscopo Spalatensi; Michusso, Episcopo Tiniensi; Nicolao Episcopo Scardonensi; Valeginno Bano; Solomone Dimico Comite; Ioanne Comite; Vlch Comite; Paulo Comite; Vidislao Comite; Gregorio Comite de Breberio. Datum Spalati in Archiepiscopali palatio, per manus magistri Barnabe, aule regie Cancellarii, dominice Incarnationis MCCXXVI. XIV. indict. die Kalendas Augusti.

Farlati. Illyr. Sacr. T. IV. p. 337. — Katona Tom. V. p. 489 sq. — Huius Colomanni in Dalmatiam adventus meminit etiam Thomas Archidiaconus, dicens: „Post haec vero Colomannus, filius Andreae Regis, dux Sclauoniae, cum magno Principum Comitatu ad mare descendit; et a Spalatensibus multum honorifice susceptus.“ Historia Salonit. Cap. XXI. p. 584. — Fejér. Cod. Dipl. R. H. T. III. p. 90.

XLIV.

Anno 1231. die 9. Julii.

Amica inter Templarios in Dalmatia et Croatia et Colomanum Slavoniae Ducem diversarum litium compositio a Pontifice Romano Gregorio IX. rati habetur.

Gregorius Episcopus etc. Dilectis filiis Militie Templi de Ungaria salutem etc. Ea que iudicio vel concordia terminantur, firma debent et illibata consistere, et ne in recidive contentionis scrupulum relabantur, apostolico convenit presidio communiri. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem, que inter vos ex parte una, et Carissimum in Christo filium nostrum Colomanum Regem Ruthenorum illustrem ex altera, super quibusdam villis, domibus, possessionibus, animalibus et rebus aliis, quibus ab ipso vos causabamini contra iustitiam spoliatos, amicabiliter intervenit, prout in eiusdem Regis litteris plenius continetur, sicut rite sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem rei evidentiam, tenorem litterarum ipsarum de

verbo ad verbum presentibus duximus inserendum. Qui est talis. In nomine sancte Trinitatis et individue unitatis. Colomanus dei gratia Ruthenorum Rex et Sclavonie Dux, Universis tam presentibus, quam posteris presentes litteras inspecturis salutem et omne bonum. Licet omnibus fidei christiane cultoribus celsitudo Regia subvenire teneatur, hiis potissimum opera misericordie propensiori cura debet impendere, qui et crucem salutiferam ac sepulchrum dominicum contra cotidianum paganorum impetum proprii sanguinis effusioue laudabiliter ac devote confovere, pariterque protegere dinoscuntur. Fratrum igitur Militie Templi religiosam devotionem et assiduos labores, quos ab hostibus crucis Christi incessanter perferunt, considerantes, dignum et necessarium duximus omnes Templarios, qui infra Ducatum nostrum Sclavonie sunt, terminos tam in Dalmatia quam in Croatia, et omnia eorundem bona mobilia et immobilia ubique contra quemlibet hominem protegere, ut proposita sue devotionis regali gratia et virtute securi, tranquilla pace Regi Christi deserviant. Auctoritate nostra constituimus, ut nullus Dux, nullus Banus, nullus Comes vel Baiulus, nec aliquis alius in Ducatu nostro Sclavonie descensum, vel aliquod tributum, vel collectam, vel liberos denarios sive marturinas, vel denarios ponderis, vel hominum computum, vel exactionem aliquam sive aliquod onus cuiusquam publice functionis, quocumque nomine censeatur, a predictis fratribus vel eorum hominibus, sive yobagionibus super terram ipsorum commorantibus, pro quibuslibet rebus presumat exigere. Et quia nichilominus nostri est negotii, salubria predecessorum nostrorum instituta approbare atque defendere, omnia illa que a predecessorum nostrorum Regum Hungarie, sive Ducum Sclavonie munificentia prefate Militie Templi collata sunt, in perpetuum presentis scripti patrocinio confirmamus, et etiam communimus. Noscat iterum tam presens universitas quam futura, quod cum viri religiosi . . . Magister et fratres Domus Militie Templi per Ungariam et Sclavoniam constitute ad nos litteras apostolicas detulissent, per quas nobis a domino papa precipiendo mandabatur, monitione premissa, ut possessiones universas, quas ab ipsis receperamus, et de quibus ipsos minus iuste spoliaveramus redderemus universas, de dampnis illatis et irrogatis iniuriis tam a nobis, quam a subditis nostris satisfactionem condignam exhibendo. Ceterum cum iidem fratres ex parte alia litteras super hoc executorias auctoritate apostolica ad venerabiles patres, V. dei gratia Colocensem Archiepiscopum, B. Quinqueecclesiensem et S. Zagrabiensem Episcopos obtinerent, qui nos ad premissas possessiones oblatas restituendas per censuram ecclessiasticam cohercerent, quod ex instrumentis dictorum executorum ad nos directis extitit liquido manifestum: Nos pacem litibus preponere cupientes, et mandatis apostolicis, quantum possimus, ut tenemur, diligenter in omnibus obedire; preterea personas ecclesiaticas cum omnibus bonis suis, religiosas maxime, que se carnis concupiscentiis ac voluptatibus crucifigentes abdicarunt, prout Regiam decet excellentiam, protegere nec ipsas indebite molestare; multis indutiis a nobis super restitutione predictarum possessionum ab ipsis fratribus requisitis et obtentis, tandem diliberato cum Jobagionibus nostris consilio, dictis fratribus possessiones ablatas in integrum restitui decrevimus, ac restituimus universas, isto quidem tenore subiuncto, quod dicti Magister et fratres obligaverunt se nomine suo, ac suorum nomine successorum et domum suam, et insuper concesserunt, quod de dampnis illatis et irrogatis sibi iniuriis occasione rerum ac possesssionum, de quibus a nobis fuerant minus

juste spoliati, nichil omnino repetent a nobis, nec a nostris subditis aut ballivis; sed penitus condonantes remiserunt sub hac forma: Videlicet quod nos de cetero dictis fratribus, vel eorum Jobagionibus ac hominibus super terram ipsorum degentibus aut morantibus, nullas inferamus iniurias vel iacturas, nec a nostris subditis permitamus irrogari. Ceterum ad majorem hujus rei constantiam et observantiam habendam firmiorem, obligamus nos spontaneo nomine, nostrorumque pariter nomine successorum, quod libertates ac immunitates concessas eisdem fratribus, tam a nobis, quam a predecessoribus nostris Regibus Ungarie seu Ducibus Sclavonie, iuxta suorum tenorem privilegiorum ac indulgentiarum seu confirmationum sancte Romane ecclesie et sacrosancte sedis apostolice obtentarum, firmas, stabiles et illibatas perpetuo teneamur in omnibus conservare, tam super descensibus, quam super aliis universis exactionibus suprascriptis, que nostro dominio possent ad usum nostrum et fiscum Regium provenire. Confitemur etiam, quod nichil harum, que prescripte sunt, exactionum habemus in ipsos fratres, vel super terram ipsorum recipiendi vel exerendi potestatem, quia potius a premissis omnibus tam ipsi fratres, quam eorum homines liberi sunt penitus ac immunes. Promittimus insuper bona fide in verbo Regie veritatis et constantie pro nobis ac successoribus nostris, tenori privilegiorum dictorum fratrum in nullo de cetero contraire, nec ipsos aut ipsorum homines per nos, aut per subditos nostros quoscunque permittemus casu quolibet molestare: sed terras ac possessiones, quas habent ex donatione predeccessorum nostrorum in nostro dominio, de quibus extiterunt hactenus spoliati violenter, prout in ipsorum privilegiis continetur, plenarie restitui faciemus. Verum si, quod absit, per hostis humani generis fraudulentam nequitiam casu quolibet contingente proveniret, quod nos sepe dictis fratribus, vel eorum hominibus dampna vel iniurias aliquas personaliter inferremus, vel a nostris subditis permitteremus, et contingeret irrogari eorum libertates infringendo, vel contra ipsorum privilegia temerarie venire presumendo, et super hoc requisiti a Magistro sive fratrum suorum quolibet, iustitiam plenariam et maturam sine mora, dispendio vel dilatione qualibet nollemus condignam eisdem exhibere; Nos predictis fratribus dampna et iniurias eisdem vel eorum hominibus a nobis, vel a nostris subditis recenter illatas, nec non et dampna que prius habuerunt ac sustinuerunt ratione possessionum et terrarum, quas ab ipsis prius, sicut dictum est receperamus, que dampna remissa fuerant nobis ac subditis nostris, nos de bona voluntate nostra ac beneplacito nostro plenam ac liberam concedimus repetendi ac requirendi facultatem, tam a nobis, quam a subditis nostris, coram venerabili patre . . . Dei gratia Quinqueecclesiensi Episcopo quicunque pro tempore fuerit substitutus, eo iure et integritate, nec non et eadem auctoritate, quam prius obtinebat cum collegis suis per autenticum a domino papa delegatum, ita duntaxat, quod prefatus Quinqueeclesiensis Episcopus nos ac subditos nostros ad satisfactionem condignam ac restitutionem tam possessionum quam dampnorum prius vel posterius habitorum per censuram ecclesiasticam valeat compellendo cohercere. Ad maiorem quoque rei huius roboris firmitatem obligamus nos et successores nostros ad observationem omnium prescriptorum, supponentes nos ac successores nostros obligantes spontanea voluntate iurisdictioni dicti venerabilis patris . . . . Dei gratia Quinqueeclesiensis Episcopi, quicumque pro tempore fuerit in posterum substitutus, quod ipse Episcoqus per censuram ecclesiasticam in eadem forma, que sibi ac collegis suis exe-

cutoribus a domino papa fuerat commissa, nos ac subditos nostros compellat ad observationem firmam et stabilem omnium predictorum. Ut igitur hec inter nos et . . . Magistrum ac fratres domus Templi firmata pacis compositio, ac eisdem concessa libertatis donatio stabilitate perpetua irrevocabiliter perseveret, nec aliquibus successorum nostrorum temporibus valeat irritari, presenti eam pagina in notitiam deduci posterorum, et sigili nostri Regia facimus impressionis imagine communiri. Datum per manum Pascasii Agriensis Prepositi et aule nostre Caneellarii. Anno dominice Incarnationis MCCXXXI. Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Reate VIII. Idus Jullii Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. ep. 94. — Theiner. Monumenta vetera Hung. Romae 1859. T. I. p. 97.

XLV.

Anno 1231.

Colomanus, totius Slavoniae Dux, hospitibus ad castellum Walkow in inferiori Slavonia incolentibus immunitates quasdam regia potestate confert.

Colomanus, Dei gratia rex et dux totius Sclavoniae, salutem et omne bonum. Ne ea, quae aguntur, in tempore labantur cum eodem, prudentum stabilivit providentia, litterarum testimonio roborari. Ad universorum igitur volumus pervenire notitiam, quod nos Hospitibus juxta Castrum Walkow commorantibus, videlicet Teutonicis, Saxonibus, Hungaris et Sclavis, consilio et consensu omnium Jobagionum nostrorum, libertatem talem constituimus, ut omnem causam inter ipsos ortam, praeter effusionem sangvinis, major villae eorundem, quem ipsimet exposuerint, iudicare tenetur. Effusionem tamen sangvinis non per se, sed per Janitorem Castri possit iudicare, cum quo iudicium habeat commune. Statuimus etiam, quod de qualibet porta annuatim dimidium fertonem, transactis in novitate tribus annis dare teneantur; ita tamen, quod in festo S. Georgii tria pondera, in secundo festo S. Martini tria pondera persolverent. Statutum est eisdem, quod si quis sine heredibus ex ipsis decedere contigerit, pecuniam suam cuicunque vellet, possit disponere. Statuentes etiam eisdem: quod nullus absque serie iudicii de villa eorum ligatum aut vinctum possit quempiam extrahere. Et insuper ne aliquo indigeant, terram castri ejusdem nomine T. ad habitandum dandam ipsis contulimus integraliter, cum sylva terrae ejusdem nomine T. de qua domos extruendas, et curias praeparandas, liberum eis permisimus arbitrium; quibus etiam Danubium et fluvium Walkow piscandos libere permisimus. Statuimus etiam eisdem, quod si quis vult, libere veniat et libere, cum voluerit, omnibus rebus venditis et domibus recedat. Et ut haec talis a nobis facta dispositio in

irritum non possit revocari, consilio et consensu Jobagionum nostrorum praesentem sigilli nostri munimine jussimus confirmari; super addentes eisdem, quod nulla causa inter ipsos ad certamen duelli debet pervenire. Istis tamen Jobagionibus praesentibus: Jula Bano, filioque eiusdem altero Jula magistro Tavernicorum nostrorum, Nicolao de Zala, Opoi de Simig, Petro de Walkow, Georgio de Barana, Comitatus tenentibus, et aliis quam plurimis. Datum per manus Magistri File Nostri Notarii ab incarnatione Domini anno MCCXXXI.

Ex Collect. Kaprinaiana in 4. seu B. Tom. II. p. 7—8. — Fejér. Cod. Dipl. Reg. Hung. T. III. v. II. p. 237.

XLVI.

Anno 1232.

Colomanus, totius Slavoniae Dux, ab Andrea fratre in Regno suo Slavoniae armis petitus, Jobagyonibus castri Roicha (Rovišće?), ob eximiam ea occasione demonstratam fidem, terram Konjska regia potestate donat.

Colomanus, Dei gratia rcx Ruthenorum et dux totius Sclavoniae, omnibus scriptum inspecturis salutem ac omne bonum. Provida regum discretio tam circumspectam erga se semper per subiectos debet habere diligentiam, vt quanto quis de fidelibus famulatur, tanto propensius munificentiae suae donis remunerandus fore censeatur. Cognoscat igitur tam praesens universitas quam futura, quodquum Dragan, Draguech, filius ejus adolescens, jobagiones castri nostri de Roicha, nobis fidelem fructum, cum effusione sangvinum, eo tempore, quum frater noster dux Andreas, a quibusdam vesano ductus consilio, in regnum nostrum, videlicet Sclavoniae, violenter irruisset, exhibuissent; in recompensationem tot et tantorum laudabilium meritorum et commendabilium tam ipsis, quam suis heredibus heredumque suecessoribus, quamdam terram, Konzka vocatam, in Comitatu de Roicha existentem, dedimus, contulimus et donavimus iure perpetuo possidendam; ipsisque praesentem paginam sigilli nostri munimine roborando, consensu et consilio omnium jobbagionum nostrorum simul babito et desiderato, Julae bani videlicet; Julae magistri Tavernicorum; Demetrii magistri dapiferorum; Nicolai Comitis de Zala; Opoy Comitis de Symigio; Petri Comitis de Wlkov, Georgii Comitis de Barana, dare consensimus ac concessimus. Datum per manus Farcasii, aulae regiae cncellarii, et Egrensis Praepositi. Anno ab incarnat. Dom. MCCXXXII.

Fejér. Codex Dipl. Regni Hungariae. T. III. vol. II. p. 286.

XLVII.

Anno 1233. die 22. Septembris.

Colomanus, totius Slavoniae Dux, conditiones initae inter Regem Hungariae et Pontificis Legatum conventionis, se quoque servaturum promittit et juramento roborat.

Nos Colomanus Dei gracia Rex et dux tocius Sclavonie, omnibus presentes litteras inspecturis facimus manifestum, nos vidisse et habuisse litteras sigillo domini A. Illustris Regis Ungarie patris nostri, et notasse capitula singula diligenter super compositione habita inter venerabilem patrem Jacobum Prenestrinum Electum, apostolice sedis legatum, ex una parte, et predictum dominum Andream Regem ex altera, super negociis ecclesiarum Ungarie et aliis, et tenore presencium promittimus et iuramus, quod omnia et singula in compositionem predictam deducta, que nos tangunt, et de cetero tangent, observabimus, nunc et in futurum: et ad ea, que tangunt vel tangent Regem Ungarie, dabimus rogando et consulendo operam, quod Rex, qui est et quicumque pro tempore fuerit et omnia capitula et singula debeat observare. In cuius rei testimonium presentes litteras, ad petitionem dicti legati, Sigillo nostro fecimus communiri.

Theiner. Mon. Vet. Hung. P. I. p. 119.

XLVIII.

Anno 1234.

Colomanus Dux villae Verevče (Verovitica) Regia potestate libertates et jura concedit.

Colomanus, Dei gracia Rex et Dux tocius Sclauonie, vniuersis presens scriptum inspecturis Salutem et omne bonum. Que aguntur in tempore ne labantur cum eodem, prudencium stabiliunt ea litterarum testimonio roborare. Noscat igitur tam presens vniuersitas quam futura: quod nos hospitibus nostris de magna villa Wereuche, tam ad presens existentibus quam superuenientibus talem constituimus libertatem: vt et libere uenire possint cum omnibus pecunijs suis,

et recedere quo uoluerint absque diminucione omnium rerum suarum, tam domibus suis venditis, quam alijs suis necessarijs. Preterea concessimus ijsdem, quod si quis sine herede decesserit ex ipsis, possit libere pecuniam suam et omnia quecunque habuerit cuicunque voluerit, siue cognatis suis, siue pro remedio anime..... Item constituimus eis, quod nobis de qualibet porta quatuor pondera persoluere cum statera loci teneantur, siue plurime sint posite mansiones in vna curia. Preterea constituimus quod nullus Iudex in causis eorum ipsos possit iudicare, nisi solummodo villicus eorum pro tempore constitutus, cum ciuibus ville eiusdem cum Iuratis, qui quidem coniurati ad facienda Iudicia fuerint computati (compuocati) seu destinati. Preterea statuimus eis iuxta libertatem ipsorum, vt in maiorem ville vnum ex ipsis quem voluerint eligant, et nos confirmamus, relinquentes hoc in voluntate ipsorum, vt annuatim probato termine (sic) maioris ville eorum deponere possint. Statuimus eciam eisdem, vt tributum in nullo loco dare teneantur extraneo. Item constituimus eis concedentes, quod neque equos, neque curus, qui p o w o z vocantur, nec legaciones defere, nec victualia aliqua, nisi vna die pro munere, nec victualia Bani, que **Z a l u s i n a** vocantur, dare teneantur. Et vt hec talis a nobis concessa libertas non possit reuocari , consensu et consilio omnium Iobagionum nostrorum, videlicet Iule Bani filioque eiusdem Iule magistri Thauarnicorum, Nicolai Comitis de Zala, Opoy Comitis de Symigio, Georgij Comitis de Wolko et aliorum, literas nostras sigilli nostri munimine roboratas dare concessims. Datum anno ab Incarnatione Domini Milesimo CC° tricesimo quarto.

Originalis membr. in Archivio Regni Croatiae. N. R. A. Fasc. 590. N. 19.

XLIX.

Anno 1239.

Potestas Ducis Slavoniae ad Comitatum etiam Valkoviensem extenditur, atque apparet, eundem Comitatum secundum consvetudinem regni Slavoniae decimas marturinarum pendere debuisse.

Nos Bartholomeus, D. gr. Quinqueecclesiensis Episcopus, totumque ejusdem loci Capitulum, omnibus praesens Scriptum cernentibus, salutem in Domino. Quum omnium habere notitiam atque memoriam et in nullo penitus dubitare, potius sit Divinitatis, quam humanitatis; hinc est, quod priorum, posteriorumque per praesens Scriptum transmittimus notitiae, quod, quum controversia inter excellentissimum dominum nostrum Colomannum Regem et totius Sclavoniae ducem,

ex una parte, et magistrum domus templi in Hungaria et Sclavonia, dudum iam verteretur, super medietate terrae de Licenissa in Comitatu de Possega, et pro terra de Maladin in Comitatu de Dobicha (Dubica); ad pacem inter ipsos reformandam et ad majus malum euitandum, de consensu totius supradicti nostri capituli, pro decimis marturinarum totius comitatus de Volco, et de Kraigna (Krajina) a supradicto domino nostro Colomano Rege in concambium nobis traditis integraliter, decimas nostras de Licenissa et de Nessicha (Našice) dictae domui templi dedimus permutandas, et in perpetuum concessimus pacifice possidendas. Si autem in supradictis terris de Licenissa et de Nessicha auri vel argenti Fodina reperta fuerit; decimae proventuum auri vel argenti de parte saepe dictae domus templi, ad nos vel ad successores nostros integraliter devolvantur; et utrum de parte domini regis apud ipsum intercedere velimus, nostrae relinquimus voluntati. Et ne super hoc apud hujus concambii ignaros in posterum possit orriri dubietas; praesentem paginam nostrorum Sigillorum munimine praefatae domui templi concessimus roboratam. Datum Quinque Ecclesiis mense Majo, Anno Gratiae MCCXXXIX. Farcasio Praeposito S. Petri existente, et Helia praeposito S. Johannis, M. Thoma Lectore S. Petri, Jurcone Cantore, Theodoro Custode, magistro Cancellario Archidiacono Marchia, Tunpino Archidiacono de Tolna et magistro Desiderio Archidiacono de Kraigna tum existentibus.

Ex authographo, asservato Quinqueecclesiis. Koller. Epp. Quinqueeccl. T. II. p. 112. — Katona H. G. Tom. IV. pag. 875. — Fejér. Codex Dipl. Reg. Hung. T. IV. vol. I. p. 172.

L.

Anno 1240.

Colomanus, Slavoniae Dux, comunitati Petriniensi in confinio Banali sitae potestate regia libertates et jura confert.

Colomanus dei gracia rex Ruthenorum et dux tocius Sclauonie omnibus Christi fidelibus, ad quos presens scriptum peruenerit, salutem in eo qui dat salutem regibus. Cum de beneuolencia ac de predestinacione summi regis ad hoc sumus preordinati, ut singulis in iurisdiccione nostra constitutis simus secundum apostolum in iusticia debitores, propensius et specialius hospitibus, qui nostrum sibi senserint subsidium profuturum, debite uolumus iusticie exercere complementum. Hinc est, quod nos tam presencium quam futurorum uolumus noticie declarare, quod hospitibus nostris in Petrina commorantibus, talem hoc modo concessimus libertatem: ut ipsos nullus iudicum nostrorum preter maiorem ville eorum,

quem voluntarie elegerint, audeat iudicare, et si ab ipsorum iudice conquerentibus satisfieri non poterit iudex eorum in nostram presenciam et non alias, super ipsa causa citatus debeat et teneatur respondere, et si ipsi alias coram iudice quemquam impeterent super aliquo, eis iudicetur iuramentum. Statuimus eciam, quod si banus eis ad valorem unius marce dampnum faceret, in centuplo restitueret eisdem, tamen bano non aliud, nisi domos suas occasione descensus dare teneantur, pro aliis uero necessariis precium recipiant, et si aliquis ipsorum prole caruerit, tam ipso uiuente, quam ab hoc seculo transmigrante, bona sua cuicunque uoluerit libere conferat retinenda; et si aliquis de villa super equo vel boue calumpniaretur ab aliquo, pro quanto sacramentum facere presumpserit, sibi calumpnias testibus astantibus restituat, et res pro qua causabatur ad requirentem euoluatur; et si quis ipsam villam intrare uoluerit moraturus, omnia bona sua, domos suas et alia que possidet, omnibus scientibus liberam habeat vendendi facultatem, et recedens de villa retineat eandem. Et statuimus, ut sacerdotem quemcunque voluerint, in suam recipiant ecclesiam, de decimis eorum, prout mos est hospitibus ubicunque manentibus disponentes. Terram autem Gurgus et terram Waratuk sine herede decedencium, et eciam terram cruciferrorum, quam in concambio habuimus, que vulgo Haaco et Potok uocatur, metis distinctis undique eisdem conferentes, quarum mete quemadmodum ab andrea homine nostro ad hoc dato, referente, percepimus sunt hec: prima meta incipit a meridionali parte de duobus quercis, inde descendit ad puteum et inde descendit per aquam putei in fluuium Dragun, et inde superius tendit ad viam magnam, et per eandem vadit usque ad arborem qui sclauonice dicitur Ozkurus, inde per vallem superius ad uineas de Dobuk, inde per magnam uiam ducit ad arborem castane, et per semita ducit in longitudine montis, usque ubi descendit subtus piscinam, inde ascendit usque ad tres metas et inde inferius in Petrinam, et sic per fluuium Petrine ascendit usque ad fluuium Belypotok, et per eundem ascendit per magnam uiam antiquam in Damasingran (sic) et inde inferius ueniendo ascendit ad arborem piri, et inde in montem, et per eundem uenit in uiam que exit de Blyna (sic) et per illam inferius in precopam, et inde uenit in metam terream, et inde subtus Strizichy, transeundo quandam aquam, peruenit in quandam arborem piri, et inde uadit in Cochinam et inde ad caput eiusdem, et inde supra montem uadit in uiam, que ducit in Rauna, ibique supradictarum terrarum mete terminantur. Preterea cum ipsam villam hospitibus omnimode cupiamus pluribus ampliari, terram etiam Kenesepola nomine integraliter, saluis videlicet populis ibidem existentibus, cum porcione vooy et generacionis ipsius, nec non et filiorum alpetri, qui de propria voluntate eorum, eundem seruicium quod et hospites susceperunt, terris iam dictorum hospitum nostrorum adiunximus usui eorum et illorum statuentes possidendam, preter Zolnam. Nec hoc tamen sub silencio voluimus preterire, quod predicti hospites nostri nobis annuatim pro collecta centum pensas et pro tributo fori triginta pensas soluere tenentur, et similiter predicta terra Kenesepola centum pensas. Et ut hec talis a nobis concessa libertas in dubium ulterius non possit reuocari, consensu et consilio omnium Jobagionum nostrorum, videlicet Nicolay bani, ac magistri Towarnicorum, Demetrii magistri dapiferorum et comitis de Budrug, Arnoldi comitis de Symigio, Martini comitis de Zala, et aliorum, litteras nostras sigilli nostri munimine roboratas dare concessimus. Datum per magistrum Fyle, dilectum ac fidelem nostrum prepositum

Zagrabiensem, et aule regie nostre cancellarium. Anno ab incarnacione domini. Millesimo ducentesimo quadragesimo.

Originale in Archivio Regni Croatiae N. R. A. 1531. Nro. 3.

(Confirmatum est idem Diploma a Rege Bela IV. a 1242, a Stephano V. anno 1271, et Ladislao IV. a. 1274.)

LI.

Anno 1242.

Bela IV. Rex civibus de Samobor insignes libertates, a Colomano totius Slavoniae Duce concessas, confirmat.

Bela, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Choruacie, Rame, Seruie, Galicie, Cumanieque Rex, omnibus Christi fidelibus, presens scriptum inspecturis, salutem et omne bonum. Vbicunque nostri nominis interuentu posse credimus aliquibus subueniri, pium nos decet adhibere favorem; presertim ne uel veritas ocultetur, aut iniquitas preualeat equitati. Eapropter ad noticiam vniuersorum uolumus peruenire, quod accedentes ad presenciam nostram hospites nostri de Zumobur, prope castrum Oclych existentes, humiliter a nobis flagitarunt et instanter, vt modum et statum libertatis eorumdem de gracia et prouidencia pie memorie regis Colomani, karissimi quondam fratris nostri, iuxta tenorem libertatis hospitum de Petryna, liberaliter concesse, nostrarum auctoritate literarum dignaremur confirmare. Nos itaque, considerata eorum vtilitate, precibus ipsorum fauorabiliter annuentes, sub libertate iam prefata ipsos duximus perpetuo statuendos. Cuius seriem in priuilegio memorati fratris nostri taliter uidimus contineri: vt videlicet ipsos nullus Iudicum nostrorum, preter maiorem ville eorum, quem voluntarie elegerint, audeat iudicare; et, si ab ipsorum iudice conquerentibus satisfieri non poterit, iudex eorum in nostra presencia et non alias, super ipsa causa citatus, debeat et teneatur respondere; et si ipsi alias coram iudice, quemcumque impeterent super aliquo, eis iudicetur iuramentum. Statuimus eciam, quod, si Banus eis ad ualorem vnius marce dampnum faceret, in centuplo restitueret eisdem. Tamen Bano non aliud, nisi domos suas occasione descensus dare teneantur; pro aliis uero necessariis precium recipiant. Et si aliquis ipsorum prole caruerit, tam ipso uiuente, quam a seculo transmigrante, bona sua, cuicumque uoluerit, libere conferat retinenda. Et si aliquis de uilla super equo vel boue calumpniatur ab aliquo pro quanto sacramentum facere presumserit; sibi calumpnians, testibus astantibus, restituat, et res, pro qua causabatur, ad requirentem deuoluatur. Et, si quis ipsam uillam intrare uoluerit moraturus, omnia bona sua, domus videlicet, et alia,

que possidet, omnibus scientibus, liberam habeat uendendi facultatem, et recedens de villa retineat eamdem. Statuimus eciam, vt sacerdotem, quemcunque voluerint, in suam recipiant ecclesiam; de decimis eorum, prout mos est hospitibus, vbicumque manentibus, disponentes. Mete autem terrarum dictorum hospitum nostrorum de Zumbur, sicut per litteras nostri fidelis comitis Stephani, fratris Bobonegh, qui ad id cognoscendum specialiter per nos fuerat destinatus, intelleximus, hoc modo distinguuntur: prima meta incipit de Thopol, et tendit ad fontem vnum, deinde tendit ad Brenilaz, deinde per siluam tendit ad Rochoyca, vbi due aque simul ueniunt, deinde sursum tendit usque quod uulgo dicitur Pyzni, deinde per montem iterum tendit ad Rocoycha (sic), deinde ad Brezthoycha, et postea vltra montem tendit in riuum Chernych, deinde ad Lipoicham, deinde per montem tendit ad Grabonicham, et deinde per eundem montem, qui uulgo dicitur Pozorin, tendit ad Gradna, et deinde descendit ad uiam, per quam uiam iuxta Presekam ascendit ad montem et per eandem uiam descendit ad fontem Byzterch, et per Byzterch uadit et sub Boboycha exit, et iterum tendit ad priorem metam Thopol. Nec hoc tamen sub silencio uolumus preterire, quod predicti hospites nostri nobis annuatim pro collecta centum pensas, et pro tributo fori triginta pensas soluere teneantur. Vt igitur enarrate libertatis series sepe dictis hospitibus salua semper et irreuocabilis permaneat; presencium ipsam auctoritate ac dupplicis sigilli nostri impressione propensius confirmamus. Datum in villa Vereucha Anno Dominice incarnacionis. Millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, regni uero nostri anno octauo.

Originale membr. in Archivio Communitatis Samoboriensis Fasc. I. N. 1. Habent quoque sat erronee: Kerčelić. Notit. praelim. pag. 458. — Katona Tom. V. pag. 1066. — Fejér. Codex Dipl. Regni Hungariae Tom. IV. vol. I. p. 264.

LII.

Anno 1242. 16. Kal. Decembris.

Bela IV. Rex civitati Montis Grecensis seu Zagrabiensis insignes libertates et jura confert.

In nomine Sancte Trinitatis et indiuidue Unitatis. Amen. Bela dei gratia Hungarie, Dalmatie, Chroatie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex in perpetuum. Regum celsitudo requirit et sublimium dignitati debetur, ut tanto amplius in multitudine plebis gaudeat, quanto ipsi auctoritate ceteros antecellunt. Hinc est, quod tam presentibus quam posteris harum serie declaramus, quod cum nostre placuisset uoluntati in Zagrabia in monte Grech ciuitatem liberam construere et ibidem hospites conuocare, et illam partem regni ad securitatem confinij et alia commoda munire et firmare, conuocato consilio, cum dilecto et fideli

nostro Dionisio bano totius Sclauonie et aliis regni principibus, nostram hanc intentionem et uoluntatem unanimiter approbantibus, nostrum propositum perduximus ad effectum, concedentes, ut in predicto monte libera ciuitas fiat, hospites libere conueniant, terras et possessiones conditiones et libertates a nobis assignatas et subscriptas habeant, teneant et custodiant inconcussas. Conditiones itaque et libertates hospitum predictorum, in predicto monte habitantium et conuenientium ,quas ipsi inter se fecerunt et nos approbauimus, tales habentur. Quod si ijdem hospites in districtu Hungar., Dalmat., Choroat. (sic), Sclauon. spoliati per latrones uel alios malefactores fuerint, dominus terre, in qua spoliati fuerint, estimata quantitate pecunie, iuxta arbitrium bonorum virorum et sacramentum conciuium, ad hoc electorum, uel ablata refundat, uel malefactorem ostendere teneatur. Item tributa, infra regales terminos, in nullo loco soluere teneantur. Item quiscunque ciuis alium ciuem uituperiis, obprobriis, aut contumeliis affecerit, si inde conuictus fuerit, leso decem pensas, in communes expensas centum denarios soluat; quod si post trinam correctionem se non emendauerit, rebus omnibus in commune applicatis, tamquam infamis de ciuitate turpiter expellatur. Si quis etiam alapam alteri dederit, uel per crines maliciose traxerit, eandem penam patiatur. Si quis uero cultello, gladio, lancea, aut sagitta, aut aliquo tali modo alium uulnerauerit, uulneratusque sine defectu membrorum resanatus fuerit, medico lesi satisfaciat, et leso uiginti quinque pensas, quinque uero ad vsus ciuitatis persoluat; si uero in aliquo membrorum debilitatus fuerit, medico lesi satisfaciat, et leso decem marcas, et ad vsus ciuitatis decem pensas soluere teneatur; si uero mortuus fuerit, due partes rerum suarum cedant Parentibus occisi, tertia pars ciuitati; si uero captus fuerit, secundum consuetudinem de ipso uindicta sumatur; nisi quis in ludo sine premeditata malitia aliquem interfecerit: in hoc enim casu centum pensas agnatis interfecti, uiginti uero pensas ad communes usus refundat interfector; cui si facultas non suffecerit, ciuium arbitrio relinquatur. Item si quis de extraneis intrans ciuitatem siue in uico, siue in domo, siue in foro similia ut supranotatum est perpetrauerit, per iudicem ciuitatis iudicetur, et eisdem penis subiaceat condempnat(us). Si vero ex incolis ciuitatis aliquis siue extraneus infra terminos ciuitatis in furto uel latrocinio deprehensus fuerit, per iudicem ciuitatis puniatur. Item si quis extraneus aliquem de ciuitate in causa pecuniaria uel illata iniuria uoluerit conuenire, coram iudice ciuitatis conueniat, et nulla causa ad duellum iudicetur, sed per testes et iuramenta terminetur, siue sit cum extraneis siue cum indigenis. Testes autem eiusdem conditionis et libertatis, cuius fuerint isti, assumantur. Eodem modo siue extraneus conueniat apud incolas, siue incola apud extraneos equum aut bouem aut aliquas res furtiuas, semper testes ut supradiximus producantur. Item ciues de predicta ciuitate uel Jobagiones de uillis ad ipsam pertinentibus, que prope territorium ipsius ciuitatis fuerint site, nullius iudicion(isi) iudicis ciuitatis astare teneantur. Quod si iudex suspectus habebitur, et actor legitimam causam recusationis allegauerit, conuocatis omnibus maioribus ciuitatis ipso iudice presente negocium decidatur, de quorum sententia si adhuc contingeret dubitari et actor inportunus eos ad regis citauerit presentiam, solus iudex pro aliis omnibus ad regem ire teneatur. Eodem modo pro quacumque causa iudicem ciuitatis et ciues, uel ciues solos ad regis presentiam quis citaret, non tenetur ire nisi solus iudex ciuitatis. Et si quis aliquem ciuem uel ciues, non requirens antea iusticiam sibi fieri a iudice ciuitatis, ad regem citauerit; pro

illo uel illis iudex ire tenebitur et ei citator refundet expensas, eo, quod contempta auctoritate regalis priuilegii, sibi cogniti, irrequisito iudice ciuitatis, fatigauit eum frustra laboribus et expensis. Ciues autem liberam habeant undecumque uoluerint eligendi facultatem iudicem ciuitatis nobis presentandum, et mutandi eundem annuatim pro sue arbitrio uoluntatis. Item si quis de ciuitate sine herede decesserit, de rebus suis mobilibus liberam habeat disponendi cuicumque uoluerit facultatem. Res uero immobiles, domos, curiam, uineas, terras et hedificia, suorum conciuium habito consilio, uxori sue uel alicui cognatorum suorum relinquat, ita tamen, quod nec per ipsum, nec per uxorem, nec per cognatos a iurisdiccione ciuitatis possit alienari, uel eximi, uel auelli. Item, si quis intestate decesserit et nec uxorem, nec filios, nec cognatos habuerit; due partes rerum suarum per uiros fide dignos, consilio ciuium ad hoc deputatos, pauperibus et ecclesie eiusdem ciuitatis distribuantur; tertia uero pars in utilitatem ciuitatis reseruetur. Item statuimus, quod in eadem ciuitate forum sollempne duobus diebus in hebdomada, uidelicet die lune et die Jouis celebretur, et preterea forum cottidianum cottidie habeatur. Uniuersitas uero ciuitatis supradicte nobis tenetur ad seruitia infrascripta. Cum enim Rex Hungarie expeditionem ad partes maritimas, uel Carinthiam, uel Austriam facere uoluerit, dicti ciues decem milites mittere teneantur, cum armis militaribus apparatos. Preterea domino regi, quando ipsum illuc ire contigerit, debent dare pro prandio duodecim boues, mille panes, quatuor tunellas uini. Duci autem Totius Sclauonie, si sit de prole regia, medietatem predictorum dare tenentur. Bano uero pro tempore constituto, non tamen Vicebano, nihil aliud soluere, nisi in principio introitus sui banatus unum bouem, centum panes, tunellam unam uini, semel quamdiu durauerit in banatu. Sane ab omnibus istis seruitiis usque quinquennium erunt liberi et immunes. Transacto quinquennio tenebuntur. Item, ijdem ciues uoluntate spontanea super se assumpserunt, quod expensis propriis dictum montem Grech muro firmissimo communirent. Ad sustentationem autem hospitum in predicto monte habitantium, dedimus terram circa eundem montem Grech, statuentes eam per dilectum et fidelem nostrum Dionisium banum Totius Sclauonie eisdem hospitibus, sub certis metis et distinctis perpetuo possidendam. Cuius terre mete sic uadunt. Prima meta est in portu Sawe, qui Kyralrewy dicitur, iuxta magnam uiam, et per eandem tendit usque ad riuum, qui Zoysca dicitur, quem riuum transit per pontem, deinde per eandem uiam tendit uersus aquilonem, transiens aquam, que Mlaka dicitur, et peruenit ad monticulum, iuxta quem est meta terrea, que diuidit terram populorum regis a parte orientali. Deinde transiens minorem Mlakam, peruenit ad magnam uiam, que uulgo Ettewen dicitur, per quam ueniens pervenit ad riuum Cyrkuenich, ibi est pons. Hinc superius per eundem riuum iuxta montem Grech uadit directe uersus aquilonem metatim, tendens ad fontem, qui dicitur Cubulkut, iuxta quem est meta terrea. A quo superius per riuulum Cyrkuenich uersus aquilonem peruenit ad riuulum, qui dicitur Zopotnika. Hinc transiens monticulum cadit in quandam uallem, per quam transit in riuulum, qui dicitur Lomzkypotok. Deinde ascendit ad metam Capituli Zagrabiensis. Altera est Hospitum de Grech, Tercia filiorum Dobcha de genere Aga (Acha). Deinde procedit ad cacumen eiusdem montis, uocabulo Medwenicha uersus occidentem et peruenit ad metam filiorum Micula, que Plestiwicha dicitur, iuxta quam est meta terrea. Deinde transcendit a cacumine eiusdem montis uersus partem meridionalem, metatim ad arborem casta-

neam, iuxta quam est crux, et iuxta eam est meta terrea. Deinde descendit ad caput fontis, qui Chicheria dicitur, qui fons diuidit terram Endre a terra predicta, et sic descendendo per eundem, diuertit aliquantulum uersus occidentem ad montem, et ibi est arbor castanea crucesignata, iuxta quam est meta terrea. Deinde ad cacumen montis eiusdem procedit uersus meridiem, diuidendo terram ecclesie Zagrabiensis. Deinde per girum ad occidentem aliquantulum diuertitur, et ibi transit riuulum, qui uocatur Neznichpotoka, et inde ascendendo superius de terra Endre per uallem ad uerticem unius montis, ibi est meta. Hinc separando per ueteres metas terram Gremla, descendit ad arborem que vocatur Jhor, et ibi est meta, et cadit in uiam, que exit de uilla Gremla. Deinde per eandem uersus meridiem procedit ad campum ad metem terream. Inde aliquantulum diuertit ad sinistram per uiam et peruenit ad paludes, que Mlaka dicuntur, ibi est meta. Iuxta eandem Mlakam a sinistra parte uadit ad arborem nucis, ibi est meta. Deinde ad sambucum, sub quo est meta terrea. Dehinc metatim procedit et cadit in fluuium Zawe, inde ad metam priorem descendit, et sic terminatur. Ut igitur dicta ordinatio nostra et dictorum libertas hospitum firma et inuiolabilis perpetuo perseueret, presens eis priuilegium concessimus aureе bulle nostre munimine perpetuo confirmantes. Datum apud Wereuzha, per manus magistri Benedicti prepositi Albensis, aule nostre Cancelarij, electi in Archiepiscopum Colocensem. Bartholomeo Quinqueecclesiensi, Cleto Agriensi, Stephano Zagrabiensi, Bartholomeo Nitriensi, Blasio Chenadiensi, Episcopis. Benedicto Waradiensi et postulato Jeuriensi. Stephano Waciensi et postulato in Archiepiscopum Strigoniensem, ecclesias dei gubernantibus. Dilecto cognato nostro Johanne Angelo domino Syrmie et comite Bachiensi. Ladislao palatino. Matheo Tauarnicorum et comite Sopronicnsi. — — — dapiferorum, et comite Nitriensi, Mauricio pincernarum, Stephano Agasonum magistris. Arnoldo Symigiensi, Paulo Albensi, magistratus et comitatus tenentibus. Anno ab Incarnatione domini Millesimo ducentesimo Quadragesimo Secundo. Sextodecimo Kal. Decembris. Regni nostri Anno octavo.

(Bulla aurea pendens cum inscriptione ex una parte.)

Originalis membr. in Archivio Civitatis Zagrabiensis N. 1.

LIII.

Anno 1246. 6. Kal. Decembris.

Bela IV. Rex Demetrii de genere Aba in sacra contra Saracenos expeditione ac filii ejus Alexandri in pugnis contra Tartaros insignia merita recenset ac villis Adrian et Csatar remuneratur.

Bela Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, Serviae, Galiciae, Lodomeriae et Cumaniae Rex etc.

Fejér. Codex Dipl. Regni Hung. T. IV. vol. III. pag. 417.

(In hocce titulo Sclauonia Regni nomine primum occurrit, quod nusquam sub Regibus Arpadianae et mixtae stirpis invenias.)

LIV.

Anno 1248, die 29. Martii. Lugduni.

Innocentius IV. P. M. episcopo Segniensi (Philippo) dat petitam facultatem divina officia slavice, littera glagolitica, celebrandi.

Episcopo Sceniensi. Porrecta nobis tua petitio continebat, quod in Sclavonia est litera specialis, quam ipsius terrae clerici se habere a b. Hieronymo asserentes eam obseruant in divinis officiis celebrandis, unde ut illis efficiaris conformis et in terrae consuetudinem, in qua consistis episcopus, celebrandi divina secundum dictam literam a nobis suppliciter licentiam postulasti. Nos igitur attendentes, quod sermo rei et non res est sermoni subjecta, licentiam tibi in illis dumtaxat ubi de consuetudine obseruantur premissa, dummodo sententia ex

ipsius varietate litere non laedatur, auctoritate presencium concedimus postulatam. Nulli ergo etc. dat. Lugduni IV. kal. Aprilis anno V. *)

E Regest. Innocentii PP. IV. Kal. Aprilis anno V. in secr. Tabulario Vatic. Item e Cod. Bibl. Vat. Nro. 7157 fol. 184 descripsit Dr. Fr. Rački.

LV.

Anno 1252.

In Regno Dalmatiae consvetudo pro lege valuit.

In nomine D. N. Jesu Christi Amen. Anno Incarnationis: 1252. Ind. 11 temporibus D. Innocentii Pape IV. ac D. Belle Illustris Regis Hungarie hoc actum est. Cum prophetici sermonis eulogium opus sit iustitie pax, que unicuique sua Iura servando, totius humane cohabitationis et societatis vinculum merito nuncupatur; necesse est omnibus legaliter vivere cupientibus huius salutiferis connecti vinculis et ab eis (sic) cultu nullo tempore declinare, que denique justitie norma, quasi gemino Calle procedens, jure videlicet scripto, ac consuetudinibus approbatis, ad veritatis tramitem cunctis mortalibus iter pandit. Quia vero in partibus Dalmatie, consuetudinis usque longeue auctoritas, quam maxime pro lege veneratur, idcirco Ego Stanimirus Archipresbiter, una cum Tolone, Joanne et Crisogono Clericis, tam pleno mandato universi Cleri Sibenicensis, ad Spalatensem Ecclesiam, tamquam ad Caput metropol. accedentes: ibidem coram Venerabili uiro Thoma Archidiacono et Capituli S. Domnij dicimus, profitemur et recognoscimus, nos omnimodam subiectionem debere D. Treguano Episcopo

---

*) Privilegium hocce de ritu slavico scimus iam a Pontifice Johanne VIII. a. 880. mense Junio bulla, Svatopluco principi scripta, concessum fuisse, his verbis: „Litteras denique sclauiniscas a constantino quondam philosopho repertas, quibus deo laudes debite resonent, iure laudamus. Et in eadem lingua christi domini nostri preconia et opera enarrentur (sic! sine ut) iubemus. Neque enim tribus tantum sed omnibus linguis dominum laudare auctoritate sacra monemur, quę pręcipit dicens. Laudate dominum omnes gentes et collaudate eum omnes populi. Et apostoli repleti spiritu sancto locuti sunt omnibus linguis magnalia dei. Hinc et paulus cęlestis quoque tuba insonat monens: omnis lingua confiteatur, quia dominus noster Ihesus christus in gloria est dei patris. De quibus etiam linguis in prima ad corinthios epistola satis et manifeste nos ammonet, quatenus linguis loquentes ecclesiam dei edificemus. Nec sane fidei uel doctrine aliquid obstat siue missas in eadem sclauinica lingua canere, siue sacrum euangelium uel lectiones diuinas noui et ueteris testamenti bene translatas et interpretantes legere, aut alia horarum officia psallere. Quoniam qui fecit tres linguas principales, hebream scilicet, grecam et latinam, ipse creauit et alias omnes ad laudem et gloriam suam. Iubemus tamen, ut in omnibus ecclesiis terrę uestrę propter maiorem honorificentiam euangelium latine legatur, et postmodum sclauinica lingua translatum in auribus populi latina uerba non intelligentis adnuntietur. Sicut in quibusdam ecclesiis fieri uidetur." etc. E Regest. Johannis PP. VIII. in sacr. Tabulario Vat.

et eius successoribus, nec non Ecclesie Traguriensi, et eidem sicut Patri et Dioecesano nostro reverenter obedire; consvetudines antiquas, quas ab antecessoribus nostris observatas comperimus, per nos, et per nostros successores presentis scripti obligatione promittimus eidem Ecclesie Traguriensi perpetuo observandas etc.

Lucius. Memorie di Traù pag. 73.

LVI.

Anno 1252—1253. prope castrum Baboč.

Bela IV. Rex liberae civitatis privilegium oppido Crisio a Stephano totius Slavoniae Bano concessnm confirmat.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Galicie, Lodomerie, Cumanieque Rex. Omnibus Christi fidelibus presentem paginam iuspecturis salutem in vero salutari. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod dilectus et fidelis noster Stephanus banus tocius Sclavonie, in nostra presencia corporaliter constitutus, literas suas, libertatem hospitum de Cris continentes, nobis presentauit, petens ipsam libertatem nostro priuilegio confirmari; cuius nos peticioni ut decebat fauorabiliter inclinati, literarum suarum seriem de uerbo ad uerbum rescribi facientes, his duximus inserendam, quarum tenor est. Nos Stephanus banus tocius Sclauonie significamus omnibus presens scriptum inspecturis, quod nos pro vtilitate ac honore domini Regis fecimus ac locauimus nouam & liberam villam in Crisio, dantes hospitibus in ea habitantibus eandem libertatem, qua utuntur hospites de Grecz & de noua villa Zagrabie. A potestate autem Comitis Crisiensis omnino duximus eosdem eximendos; ex nunc idem Comes Crisiensis nec iudicare neque descendere super eos teneatur. Volumus igitur, quod nullam collectam soluere debeant hospites antedicti. Pro libertate autem ipsorum, in tercio anno, a data presencium, de qualibet porta Quadraginta denarios bano, pro tempore constituto, soluere tenebuntur. Forum enim ipsorum, a nobis concessum, celebretur tercia feria, de cuius tributo in eodem tercio anno due partes bano, tercia vero pars ipsis hospitibus incipiat ministrari. Omnes autem causas, tam maiores, quam minores, siue in die fori, siue in alijs diebus emergentes, maior ville, quem communis populus elegerit, debeat penitus iudicare, maior vero ville, si querulantibus iusticiam denegaret, idem maior Ville coram presencia solius bani pro tempore constituti impetatur. Citacio quippe maioris ville, non aliter, nisi cum specialibus literis bani, mediante bono testimonio, fieri debeat, et ipse maior ville citatus per quempiam banum, ultra Gozd *) et ultra Drawam non

---

*) Limes inter Slavoniam et Croatiam.

sequatur. Volumus eciam, quod super quacunque causa, coram nobis vel coram maiore ville emergente, produccio testium de extraneis, nisi de eadem villa, impetitori non committatur, sed iuramentum ipsis ciuibus indicetur. Preterea quisquis extraneus, siue ciuis eiusdem loci, in ipsa villa contra alium pre ira gladium seu cultellum euaginaret, & hoc cum testimonio probaretur, vel quis vulnus non mortiferum afficiet, iudicio vnius marce condempnetur. Quisquis igitur casu accidente suum interfecerit conciuem, centum pensis, ex quibus due partes parti aduerse, tercia vero pars maiori ville solui teneatur, et nisi homicida pecunia sua se defendet, caput eius ad manus partis aduerse statuatur. Fur autem et calumpniator manifestus, contra quem communis populus faceret testimonium, ablatis omnibus, que habet, de villa expellatur cum pudore. Decedentes autem sine heredibus, omnia bona sua relinquant cuicunque uolunt retinenda. Ipsi etenim ciues ad exercitum bani, uel Regis, aut Iudicis sui ire non tenebuntur, nec alicui ipsorum uis domorum suarum, nec a familia nostra, neque ab alijs inferatur, sed quem uolunt hospicio recipiant voluntarie. Preterea maior ville, reuoluto anno villicacionis sue, suam debeat reponere villicationem, & si communis populus uoluerit, eidem villicacio conferatur, sin autem alteri cui uoluerit, ipsa conferatur villicacio. Si quis igitur ad ipsam villam venire uoluerit, libere veniat, recedat etiam secure, venditis bonis suis, qui recedere volunt ab eadem. Volumus eciam, quod homines, qui marturinas soluere solent, ad ipsam villam non recipiantur. Item super causa pecuniaria, si quis conuincetur, quadraginta denarios pro iudicio soluere tenebitur. Preterea ipsi ciues tributum in foro non soluent de suis mercimoniis. Assignauimus eciam terram eisdem de superiori parte ville Crisiensis, quam nos personaliter inspeximus & per Georgium Comitem Crisiensem, atque Prelsam terrestrem metari facientes, de quorum uerbis ipsam terram taliter distingui repperimus. Videlicet: prima meta incipit a magna via de vico eiusdem ville, ubi de oriente egrediens ad occidentem peruenit ad fluuium Corusca ad salicem, transiens autem ipsum fluuium, ascendit montem, in cuius vertice est meta terrea. Item descendit ad vallem, ad fluuium, ubi iuxta ipsum fluuium sub erulo est meta terrea. Inde ad pomum, inde ad harazt, ubi est meta, inde ad duo cerasa. Inde autem transiens quendam fluuium peruenit ad tiliam. Inde ad montem, ubi est arbor populea. Inde ad occidentem ad vnum fluuium, et per illum fluuium superius eundo, cadit in magnam viam, que ducit ad sanctum Micaelem, inde per eandem viam magnam vadit ad fontem Tetrench nomine, ubi est arbor ulmi, inde per eundem fontem superius ad septemtrionem, iuxta terram Zuene, iobagionis castri Crisiensis, per metas veteres, inde iuxta terram Tiburcij, per eundem fontem superius peruenit ad caput eiusdem fontis, ubi sub erulo est meta. Inde iuxta terram eiusdem Tiburcij eundo, peruenit usque terram de Komluk. Inde iuxta terram de Komluk eundo, cometatur terre domus sancti sepulchri de Golgonicha. Inde versus orientem coniungitur terre domus Templi de Golgonicha. Inde eundo coniungitur terre wlchote, ubi est meta. Inde iuxta terram wlchote, per vnum fontem, descendit per metas, et de fonte exit ad pirum. Inde de piro ad magnam viam, ubi est meta. Inde directe veniendo, peruenit ad arborem nucum. Inde transit fluuium vrtelen & peruenit ad priorem metam, ubi fuit incepta, ibique terminatur. Vt autem huius ville libertas inconcussa permaneret, literas presentes duximus eisdem concedendas. Datum in festo Sancti Georgij anno domini M° CC° LII. Nos siquidem prelibate ville libertatem per iam dictum

fidelem nostrum banum Sclauonie rite et legitime ordinatam, per singula approbantes, presenti priuilegio, de Regia libertate duximus confirmandam. In cuius libertatis perpetuam firmitatem ac stabilitatem, presentes concessimus literas dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum prope castrum Baboch, anno domini M°. CC°. LIII°. Septemdecimo Kal. Septembris. Regni autem nostri anno decimo octauo.

Originalis membr. in Archivio Civitatis Crisiensis. N. 1.

(Idem Privilegium confirmarunt Rex Bela IV. a. 1269, Rex Stephanus a. 1279, Ludovicus a. 1382 et Rex Rudolfus a. 1597.)

LVII.

Anno 1260. In Dobra.

His litteris, quibus Bela IV. Rex familiae Frangepanianae districtum Vinodol donat, docetur, locum et fluvium Rika (Fiume) intra limites Regni Croatiae situm fuisse.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Galicie, Lodomerie & Cumanorum Rex, Vniuersis Christi fidelibus presentes nostras visuris salutem. Postquam Reges regnarent, Dominique possiderent terras & Regna, oportet ex Regum Gubernijs, omnium linguarum vniuerse gentis, que se alacriter subderet, ita providere, vt illi qui deinceps venerint & succedent, per illorum exemplum et doctrinam multo feruencius et vtilius cogantur obedire, et ea facere, que sunt fidelitatis Regie. Ideo ex hac racione volumus, et simul vniuersis et singulis tam presentibus quam successuris fidelibus notum facimus. Siquidem in tantum multitudo et malicia peccatorum vniuerse gentis & hominum, sub nostro regimine degencium, prevaluit, et citra omnem timorem & pauorem Diaboli, humani generis hostis, plus quam Arena & Abyssns maris excreuit. Sed nolens Deus ipsorum mala opera & iniquitates absque pena impune permittere & pullulare, excitauit Tartaros in ruinam Christianorum. Per quos Tartaros, vt agnoscerent vindicem Deum, super hominibus plenis iniquitatibus et dolo propter que scelera & peccata, Deus omnipotens in sua misericordia preseruando, puniuit nos tali modo, quod cum nos confligendo cum Tartaris in campo Su (sic), ut ab ijsdem totaliter victi et confusi fuerimus. Vnde nos videntes nullum auxilium adesse, quinimo aufugere nos debere, sicuti etiam aufugimus ad partes Maritimas, querentes locum abscondicionis et recepcionis intra mare. Vbi nos deplorantes, sicut Rachel, considerando ruinam et necem vel maxime nostrorum. Sed Deus misericordie et deus consolacionis, ille, qui solatur suos veros et fideles in omni

molestia et tristicia, ostendit et apperire dignatus est nobis fontem sue misericordie, et misit ad nos, tanquam ex celo consolandos, Illustres Magnificos et eximios viros Fridericum & Bartholomeum Frangepan, qui donarunt nobis in Scyphis & poculis aureis & argenteis plus quam viginti Millia Marcharum in pecunia, vno verbo in Scyphis magni valoris. Et postquam deus mitigasset et auertisset iram suam a nobis, considerauimus seruicium et condicionem horum illustrium virorum, et donauimus eis vnum nostrum locum, qui est penes Mare, Vinodol (vocatum) cum omnibus suis appertinencijs et omnibus questibus ad dictum locum spectantibus, predictis scilicet Friderico & Bartholomeo, illis et illorum heredibus & posteritatibus iure perenni, ita, vt nunquam ab iisdem recipi possint, taliter tenenda et possidenda, sicut et nos antea possedimus et tenuimus. Notificantes simul et hoc, quod si vnus illorum deficeret sine herede, ex tunc heredes alterius teneant et possideant illum locum. Cuius confinia ad Tramontanam, imprimis est fluuius et locus Rika, in monte maris incipiendo; et nostra libera aqua Richina, vsque ponticulum penes Prohouo. Trans aquam prima meta est in vno lapide, in quo est littera A meta et aqua sequitur libera, que aqua ex monte nostro Grobnicensi et confinio scaturit, murus supra inchoatur in Jilievicheh, qui dicitur Prezum, murus in piscina ad praputische, ex illa parte Terstenik, locus autem Terstenik manet noster et integer. Ex Praputische ad Kupin kamen, a kupin kamen ad lisen kamen, a lisen kamen ad bila voda, in valle Papruthio. A valle papruthio ad montem Berinschek, a monte Berinschek ad Gromache, a Gromache ad Brezidin et Babinopolie. Hec sunt vero confinia a monte maris vsque Babinopolie. In maius robur predicti doni pro eterna memoria dedimus ipsis Friderico & Bartholomeo has nostras litteras appertas cum nostro duplici sigillo. Per manus prudentis hominis Magistri Farcasij electi in Aula Cancelarij. Datum in Dobra. Anno domini M. CC Sexagesimo. Regni nostri anno vigesimo sexto.

(L. S.)

Kerčelić. Notitiae praelim. pag. 195.

LVIII.

Anno 1263. die 21. Decembris.

Urbanus IV. Papa Belam, totius Slavoniae Ducem, in protectionem suscipit.

Urbanus Episcopus etc. Dilecto filio nobili viro B. Duci Sclavonie, salutem etc. Pro fidei meritis est, etc. Hinc est, quod nos tuis et carissimi in Christo filii nostri B. Ungarie Regis Illustris, patris tui, supplicationibus inclinati, personam tuam cum ducatu Sclavonie ac de Olcha, de Bragna, Symigia, Sala et

Ferreo Castris, nec non salibus aquaticis ad ducatum ipsum spectantibus, aliisque iuribus et pertinentiis suis, que impresentiarum rationabiliter te obtinere proponis, sub protectione apostolice sedis et nostra suscipimus, districtius inhibentes, ne quis te persistentem in devotione sedis eiusdem super ducatu, Castris et aliis supradictis temere impedire seu molestare presumat. Nulli ergo etc. nostre protectionis et inhibitionis etc. Datum apud urbem veterem XII. Kalend. Januarii, Pontificatus nostri anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. ep. 1419. Theiner, Monumenta vetera Hung. Romae 1859. T. I. p. 255.

LIX.

Anno 1264.

Comitatum Požeganum in Ducatu Slavoniae comprehensum esse hac bulla Urbani IV. evincitur.

Vrbanus Episcopus. etc. — Dilecto filio... Priori Provinciali fratrum predicatorum de Ungaria, salutem etc. Justa desideria carissime in Christo filie nostre M. illustris Regine Ungarie, que per dei gratiam vigilanter insistere dicitur operibus pietatis, auditu benigno suscipere et promptis delectamur affectibus adimplere. Sane ipsius Regine et carissimi in Christo filii nostri B. (Bele) illustris Regis Ungarie viri eius, petitio nobis exhibita continebat, quod cum iidem Rex et Regina, ac multi nobiles regni Ungarie, propter timorem de Tartarica feritate conceptum, ad loca maritima fecissent transitum, dicta Regina, iam dictis nobilibus positis in gravi necessitate compatiens, pro sustentatione ipsorum de suis parafrenalibus bonis non modicam expendit pecunie quantitatem. Demum vero idem Rex hujusmodi pietatis opus clementer attendens, castrum de Possega, ad eum pertinens, in ducatu Sclavonie constitutum, accedente demum ad id consensu carissimi in Christo filii nostri Stephani, regis illustris primogeniti, ac nobilis viri Bele ducis Sclavonie, nati dictorum Regis et Regine, nec non prelatorum et Baronum supradicti Regni, Regine prefate regia liberalitate donavit, prout in patentibus litteris Regis eiusdem confectis exinde plenius dicitur contineri. Quare pro parte dictorum Regis et Regine petebatur a nobis, ut donationem huiusmodi, non obstantibus constitutionibus contrariis, que inter virum et uxorem donationes fieri prohibent, apostolico curaremus munimine roborare. Nos itaque considerantes attente ius prohibite donationis huiusmodi non amare, nec tamquam inter infestos fore tractandum, sed tamquam inter maximo coniunctos affectu, et solam timentes inopiam, quod profecto ad donatoris et donatorie magnificentiam ac doni exiguitatem respectu habito, locum sibi non vendicat in hoc casu, donationem ipsam, sicut alias provide facta est, ratam et firmam habentes,

eam, non obstantibus huiusmodi constitutionibus, auctoritate apostolica duximus confirmandam. Quocirca discretioni tue mandamus, quatenus dictam reginam non permittas super premissis contra hujusmodi confirmationis nostre tenorem ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi etc.

Raynaldi ad a. 1264. — Fejér, Codex Dipl. Regni Hungariae. T. IV. vol. III. p. 236. — Theiner, Monumenta Historica Hungariae. Romae 1859. I. p. 272.

LX.

Anno 1264. Nonas Octobris.

Bela IV. Rex fratribus Kreč, Kupiša et Rak, ex comitatu sirmiensi oriundis, ob singularia, quibus occasione invasionis Tartarorum se illustravere, merita, nobilitatem et possessiones quasdam donat.

Bela Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, Ramae, Serviae, Gallitiae, Lodomeriae, Bulgariaeque Rex. Omnibus Christi fidelibus praesens scriptum intuentibus salutem in eo, a quo Triumphi largiuntur gloriosi; qui in se credentibus, totius orbis Regibus, Marchionibusque & potestatibus praebuit feliciter regnare & dominari. Regiae excelsae sublimitati ex innata sibi liberalitate convenit, omnium nationum pariter et lingvarum gentes, sibi semper subjective adhaerentes, de eorum multitudine gratulari, & eosdem taliter providere, vt universi amplius viventes & supervenientes, eorum felici exemplo immitando, ad summae fidelitatis opera exercenda, arctius, frequentiusque immitentur, & eosdem audatius animent ad similia exhibenda, illis quoque pro suis honoribus commodisque et prosperis profectibus fama celebris frequentioribus detestatur studiis desudasse, digno meritoque dexteram suae munificentiae affluentius elargiri, & ea, quae ex voto sincerae benignitatis favorabiliter conceduntur & donantur, jus appetit, ordo expostulat, ratioque justa exquirit, ut suarum lucidarum literarum seriem debeant exordiri, ne lapsu temporis calamitate exurgente, exhinc incommoda irritentur, oculis gratiosis intueri, & ad memoriam posterarum extremitatum perpetuam, literarum patrocinio debeant commendari. Proinde ad universorum tam praesentium, quam futurorum notitiam harum serie volumus pervenire: quod cum humani generis sordidis sceleribus praevalentibus, multitudo inaestimabilis, rabidae gentis Tartaricae, ex affluenti indignatione trium machinarum Domini Plasmatoris nostri, per climata totius Regni nostri perfusa, severrime ulciscendo fuisset, & nos una cum fidis Primatibus et egregiis Nobilibus nostris extra Monarchiam nostram, usque ad littora pontus acrissime persequendo, in quandam maximam Insulam Veglae contiquam repellendo, de qua etiam vi extrahere satagendo, per varia naufragia & derivativa

ingenia beluina, in nos et exercitum nostrum irruere, & caput nostrum Regium truncare, aut nos in miserabile jugum paganissimum traducere conassent, ubi in quodam turbinoso invasionis afflictu, nobis hinc inde trepide dilatantibus, imminente eventu, perpetuo Divino anathemati dato, circumquoque multitudine pugnatorum gentium ipsorum Tartarorum obsessi, universis tam novis insultibus, asperrimis jaculis, crudelium verberum ictibus, afficiendis gladiis feriunt turmas nostras, sagittas lanceasque suas inebriant sangvine occisorum, undique ut muro obstructi, aut pisces in gustro compraehensi, incommodissimis verberibus strictissime afflicti, ut nec antea procedere, nec fugae locum habere poteramus, ubi inter nostros & ipsos Tartaros, servato intervallo, nostrorum funera, plusquam ultimum capitis nostri exterminium, more Rachelis, jugulo, alta ad Dominum intensius suspiria fundebamus, Kyrie-eleison! & protector noster aspice Deus, gementes exclamabamus, vitam nostram Regiam & nostrorum, summo desiderio, a mortis impetu arccius evitare cogebamur; jam elesi & praeceps praecipiti, terribilem necem in momento expectabamus. Pater tandem ineffabilium misericordiarum & Dominus pie consolationis, in quo spes est omnium fidelium, oppitulando suae dexterae virtutem porrigere dignatus est; et excelsi angulo suo jube dicente, & quasi de nube olimpi a Paraclyto missi, tres indoli viriles juvenes, Kres videlicet, Kupissa, nec non Rak vocati, de Syrmio oriundi, ut fortes atlethae, cum triginta octo fortissimis pugnatorum fratribus & consangvineis suis, fulcitis optimo militari apparatu, a nobis non postulati, nec stipendiarii salario appreciati, sed tanquam fidelissimi Christicolae, in nostram Regiam fiduciam, illico Regio nostro lateri adhaerentes, ad gratissimum votum nostrum Regium, contra asperima agmina & pugna dictorum Tartarorum militari brachio viriliter se contulerunt pugnaturos, caput nostrum Regium, priusquam sua propria, fideliter eliberantes: hinc inde per acies, et propagulas, cum eorum caterva ipsos Tartaros in ore ipsorum feritantes, ubi acies fortiorum pugnatorum persenserunt, illac se ferventius contulerunt pugnaturos. Banderium nostrum Regium, in gyro fidelium nostrorum aulicorum trepide tenentium ad honorem & perpetuum incrementum nostrum Regium, & totius Regni nostri feliciter reservantes. Interea unum mirabilem artificem prae omnibus fortiorem & acriorem sagacem, diligenti habito clanculo, praedictus Kres tenso suo arcu, sua acutissima sagitta, simul ambos suos effixit oculos, & coram oculis nostris Regiis vivum in carinam proiecit maris. Rursus in alios sagaces et pugnatores audacius insultans, & eosdem illac & isthac, ut jumenta in ore gladiorum, subtus pedes eorum in terram calcando, & ut aucas in piscinam, per littora pontus, transpassim trucitando, illico volente altissimo, qui solus cuncta praeordinat, resumptis viribus, ad refulciendum & corroborandum animum nostrum Regium, cum universorum Primatibus, & aliis gentibus nostris, alacrius in opem & nostrae personae in salubriorem remedium, iterum in ipsos Tartaros asperrime ut imbres pluviarum irruendo, & eosdem translatius, ut flumen exordio voraginis, trans litus & ultra, usque fluvium Kerka, & ad Brezcza transpartius sunt transfugati, & nos exinde ad salubriorem processimus remedium, vota nostra altissimo in aeternum aspirando, ubi annotati fideles nostri Kres, Kupissa & Rak, reverissime, tanta nobis & Regno nostro ac sacrae coronae nostrae fidelissima exhibuerunt obsequia, quantum caput nostrum Regium praevalebat. Quae licet prae tedio legentium misimus silentio, sed quantum totius Christianae Religionis una valuit zona, pro quibus necdum latam vel largam terram, sed dignum dicere,

unam partem unius Comitatus, vel honoris nostri Regii in Regno nostro, a nostra perpetue mererentur obtinere Majestate; nam & ipsi Kres, Kupissa & Rak, in hujusmodi ipsorum agilibus certaminibus & praeliis, non parva ad capita & humeros eorum retulerunt, & viginti quinque fratres & proximos eorum vita miserunt exutos; nihilominus tamen, ut in aliqua parte suorum fidelissimorum obsequiorum & sangvinis effusione, ac fratrum & proximorum suorum nece miserrima, nec non expensarum plurima onerositate, a nostra Majestate se agnoscant benigne remunerati, hanc eisdem Kres, Kupissa, & Rak praebuimus gratiam & libertatem, ut a modo in aeternum illibati Nobiles, et veri aulices Regales censeantur, & cuncta militaria praeludia, ante conspectum Regium & alias ubivis facere valeant & possint. Quocirca quasdam spaciosas terras nostras Regales, unam contiguam terrae monasterii sanctissimae & intactae Dei Genitricis Mariae in Thoposzka, aliam in contiguitate terrae generationis Dresnik vocatas, omnes in Cottu. Zagrabiensi sitas & habitas, per venerabilem virum Magistrum Farkassium Ecclesiae Albensis Praepositum & aulae nostrae Cancellarium, fidelem & dilectum nostrum, a Majestate nostra specialiter ad hoc deputatum, reambulatas, & separatim ab aliis possessionatis hominibus metaliter distinctas, & segregatas, et unam quamquam in suum gyrum confertas, ac omnibus commetaneis et convicinis earundem terrarum, palam & publice, ac lucide & manifeste denuntiatas & designatas, cum omnibus ipsarum terrarum utilitatibus, & pertinentiarum integritatibus, ac fructuositatibus universis, quovis nomine & vocabulo censitis & designatis, pro nostris fidelibus Kres, Kupissa, & Rak, de praedicto Syrmio, & eorum haeredibus, haeredumque successoribus, & posteritatibus universis, de consilio & beneplacita voluntate Praelatorum et Baronum ac Procerum Regni nostri universorum prae maturo, dedimus, donavimus, & contulimus, imo damus, donamus, & perreniter conferrimus, & in scriptis nostris eisdem tenendas, gaudendas, & possidendas perpetue, et irrevocabiliter, patrocinio mediante confirmamus. Exinde quoque universos suceessores nostros, felices Reges Hungariae, in Christo Rege sempiterno devotissime obsecramus, ut haec nostra liberalis donatio, & personalis confirmatio, praenominatis fidelibus nostris Kres, Kupissa, & Rak, ac eorum cunctis posteritatibus, perpetue indemniter, & illaesa, ac in omnibus suo modo observata valeant perdurare. Ita etenim, et eo modo servitia eorundem Kres, Kupissa, & Rak, ac eorum cunctarum posteritatum, de praedictis terris nobis & nostris successoribus Regibus Hungariae perpetuo vigeant, et per eosdem in aeternum administrari debeant, et teneantur; ut dum & quando Generalis & communis Regni exercitus, ad confinia ejusdem Regni, aut alias contra partes, & aemulos protervos, pro defensione proclamatus fuerit, & nos aut caeteri successores nostri Reges propria accederimus, vel accederint persona, ex tunc praenarati Nobiles nostri Kres, Kupissa, & Rak ac eorum posteritates, dum per Banum ac Capitaneos, vel Belli-Ductores Regios admoniti fuerint, semper tribus equitibus pharetrariis in eorum sumptibus ad quindecim dies sub Banderium Regium comparere parati sint, & teneantur. Transactis vero ipsis quindecim diebus, semper in nostro ac caeterorum Regum usuali stipendiali salario, et sumptibus, quo eisdem nos, ac caeteri Reges, aut Bani, vel capitanei, aut Regii Belliductores demandaverint accedere, & dummodo talis exercitus, ad propria rediverit, famulari debebunt, & tenebuntur. Decimas autem eorum, dum praedictas terras ipsorum gentibus appopulaverint, ex tunc ipsi, ac Jobagyones ipsorum, decimas in Provincia mona-

sterii S[mae] Dei-Genitricis Virginis Mariae in Thopolszka usuales & cousuetas, tempore suo solvere et administrare teneantur. Judicia quoque et universas causas eorum justitiarias in sede Comittatus Zagrabiensis, ad instar aliorum Nobilium ejusdem sedis prosequi, actitare, et actitatas observare teneantur. Alias enim universas & quaslibet causas justiarias Jobagyonum ipsorum, quae in eorum Territoriis, et inter eosdem Jobagyones ipsorum quomodocunque contingunt, homicidia, violentiae, furticinia, & alia quaevis secularia vitia, omnes Nobiles annotati Kres, Kupissa, & Rak, ac eorum posteritates, in eorum sede, quacunque feria hebdomadali, per eosdem legitime praefixa, judicare, et universos maleficos, rusticos. juxta eorum excessus punire, & quaecunque birsagia, ad maius tres marcas, & poenam pacis, centum denarios usuales, medietatem praefati Nobiles, aliam medietatem judices ipsorum, per eosdem legitime pro tempore constituti, tollere, et prosequi, recipereque valeant, atque possint. In cujus donationis & perennalis confirmationis memoriam firmitatemque perpetuam, concessimus has litteras nostras privilegiales, dupplicis sigilli nostri in appensione munimine roboratas. Datum per manus Venerabilis viri Magistri Farkasii, Albensis Ecclesiae Praepositi, Cancellarii nostrae Majestatis, dilecti fidelis nostri. Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Ducentesimo sexagesimo quarto. Nonas Octobris, Regni autem nostri vigesimo sexto.

Ex transumptis, in comunitatibus Nobilium Krešić seu Krašić et Kupšina seu Kupčina, descendentium a supranominatis Kres et Kupiša, asservatis. Habet quoque Kerčelić Hist. Eccl. Zagr. p. 329.

(Easdem donationales et privilegiales litteras confirmarunt: Ludovicus I. Rex a. 1364, Vladislaus IV. a. 1499, Ludovicus II. a. 1519, Ferdinandus I. a. 1548, Maximilianus II. a. 1571 et Rudolfus II. a. 1583.)

LXI.

Anno 1264. Idus Martii.

Abbati Toplicensi media pars terrae, quae Kralla vocatur, a Michaele Comite de Sana, quod in hodierna Croatia turcica erat, possidenda traditur.

Tenor Privilegij super Crala. Universis has Litteras inspecturis. Michael Comes de Sana, subscriptas veritati fidem adhibere. Noverint Universi, quod Nos de mandato et praecepto Excellentissimi Domini Nostri Regis Hungariae, medietatam Terrae Kralla, cum suis pertinentijs omnibus, sicut eam Pribislaus Comes tenuit in vita sua et possedit, Domino Abbati de Toplica, per Fratrem Desiderium Monachum suum, qui cum Litteris et praecepto venit ad Nos ex

parte Domini Regis, assignavimus in praesentia Domini Episcopi Ladislai, eo jure, et ea Libertate, qua dictus Pribislaus eam tenuit, perpetuo possidendam, et ibidem pro voluntate sua Grandiam aedificandam. In cujus rei Testimonium praesentem paginam, sigilli nostri munimine signatam, Domino Abbati contulimus. Datum Anno Domini Millesimo Ducentesimo Sexagesimo quarto. Idus Martij. In Insula. Pristaldus Noster Jacobus Comes noster Curialis de Bichich (Bihać).

Ex transsumpto Privilegiorum Abbatiae B. M. V. de Thopusko.

LXII.

Anno 1267. Kal. Martii.

Bela IV. Rex Cives de monte Greč seu Zagrabia a solutione omnium tributorum et tricesimarum exemtos reddit.

Bela Dei gratia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Galicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium saluatore. Officii nostri debitum remedijs inuigilat subditorum, nam dum eorum vtilitati prospicimus, dum concedimus per futura plebum numerus crescit iugiter et augetur, in quo Regis gloria specialiter denotatur. Proinde ad vniuersorum notitiam harum serie volumus peruenire, quod dilecti et fideles nostri Ciues et hospites in nouo Castro nostro, per nos iu monte Grecz constructo existentes, ad nostram Majestatis accedentes presentiam nobis revellare procurarunt, quod cum ipsi in confinio Regni, in partibus Sclauonie sint constituti, et preter concessa tributa et transitus ac cum suis mercimoniis questum non possent habere aliqualem, et in his ipsa Ciuitas nostra molestiam pateretur non modicam; a nobis humiliter postularunt, ut nos ipsos a solutione dictorum tributorum et tricesimarum redderemus exemtos, seu absolutos. Nos igitur dignis et iustis peticionibus eorum inclinati, et maxime quia iidem Ciues nostrj in diuersis negotijs Regni nostri et nostris debitam fidelitatem sancte corone nobisque semper exhibuerunt. non parcendo rebus et personis, imponendo se et suos diuersis casibus et fortunis, de consensu et bona uoluntate domine regine, Charissime consortis nostre, nec non omnium Baronum regni nostrj nobis assedentium, hanc specialem graciam eis duximus faciendam, quod ipsi Ciues nostri, intra terminos Regni nostri, aliquot tributum, tam in aquis quam in terris, nec aliquam Tricesimam in ullo loco soluere teneantur, sed sint a solutione eorum exempti penitus et immunes; et hoc cum alijs omnibus libertatibus ipsorum, similiter per nos eisdem concessis, inuiolabiliter confirmamus et per nostros successores uolumus conservari. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostrj munimine roboratas. Datum per manus magistri Farkasij prepositi

Albensis Ecclesie, Aule nostre vice Cancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno domini Millesimo ducentesimo sexagesimo septimo. Kalendis Martij, Regni autem nostri anno tricesimo secundo.

Ex transumpto Originale membr. Rudolphi II. Regis anno 1595 exaratae, in Archivio Regni Croatiae Fasc. 984. N. 22.

LXIII.

Anno 1269. 12. Kal. Julii. Spalati.

Bela, totius Slavoniae Dux, in Regno Dalmatiae auctoritate regia plene usque adeo fungitur, ut in diplomatibus ab eo editis ne Regis quidem nomen memoretur.

In nomine domini aeterni amen. Incarnationis eiusdem Millesimo, ducentesimo sexagesimo nono. Indictione duodecima, die duodecimo Kalendas Julii. Temporibus Domini Belae inclyti Sclavoniae Ducis et nostri Domini nati. Ven. Patris Domini Johannis Spalatensis Archiepiscopi, Comitis Nicolai egregiae potestatis. Praedictus dominus Johannes Archiepiscopus locum fratrum Ordinis Praedicatorum in horto Archiepiscopali positum...... Praedicatorum ipsorum ipsis Fratribus Praedicatoribus collatum, auctum esse prospiciens etc.

Farlati. Illyricum Sacrum T. III. p. 284.

LXIV.

Anno 1271. In Bihać.

Amica conventio, inter communitatem civitatis Bihać, nunc in Croatia Turcica sitae, et Conventum Toplicensem inita.

Nos Jacobus, major villae, et tota Comunitas Civitatis de Bihig, ad universorum notitiam volumus pervenire, quod nos cum Venerabili Patre Domino M. Venerabili Abbate de Toplica, de beneplacito suo, et Nostro communi consilio

et assensu talem inter Nos et ipsum ordinavimus compositionem, ut ipse nullum de Nostris Jobagionibus de Veliho ad suum districtum in Crala recipiat, et Nos e converso nullum equidem de suis Jobagionibus de Crala ad Nostrum districtum de Veliho, auctoritate praesentis ordinationis recipere praesumimus. Quod si pars alterutra ordinationem istam aliquatenus in recipiendo alterius partis Jobagionem infringere praesumpserit, ex vi praesentis Statuti ipsum Jobigionem cum rebus ablatis cum judicio duplici adversae parti restituere teneatur. Datum in Bihig anno Domini Millesimo Ducentesimo septuagesimo primo.

Ex Transsumpto Privilegiorum Abbatiae B. M. V. de Thopusko.

LXV.

Anno 1272. 10. Augusti. Budae.

Ladislaus, Hungariae et Croatiae Rex, civibus Spalatinis mandat, ut in signum fidelitatis suos extraneos judices e civitate expellant et quatuor conspicuos viros negotia Regni Croatiae cum Rege ordinaturos mittant.

Ladislaus fideli suo Comiti ciu. Spalat. salutem et gratiam. Quia nobis semper fidelitatis opera exhibuistis, indefesse uos prosequimur Regio cum fauore. Sed quia propter uariarum guerrarum discrimina ad uos accedere nequimus vsque modo, Intelliximus, quod uos Judices extraneos de alijs Regnis accipere consueuistis, quod non est fidelitatis indicium; ciues etiam nostros Tragurienses non modicum discrimini perturbare; quosdam etiam nobis fideles de uestra Communitate expulistis. Quare fidelitati uestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus, si nos naturalem Dominum Regem Hungarie et Croacie cognoscitis, ex tunc iudices extraneos de communitate uestra expellatis, et de Regno nostro nobis fideles pro potestate uobis assumatis, ac ciues nostros Tragurienses non presumatis in aliquo perturbare: si autem aliquam habetis actionem contra ipsos, experiamini coram nobis, iustitia mediante; illos etiam nobis fideles, quos de Regno nostro exclusistis, reducatis, et bona ac possessiones restituatis eorumdem; preterea quatuor ex uobis meliores, si nobis fideles esse vultis, vsque festum S. Michaelis ad nos transmittatis, vt nos vna cum ipsis de bono statu Regni Croacie ordinemus. Datum Budae in festo S. Laur. Mar. 10. Aug.

Lucius I. Memorie Istoriche di Tragurio ora detto Traù. pag. 93.

LXVI.

Anno 1272. die 14. Junii. Spalati.

Archiepiscopus Spalatensis provinciam Likam Episcopatui Nonensi cedit.

In nomine Dei aeterni Amen. Anno Incarnationis ejus 1272, Indictione XV. die 14. intrante Junii, regnante D. N. Stephano Serenissimo Rege Ungariae, tempore D. Joannis venerabilis Spalatensis Archiepiscopi, Domini Joachini Pectari Bani Sclavoniae, Comitis D. Vulcet (Vulchet) egregiae Potestatis, Dobri Buscize (Dusizze), Vulcine (Vulcena), Frese Judicum.

Nos Joannes D. G. Spalatensis Archiepiscopus, ad universorum praesentium et futurorum, harum serie, plenam notiam volumus devenire, quod suscepta regiminis cura venerandae sedis Ecclesiae Spalatensis, dolentes et gementes reperimus et invenimus ipsam de sua antiqua dignitate, suffraganeorum videlicet pluralitate, possessionum provenientium multitudine, et provinciarum (Parochiarum) numero, praedecessorum nostrorum indulgentia, multifarie multisque modis spoliatam, quinimo pene totaliter suffocatam, et suis juribus destitutam. Cujus desolutionis tacti dolore cordis intrinsecus, totis praecordiis compatientes, et ipsius reparationi studium pro posse adhibentes, ab ipso primordio nostri adventus fama celebri, multorumque nobilium relatione percepimus, Provinciam Lika ad praefatam Sedem Spalatensem pertinuisse; et ideo cum consilio et cum consensu nostri Capituli praedictam Provinciam Lika ad jus et proprietatem Beati Domnii resumere volebamus, Domino Regi contra venerabilem fratrem nostrum D. Stephanum Episcopum Nonensem graves quaerimonias faciendo, et ipsum in caussam coram ipso attrahendo. Cumque tale negotium diu coram Domino Rege inter nos verteretur, praedictus D. Nonensis Episcopus supplicavit nobis saepe saepius humiliter, privilegiorum suorum munimen allegando, et suam justitiam declarando, sibi misericorditer in hac parte assentire. Quapropter nos et Capitulum Spalatense Deum habentes prae oculis, jus et honorem Nonensis Eeclesiae cupientes et volentes, sicut debemus et tenemur ex officio nobis injuncto, integraliter confirmare et conservare, veritati et non famae innitentes super eadem quaestione, cum nostro Capitulo aliisque sapientibus et religiosis viris deliberatione habita et consilio diligenti, praedictam Provinciam Lika cum omnibus suis juribus et pertinentiis per nos et Capitulum nostrum ac successores nostros, praecipue cum in eadem questione nihil juris penitus habeamus, salvo secundum morem patriae visitationis officio, Venerabili fratri nostro Stephano Nonensi Episcopo, et ejus successoribus, nostrae Nonensi Ecclesiae realiter et personaliter, pacifice ac quiete relinquimus perpetuo possidendam: renunciantes et cedentes totaliter quaestioni. In cujus rei memoriam perpetuam et notitiam pleniorem, praesentem cessionem,

atque reformationem, nostro nostrique Capituli Sigillis pendentibus jussimus communiri. Actum in Spalato in praesentia et testimonio nobilium virorum Martini Grisogoni, Josephi Petri, et Martini Simeonis in palatio.... Ego.... D. Lucas Canonicus et juratus Notarius Spalatensis his interfui et mandato ac praecepto D. Archiepiscopi nec non et Capituli, ut audivi scripsi, complevi et roboravi. *)

Ex Archivio Nonensis Ecclesiae. Farlati Illyricum Sacrum. T. III. p. 285.

LXVII.

Anno 1274, pridie Calend. Junii.

Ladislaus Rex populum Ecclesiae Zagrabiensis a pendendis collectis marturinarum undecim et septem denariorum, in Regno Slavoniae consuetis, liberat.

Ladislaus, Dei gratia Hungariae, Dalmaciae, Croaciae, Ramae, Serviae, Galiciae, Lodomeriae, Cumaniaeque Rex, omnibus tam presentibus quam futuris, et specialiter collectoribus Marturinarum undecim et septem Denariorum per Slavoniam ad praesens, et pro tempore constitutis, quibus expedit, et praesentes ostendentur, salutem in omnium Saluatore. Cum populi Zagrabiensis Ecclesiae, tam Episcopi videlicet quam Capituli loci eiusdem ab omni collecta, siue exactione qualibet marturinarum videlicet, et aliarum exactionum quarumcunque, iuxta antiquam et consuetam ejusdem Ecclesiae libertatem, vallatam multis praedecessorum nostrorum Priuilegiis, et specialiter Priuilegio Domini Stephani serenissimi Regis, clarae recordationis Patris nostri, liberi sint penitus et exempti, Nosque eandem Ecclesiam & Populos ipsius in prioribus velimus eorum libertatibus indemnes conseruare: Vniuersitati vestrae praesenti dictione perpetuo duratura specialiter inhibemus, ne quis praedictos Populos Episcopi et Capituli Zagrabiensis, nomine, ratione seu occasione collectae cuiuslibet, et specialiter praetextu collectae undecim et septem Denariorum, praesumat quatenus molestare, aut ali-

---

*) Hanc cessionem Stephanus V. Rex a. 1272. 8. Julii ad praeces Episcopi Nonensis confirmavit. In ejus diplomatae haec leguntur: „Nos itaque cum ex forma litterarum earumdem edocti, cum etiam per testimonium Rolandi Bani, aliorumque nobilium informati, nec non ex serie Instrumentorum Nonensis Ecclesiae edocti, quod Provincia de Lica, et ejus decimatio nunquam ad Spalatensem Ecclesiam, sed semper et pacifice ad praefatum Nonensem Episcopum et Ecclesiam suam pertinuerit et debuerit de jure pertinere, suadente juris aequitate, litteras easdem ratas habentes, et acceptas, et inseri de verbo ad verbum facientes, praesentibus confirmamus etc. Datum per manus Magistri Praepositi Orodiensis (Onodiensis) aulae nostrae V. Cancellarii etc. Venerabilibus Patribus etc. Jachimo Bano totius Sclavoniae, Paulo Bano Comite Biachiensi.“

quam collectam exigere ab eisdem, non obstantibus literis nostris, si quae contra tenorem Priuilegiorum eorundem, seu contra formam libertatis Ecclesiae emanassent, vel deinceps quomodolibet contingerit emanare, cum praedictam Ecclesiam, sicut praemisimus, ob reuerentiam sanctorum praedecessorum nostrorum, Stephani et Ladislai Regum Hungariae, nec non propter approbatam fidelitatem Venerabilis Patris Timothaei, eiusdem Ecclesiae Episcopi, dictam Ecclesiam, Populos, et Iura eius velimus et intendamus manutenere, et conseruare in eorum consuetis et antiquis libertatibus inconcusse. In cujus rei memoriam et perpetuam firmitatem praesentes dedimus literas dupplicis Sigilli Nostri munimine roboratas. Datum per manus Magistri Benedicti S[tae] Strigoniensis Ecclesiae Electi, ejusdemque Loci Comitis perpetui, Aulae Nostrae Vice-Cancellarii & Praepositi Budensis, Dilecti & Fidelis Nostri. Anno Domini Millesimo Ducentesimo septuagesimo quarto, pridie Calendas Junij Indictione secunda, Regni autem nostri secundo. Venerabilis Patribus Stephano Colocensi et Joanne Spalatensi Archiepiscopis, Lamberto Agriensi, Briccio Csanadiensi, Job Quinque-Ecclesiensi, Philippo Vaciensi, Aulae Dominae Reginae, Consortis Nostrae, Cancellario, Timothaeo Zagrabiensi, Lodomerio Varadiensi, Dyonisio Jauriensi et Petro Transylvano Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Dyonisio Palatino, Comite de Oklich & Judice Cumanorum. Nicolao Judice Curiae Nostrae, Comite de Guecke. Henrico Bano totius Sclavoniae, Nicolao voyvoda Transylvano et Comite de Zonuk, Paulo Bano de Seuerino, Joachymo Magistro Tauernicorum Comite de Plyss, Reinoldo Magistro Dapiferorum Comite Zulgageriensi (?), Nicolao Magistro Pincernarum, Herbordo Magistro Agazonum nostrorum, Comite Barana. Moys Magistro Tauernicorum Dominae Reginae, Consortis nostrae charissimae, Comite Simighiensi; Joanne Comite Sproniensi, Gregorio Comite Castriferrei, Dedalo Comite Zaladiensi, Jacobo Comite Nitriensi, et aliis quam pluribus Comitatus Regni tenentibus et honores.

Ex transsumpto litterarum originalium, in Archivio Capituli Zagrabiensis asservaturum.

LXVIII.

Anno 1275.

Elisabetha Regina nobiles Comitatus Verevče, ultra fluvium Dravum seu in Hungaria in jus vocari non posse statuit.

Elisabeth, dei gracia Regina Hungarie, vniuersis christi fidelibus tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersitatis vestre noticiam harum serie volumus peruenire. Quod cum dominus Ladislaus rex et dux Andreas, frater eiusdem, karissimi filij no-

stri, victoriosissimo patre eorum domino Stephano illustri Rege Hungarie de medio sublato, in etate tenera constituti, regnum et subditos suos debito nequirent regimine gubernare, et exinde per hostes extraneos varie necessitates Regno, et per discordiam baronum inter se habitam iniuriarum acciones incolis eiusdem in ablacione posessionum imminerent: inmunitati quorumlibet ex officio pietatis succurrere cupientes, Dammasa, Thome nobilibus de Werevch, filijs Mathye, in comitatu de Wereuche more nobilium terram tenentibus, duximus annuendum, ut terram Lusanch vocatam, prope fluuium Ilua existentem, ad eundem comitatum de Wereuche pertinentem, quam domina Maria socrus nostra pie memorie eisdem in concambium terre Bryzniche dedit cum vineis et omnibus pertinencijs suis ydem Damasa, Thomas filij Mathye antedicti ac heredes heredumque suorum successores perpetuo tenere valeant et eo modo possidere, ut si heredum solacio fuerint destituti, legandi, vendendi cuicunque voluerint ipsam terram liberam habeant vendendi facultatem, salvo in omnibus jure dominij principalis, eo, quod nobis et nostris successoribus reseruamus. De collectis autem marturinarum et alijs debitis populorum suorum nobis persolvendis, terciam recipiant porcionem. Concessimus insuper, ut ultra Drauam ad curiam domini Regis et ad nostram vel alterius iudicis cuiuscunque citati, nullatenus accedere teneantur, et quod persona extranea testes extraneos producere non possit contra ipsos. Mete autem ipsius terre hoc ordine distinguuntur, prima meta incipit ab oriente per tres arbores Byk vocatas de capite puteij Nepesch, iuxta terram magistri Egydy tendens uersus meridiem iuxta terras vyznicatus pervenit ad arborem Cerasij cruce signatam, et inde ad arborem Gyrtyan meta terrea circumfusam, inde peruenit ad fluuium Ilua et per ipsum fluuium tendit uersus occidentem, et de illo fluuio exit directe ad arborem pomi meta terrea circumfusam, deinde tendit ad quemdam riuulum in feneto, et per eundem riuulum supra versus occidentem ad arborem Gyrtyan, sub qua est meta terrea, deinde ad arborem ficum cruce signatam, meta terrea circumfusam. Postea ascendit ad Byrch et per ipsam Byrch reflectitur ad septemtrionem et peruenit ad terram Jacoby filii Bethe, ubi est arbor yhor, meta terrea circumfusa, et ibi inter duas vineas peruenit ad arborem Cerasy cruce signatam. Inde tendens directe ad eandem plagam in monte usque ad magnam vineam Mathye antedicti, et inde tendit ad viam iuxta terram magistri Egydy et transiens per eandem, per metas terreas, peruenit ad tres arbores antedictas et metam memoratam, ibique terminatur. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes eisdem Damasa, Thome ad dictam posessionem, concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Magistri Gregorij Aule nostre fidelis Cancellarij, anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo quinto.

Orig. membr. in Archivio Regni Croatiae inter acta monasterii de Dobra Kuća. Fasc. I. Nro. 1.

LXIX.

Anno 1275. die 4. nonas Decembris.

Ladislaus IV. Rex populos Stephani filii Michaelis, in Banatu Slavoniae habitantes, a marturinis et a zalužina, Slavoniae Bano pendenda, immunes declarat.

Ladislaus, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex. Omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem in omnium Saluatore. Prouida regum circumspectio suorum subditorum, sibi fideliter famulantium, obsequia debet prospicere oculis pietatis, et occurrere eisdem largifluis manibus, atque donatiuis, vt eo exemplo alii suis naturalibus Dominis addiscant eo diligencius famulari. Proinde ad vniuersorum, tam presencium, quam posterorum noticiam harum serie uolumus peruenire: Quod attendentes fidelitates et meritoria obsequia, et obsequiosa merita Stephani, filii Michaelis ... nostri, que idem Domino Stephano, patri nostro karissimo, clare recordacionis, et nobis ac regno Hungarie in diuersis expeditionibus, cum omni feruore fidelitatis exhibuit, et impendit; volentes eidem aliquali remuneracionis gracia in recompensacionem suorum seruitiorum respondere, licet maiora debuisset promereri; tamen ex munificentia regia statuimus, et concessimus, vt populi eiusdem Stephani, in banatu Sclauonie constituti, collectam marturinarum et victualium, que Zolusma (zalužina) nuncupatur, bano Sclauonie pro tempore constituto nullatenus soluere teneantur; sed ab huiusmodi collecta excepti penitus et exempti habeantur; sed ijdem populi eidem Stephano, Domino suo, prout eidem videbitur expedire, in eadem collecta debeant respondere. Vt autem huiusmodi gracia per nos eidem facta et concessa, robur obtineat perpetue firmitatis, et ne processu temporum per quempiam possit vel debeat in irritum reuocari, aut aliquatenus retractari, presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis viri Magistri Benedicti, sancte Strigoniensis Ecclesie electi, eiusdem loci Comitis perpetui, Prepositi Budensis, Aule nostre Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini MCCLXXV. IV. nonas Decembris, Indictione tercia, regni autem nostri anno quarto. Venerabilibus Patribus, Stephano Colocensi et Joanne Spalatensi Archiepiscopis; Philippo Vaciensi, aule Domine Regine, Consortis nostre karissime, Cancellario; Job Quinqueecclesiensi, Lodomerio Varadiensi, Thymoteo Zagrabiensi, Dionysio Jauriensi, Petro Transiluano, Gregorio Chanadiensi, Episcopis, et Petro electo et confirmato Wesprimiensi, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Petro Palatino, Comite Supruniensi, et Judice Cumanorum; Thoma Bano totius Sclauonie, Wgrino Woywoda Transiluano, Comite de Zonuk; Matheo, Magistro Tauarnicorum nostrorum; Stephano, Magistro Dapiferorum nostrorum, Comite Borsiensi; Petro Ma-

gistro Agazonum nostrorum, Rolando Magistro Tauarnicorum Domine regine, karissime consortis nostre, Comite de Zana; Moys Comite Symighiensi, Michaele Comite Nitriensi, Bagum Comite de Zala, Iwanka Comite Albensi, et aliis quam pluribus, Comitatus regni nostri tenentibus et honores.

E dipl. Hung. Széchényi pag. 424. — Fejér G. Codex Dipl. Regni Hung. eccl. et civ. T. V. v. II. p. 277.

LXX.

Anno 1277.

Ladislaus Rex Timotheo Episcopo Zagrabiensi ejusque successoribus Comitatum Gerzencze seu Berzencze una cum collectis marturinarum et septem denariorum ac zalužinarum confert.

Ladislaus etc. Etsi quibuslibet coronae regiae fidelibus et devotis aperire debemus munificentiae nostrae manus, illis tamen, et maxime praelatis Ecclesiarum tenemur ardentius et specialius respondere, quos videmus nostris et regni nostri negotiis insistere fideliter et devote; et praesertim cum per hoc et honor accrescat regius, et salus attendatur animarum. Proinde ad vniuersorum notitiam harum serie volumus peruenire, quod gratam et commendabilem fidelitatem et meritoria ac multiplicia obsequia ven. Patris Timothei, miseratione diuina episcopi Zagrabiensis, dilecti et fidelis nostri, quibus in regni nostri negociis, et coram nostrae maiestatis oculis absque aliquo offensionis scrupulo studuit multipliciter complacere, attendentes, volentesque ob hoc eidem dignae remunerationis beneficio complacere; licet respectu eius, quod ad praesens sibi conferimus, potiora mereretur; in aliqualem tamen recompensationem fidelium obsequiorum eiusdem Episcopi, de baronum nostrorum consilio et assensu, contulimus sibi, et per eum episcopatui Zagrabiensi, Comitatum de Gerzencze, cum collecta marturinarum et septem denariorum, tenendum, habendum et possidendum, perpetuo et irreuocabiliter, pacifice et quiete; cum illa et eadem libertate, quo possessiones et populi dicti Episcopatus Zagrabiensis a temporibus sanctorum praedecessorum nostrorum, illustrium regum Hungariae, gratulantur; statuentes, quod nec banus Sclauoniae, ratione collectae marturinarum et septem denariorum, ac Zalusinarum; et similiter magister Tauernicorum nostrorum, nomine eiusdem collectae septem denariorum, de ipso comitatu de Gerzencze prouenientium, praedictum episcopum et successores suos praesumat vel debet molestare. Et insuper vniuersi populi, in eodem Comitatu de Gerzencze existentes, nec bani, nec iudicum suorum iudicio in quouis articulo debeant subiacere; quum ipsum

comitatum, non vt honorem, sed in possessionem perpetuam episcopatui Zagrabiensi contulerimus irreuocabiliter possidere. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem praesentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus M. Demetrii, Praepositi Albensis, aulae nostrae Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri, anno Domini MCCLXXVII, regni autem nostri anno quinto.

Kerčelić. Hist. Eccl. Zag. p. 89. — Katona. Tom. VII. pag. 721.

LXXI.

Anno 1279.

Ladislaus Rex privilegium Nicolai Bani totius Slavoniae de libertatibus Nobilium Campi Zagrabiensis transsumit et confirmat.

Ladislaus, dei gratia Hungarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Seruie, Gallitie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex. Vniuersis Christi fidelibus, ad quos presentes peruenerint, salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum notitiam tenore presentium volumus peruenire: Quod accedens ad nostram presentiam Comes Ladislaus, filius Gumzyna, Jobbagio Castri nostri Zagrabiensis, pro se et aliis sociis exhibuit nobis priuilegium Nicolai Bani totius Sclauonie, petens cum instantia, vt idem ratum habere, et nostro dignaremur priuilegio confirmare; cuius quidem priuilegii tenor is est: Nos Nicolaus, Banus totius Sclauonie, significamus tenore presentium, quibus expedit, vniuersis: quod cum feria tertia proxima ante ascensionem Domini congregationem regni Sclauonie Zagrabie haberemus generalem. vniuersi Jobbagiones Castri Zagrabiensis ad nostram accedentes presentiam, in communi concilio predicto, conditiones libertatum ipsorum antiquas nobis exposuerunt sub hac forma: Quod persolutis commutationibus descensuum, ex parte ipsorum prouenientibus, nec Vice-Judex noster, aut Curialis Comes eiusdem, descensum facerent, eo facto a debito commutationis descensus iidem Jobbagiones castri essent expediti; si vero descensum non facerent, ex tunc semel in anno, scilicet circa festum Sancti Martini, ratione eiusdem descensus. Comiti nostro decem et octo pensas iidem Jobbagiones dare tenerentur; et sub eadem forma ratione descensus nostri in festo predicto nobis octo marcas soluere tenerentur; eo quod nec Judex noster, nec Curialis Comes ipsius in eundo versus Gozd, vel redeundo, descensum facere possent inter ipsos, vel familia eorundem, aut nostra. Item quantum in habita compositione aduerse parti darent. tantumdem Judici dare tenerentur, nec aliquis possessionatus ratione alicuius debiti deberet captiuari. Si quis vero ex ipsis contumacia ductus vsque septimum terminum

iuri parere negligeret, penam eiusdem terrestris Comes iudicis nostri predicti recipere teneretur, et receptam ipsi Comiti nostro assignare; nec aliquis inter ipsos terrestris Comes esse posset, nisi de communi consensu eorundem; et euoluto termino anni terrestrem Comitatum renouandi haberent facultatem. Subiunxerunt etiam, quod nullus collectorum Jobbagiones in cura eorum Jobbagionum Castri existentes dicandi haberet optionem; nec ratione iudiciorum exercitus ipsos possemus aggrauare, nisi eadem collecta emergeretur per regnum supradictum. Curialis uero Comes Zagrabiensis predictus nullo vnquam tempore posset descensum facere inter ipsos. Nos itaque auditis, et intellectis libertatibus supradictis, volentes plenius certificari de eisdem, vniuersos nobiles regni, quorum multitudo aderat copiosa, requisiuimus, qui vnanimiter retulerunt, quod iidem Jobbagiones castri, a tempore, cuius non exstat memoria, in libertatibus predictis permansissent. Vnde nos per Nobiles regni certificati de libertatibus supradictis, easdem, ne in futurum per quempiam possint irritari, presentibus duximus roborandas. In facti memoriam, et cautelam ampliorem, presentes contulimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum Zagrabie in ascensione Domini. Anno ab incarnatione eiusdem MCCLXXVIII. Igitur nos iustis et legitimis petitionibus eiusdem Comitis Ladislai fauorabiliter inclinati, ipsum priuilegium ratum habentes et acceptum, de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, dupplicis sigilli nostri patrocinio duximus roborandum. Datum per manus discreti viri Magistri Nicolai, aule nostre Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno Domini MCCLXXIX, regni autem nostri anno septimo.

Transumptae ac confirmatae a Sigismundo Rege a. 1436. et a Vladislao a. 1514. Ex harum pari vidimato liberalitate Ill. D. Baronis Bedeković, obtinuit eas Georgius Fejér et exhibuit in Codice diplomatico R. Hungariae. Tom. V. Vol. II. p. 498.

LXXII.

Anno 1279.

Comitatum Wolkov (Valkoviensem) jurisdictioni Ducis totius Slavoniae subjectum fuisse patet.

Capitulum Ecclesie Beati Petri de Posaga, omnibus Christi fidelibus, tam presentibus, quam futuris, salutem in Domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire: quod Ladizlaus, filius Comitis Pasca, et Nicolaus, filius Emchud, ab vna parte; Magister Dacianus, et Christoforus, filii Johannis, consobrini Comitis Pasca, ab altera, coram nobis personaliter comparentes, ydem Ladislaus et Nicolaus confessi sunt viua voce, quod terram Borsod vocatam, in Comitatu de Wolkou existentem, quam rex Bela felicis recordationis adhuc tempore sui Ducatus Comiti Pasca, patri eiusdem Ladislai contulerat, cuius

terre medietatem idem Ladizlaus supradicto Nicolao, ex concessione regia dederat et assignarat, supradictis Magistro Dacyano et Christoforo, pro quadraginta et duabus marcis, partim in denariis, et partim in estimacione condigna, plene receptis, vendidissent perpetuo possidendam; quas tamen XL et duas marcas, Magister Dacyanus et Christoforus persoluerunt coram nobis Ladizlao et Nicolao prenotatis. Dixit etiam Ladizlaus, quod non solum predictam terram Borsod, pro predicta summa pecunie vendidisset, verum eciam maxime pro eo dedisset, quod cum Comes Paska, pater eiusdem, in extremis laboraret, paterna benedictione sibi iniunxisset, vt si heredum solatio destitutus fieret, nemini de cognatis suis eandem terram vendere seu dare presumeret, nisi filijs Johannis, consobrini sui, videlicet Dacyano et Christoforo prenotatis. Nec hoc pretermittimus, quod Ladislaus et Nicolaus prenotati, recepta sepedicta pecunia plenarie, priuilegium Regis Bele, super collacione eiusdem terre confectum, in manus Magistri Dacyani et Christofori statuerunt coram nobis. Sepe dictam terram Borsod, in metis et terminis, in ipso priuilegio continentibus, tenendam, et possidendam in filios filiorum suorum relinquendo. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes concessimus, ad instanciam et peticionem Ladizlai et Nicolai predictorum, sigilli nostri munimine roborando. Datum anno Domini MCC. septuagesimo nono.

Fejér. Codex Dipl Regni Hung. T. V. v. II. p. 588.

LXXIII.

Anno 1279—1419.

Privilegia Communitatis Nobilium Praedialium castri et oppidi Reicha seu Rovišće, nunc in confinio militari siti.

Nos Nicolaus de Gara, regni Hungarie Palatinus, et Iudex Comanorum, nec non Comes Petrus de Peren Iudex Curie Serenissimi et Magnifici principis domini Sigismundi, dei gracia Romanorum regis semper Augusti, ac Hungarie etc. regis, memorie commendantes tenore presencium significamus, quibus expedit vniuersis. Quod cum Elias filius Mykech de Welike, Comes terrestris Reychensis, nec non Ladislaus filius Michaelis de Fodorostyna et Petrus filius Petri Chvrch de Pribenoch, in eorum ac vniuersorum et singulorum predialium et Nobilium Castri Reychensis personis, domino nostro Sigismundo regi, in eo, quod quamvis ipsi et quilibet eorum prediales et nobiles Jobagiones Castrenses existendo, per diuos reges Hungarie, propter preclara progenitorum eorum seruiciorum merita specialibus libertatum prerogatiuis et graciosis indultis, vigore certorum litteralium Instrumentorum exinde confectorum, fuissent et essent presigniti,

eisdemque a tempore, cuius contrarium non existeret, ad instar predialium et Nobilium verorum et naturalium serviencium regalium, vltra Drauam constitutorum, et iuxta eorundem libertates vsi fuissent et gauisi fruique deberent de iure et gaudere; nichilominus tamen Martinus dictus ders de Zeredahel, litteralia eorum munimenta, que apud se habuisset, manibus suis vendicando, et premissis eorum libertatibus fraudulenter obuiare machinando, tam ipse Martinus oers, quam demum nobilis domina consors, nec non filij et adherentes ipsius Martini ders, ipsos nobiles Castri predicti diuersis pecuniarum et alijs taxis, nec non dacijs, exaccionibus, et seruicijs, sepe replicatis uicibus, eis et eorum singulis impositis, et ab eis exactis et extorsis, certis eciam possessionibus, et porcionibus possessionarijs nonnullorum ex eis pro se ipsis occupatis, et illic suos rusticos locatis, ipsis, vt eos premissis eorum libertatibus ac possessionibus et porcionibus possessionarijs priuari, ac in rusticos conuertere possent, contra premissas eorum libertates et graciosa indulta multipliciter impediuissent, turbassent, et agrauassent, querimoniam porrexissent. In contrarium vero Briccius filius Andree de Saarkecz, familiaris prefate domine et filiorum suorum, ad eiusdem domini nostri regis presenciam accedens, nominibus et in personis ipsorum filiorum et relicte Martini Bani, ipsos prediales prefato Martino et eius filijs datos, iuxta suam regiam donacionem eis factam, conseruasse, ex eoque ipsos in premissis innocentes existere patefecisset. Et huiusmodi querelis ambarum parcium perceptis, idem dominus noster rex nobis inter eosdem prediales prefatamque dominam et filios eius omnibus Juribus et litteralibus ipsorum Instrumentis, factum premissum tangentibus, examinatis, proposicionibusque, ac alijs legittimis documentis intellectis, verum et iustum Judicium facere demandasset, huiusmodique Judicij et iusticie inpensio ad presentes octauas diei Medixline (sic) fuisset deducta. Nempe eisdem octauis instantibus prescripti Elias filius Mykech de velike Melyke, comes terrestris, Item Benedictus filius alterius Mykech de Rempoch, Briccius filius Martini de Kletynch et Lachk filius Stephani de Iwanoch, prediales dicti castri Reyche, pro se personaliter, pro Stephano vero et Simone filijs Mattius, Vrbano et Thoma filijs Georgij, Nicolao filio Dermthych, Georgio filio Johannis, Lachko filio Stephani, Petro filio eiusdem Lachk, Thoma filio Dyonisij de Petrosinch, nec non Petro et Clemente filijs Gordose, Andrea sartore filio petri, Anthonio filio Myke, Nicolao filio eiusdem, petro, dicto Zerdilonich; Matheo, Francisco et Nicolao filijs Michaelis, Johanne filio Iwan, Adriano filo Fabiani, Nobili domina relicta Thome, Nicolao dicto Twrina, et Matheo filio Petri de Zobchynch, Ladislao filio Mychaelis, et Valentino filio Nicolai de Fodrostina, Demetrio et Gregorio filijs Bank, Andrea filio Laurencij Leukes, Blasio et Elia filijs Andree, Kemyn filio Fabiani, Matheo filio Clementis, Jacobo et Johanne filijs Laurencij, ac Georgio filio Nicolai de Dragchewch, Nicolao filio Nicolai, Briccio et Stephano filijs Martini de Kletynch, Martino filio Blasij, Anthonio filio Petri, Stephano & Johanne filijs Johannis, Thoma filio Petri, Wallentino filio alterius Petri, Petro filio Iwan, Thoma filio Blasij, Blasio filio Fabiani, Matheo filio Iwan, et nobili domina relicta Petri de Iwankouch, discreto viro domino Stephano plebano sancte crucis de Welike predicta, Symone filio Emerici, Nicolao filio eiusdem Emerici, dominico filio Laurencij, Martino filio Thome, nobili domina relicta Clementis, et Clemente dicto Dragayech de Mykostina, Anthonio filio Dyonisij, Petro filio Iwnusonych, Johanne & Valentino filijs Iwan de Somrakouch, Marco filio Dragynych, Georgio filio eiusdem, Matheo

filio Petri, et Anthonio filio eiusdem, Nicolao filio Mathei de Lippa, Georgio filio Briccij, et Paulo filio Blasij de predicta Welike, Nicolao Verus filio Petri de Wlchakostina, domina relicta Johannis filij Petri, Nicolao filio Stephani, filij pwnek, Nicolao filio Petri, Georgio filio Nicolai, Nobili domina relicta Gregorij, Paulo filio Nicolai, Thoma filio alterius Nicolai, et Symone filio pwnek de Petozlauch, nobili domina relicta Blasij, Adriano et Benedicto filijs Thome, Johanne dicto Kwkethych, Wrbano filio Stephani, Fabiano filio Pauli, Johanne filio Petri, Matheo filio Pauli, Thoma Anthonio et Blasio filijs Stephani, Georgio et Matheo filijs Marci, Georgio litterato et Gallo filijs eiusdem Mathei, ac Iwan filio Johannis de Wechkouch, Johanne filio Mychaelis, Benedicto prediali Malchech filio Mathei, Johanne et Stephano filijs Thome, Thoma filio Petri, Matheo filio Stephani, Nobili Domina Rosa vocata relicta Stephani, Thoma filio Andree, Puczko filio Thome, Anthonio et Stephano filijs Georgij, Ztanko filio Petri, Matheo et Stephano filijs Michaelis de Pribinouch, Johanne filio Wrbani, Gregorio filio Anthonij, Andrea filio Mathei, Anthonio filio Thome, Georgio filio Mykus, Malecz filio Iwan, Berlek filio Gregorij, Anthonio filio Valentini, Jacobo filio Johannis et Fabiano filio Wrbani de Wlkanouch, nobili domina Znegawa vocata filia Johannis filij Fabiani de Rempostyna, Matheo filio Dyonisij, Georgio filio Johannis, Clemente et Valentino filijs Laurencij, ac Symone filio Clementis de Cherenkostyna, Benedicto filio Clementis et Anthonio filio Thome de Ranizlouch, Emerico filio Adriani, Andrea filio Barnabe, et Wrbano filio Fabiani de Strelnayeustyna, domino Matheo sacerdote filio Nicolai, Clemente filio alterius Gregorij, Stephano fratre eiusdem Clementis carnali, Demetrio filio Blasij, Walentino filio Jacobi, Stephano sartore, de Dragowanch, Johanne filio Andree, Gregorio filio Benedicti, Thoma filio Dyonisij, Andrea filio Barnabe, Anthonio filio Andree, Demetrio filio Johannis, Valentino filio Iwan, Paulo filio Martini, et Clemente filio Thome de Lukachouch, Blagonia filio Blasij, Myke et Paulo filijs Petri de Blasistrouch, nobilibus predialibus et Jobagionibus prefati Castri Reyche: eosdem in presentem causam intromittendo, ijdem cum procuratorijs litteris Comitum et Judicum Nobilium Comitatus Crisyensis, ab vna, parte vero ex altera prefata nobilis domina relicta prefati Martini Bani, Anna vocata, et Georgius filius eius, coram nobis adherentes, et ipsi prediales exhibicione litterarum priuilegialium domini regis Lodouici, duobus Sigillis suis dupplicibus pendentibus, vno priori et antiquo in partibus Wzure deperdito, et alio novo consignatarum, anno gracie Millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto, octauo Idus Aprilis mensis, regni autem sui anno quinto decimo confectarum, et tandem duodecimo Kalendis mensis Junij, Anno domini Millesimo trecentesimo sexagesimo quarto confirmatarum, que tenorem litterarum regis Ladislai filij Stephani, filij Bele regis quarti. Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo nono, regni autem sui anno septimo subortarum, verbaliter et confirmative in se habebant priores eorum, et se ipsos, veluti nobiles Jobagiones Castri & prediales Comitatus de Reyche, a Iudicatu, Iudicio, Iurisdiccione et potestate filij Henryci Bani, Nicolai uidelicet quondam Comitis de Reyche & aliorum Comitum pro tempore constitutorum, per ipsum Ladislao rege modo litteris in eisdem contento, pure & simpliciter, de gracia sua speciali, tanquam ueros et naturales seruientes suos regales, vltra Drauam constitutos, iuxta libertatem eorundem nobilium, exemptos exstitisse declarando, litteras Capituli ecclesie Chasmensis priuilegiales, domine Marie regine relatorie rescriptas, quarto die ferie

sexte proxime ante festum beatorum Philippi et Jacobi Apostolorum anno domini Millesimo trecentesimo nonagesimo primo emanatas, habentes in se tenorem litterarum eiusdem domine Marie regine adiudicatorum, eidem Capitulo directarum, presentarunt continentes: quod inter predialas et nobiles Jobagiones Castri de Reyche, litteris in eisdem nominatos, vt actores ab vna, & inter Stephanum filium Stephani filij Mychk Bani, parte ab alia, super occupacione eorundem predialium, et quorumlibet Iurium ipsorum, coram ipsa domina nostra regina lis mota, exstitisset; in qua quidem lite, ipso Stephano filio Stephani deficiente, eadem domina regina, vniuersa predia, et quaslibet porciones possessionarias dictorum predialium, ipsos ab antiquo contingentes, sub condicionibus et libertatibus eorum eis et eorum heredibus perpetuo possidendas, restatuere commisisset; Paulus itaque dictus contra de Nagech, homo reginalis, ad id specialiter transmissus, et magister Gregorius Canonicus ipsius Capituli, testimonium, ad facies vniuersorum prediorum et porcionum possessionariarum prescriptorum predialium et nobilium Jobagionum, videlicet Johannis filij Emerici de Zelna, alterius Johannis filij Fabiani de Rempoch, Georgij filij Fabiani de Saulfelde, Wrbani filij Fabiani de Wlkanolch, Andree filij Barnabe de Lukachouch, Petri filij Iwan de Welike Melike, Petri filij Blasij similiter de Weliky Melike, Michaelis filij Petri de Pribinouch, Dominici filij Jacobi de Rathkpetherfelde, Ladislai filij Dominici de Saulfelde, Gregorij filij Fabiani de alia Wlkanolch, Petri et Benedicti filiorum Dyonisij de Chernkoch, Dominici filij Laurencij de Keresthur, nec non Nicolai filij Ladislai de Kletynch, alio nomine Lehafelde, Mathei filij Martini de Lippa, Dyonisij filij Blasij similiter de Welike Melike, Mykech filij Stephani penes fluuium Marocha, Petri filij Vlchyak de Capite Velike filij predicti Georgij filij Iwan de Wechkolch, Ladislai filij Michaelis de Fodorostyna, Myke fluuij Punek de Myrostyna, Mathie filij Gregorij de Dernechynchyna, Benedicti filij Johannis de Hranizlauch, Benedicti filij Dragina de Drageverolch, Fabiani filij Georgij de Moysna, et Laurencij filij Petri de Radozlaustyna nominatorum, in tenutis et pertinencijs prelibati Castri Reyche habitorum, vicinis et commetaneis eorumdem vniuersis, inibi legitime conuocatis et presentibus, accedendo, memorata predia, seu possessionarias porciones, cum earundem vtilitatibus et pertinencijs vniuersis annotatos prediales ab antiquo contingentes, eisdem et ipsorum heredibus, sub condicionibus et libertatibus premissis prefato magistro Stephano filio Stephani filij Mychk, in hac parte silencium imponendo, restituissent et commisissent, nemine alio contradictore inibi penitus apparente, perpetuo possidenda et habenda; quibus quidem litteris per ipsos prediales productis, seriebusque earum perceptis et intellectis, eadem domina dictusque Georgius filius suus, se et alios filios dicti Martini Bani, preterea dicti prediales similiter se ad pacis reformacionem in premissis faciendam, per nos transmitti postularunt. Quos, cum nos ad eandem pacem faciendam benivole admisissemus, tandem sicuti prescribitur, prefati Georgius filius et nobilis Domina Anna relicta ipsius Martini Bani, pro se personaliter, pro Ders vero et Petro filijs eiusdem Martini Bani, ijdem sine litteris procuratorijs, quorum onera et quelibet grauamina, si ipsi simul uel diuisim de subscriptis resilire et ea reiterare uellent et conarentur, super se cunctasque eorum hereditates et bona receperunt ab vna parte; siquidem, ex altera, prefati Elias, Benedictus, Briccius et Lachk prediales, pro se similiter personaliter, pro predictis vero alijs predialibus, cum prescriptis procuratorijs litteris, nostri comparentes in presencia, dixerunt et proposuerunt in hunc

modum: quod ipsi ex inducciona nobilium virorum magistrorum Georgij filij Petri de Dombo, Stephani filij Petri de Bochka, et aliorum, pro pace inter eos fienda laborancium, taliter concordassent & ad perpetue pacis vnionem deuenissent, vt tam premissam causam inter eos motam et habitam, quam eciam alias vniuersas et singulas, hactenus inter eos et prefatum condam Martinum Banum exortas et suscitatas, tamquam sopitas et cassatas, condescendere fecissent, seque alternatim et mutua vicissitudine, superinde expeditos et modis omnibus absolutos reddidissent: cunctas et singulas causales litteras, vbilibet sub quibusuis verborum formis alterutrum confectas, inanes, friuolasque, et exhibitoribus nocitiuas relinquendo, ymo concordarunt; supersedere fecerunt, cassarunt, & mortificarunt coram nobis, hys articulis moderaminum specifice adiectis, quod ipsi Georgius, Ders et Petrus filij, nec non nobilis domina Anna, relicta prefati Martini Bani, ipsorumque heredes et posteritates vniuersi, prescriptos Eliam Comitem terrestrem, aliosque prediales, in superioribus nominatim conscriptos, et eis succedentes semper temporibus successiuis, perpetuis in illa eorum libertatis prerogativa et gracia, quibus priores eorum, et per consequens ipsi ante tempus prescripte donacionis, ipsi Martino Bano facte, freti fuissent et gauisi, inmutabiliter et inconcusse conseruare tenebuntur, nullamque nouitatem, vltra dictam libertatem, super eos et eorum posteros facere et immutare valebunt. Et quod ipsi prediales et cuncti eis succedentes, ipsis filijs, et relicte Martini Bani, eorumque heredibus sicuti eorum ueris et naturalibus dominis, semper obedire, ipsosque uereri, seruiciaque et dacia ac collectas debitas, sicuti alias, dum sub manu et potestate regie maiestatis fuissent constituti, fecissent et exercuissent, locis et temporibus ingruentibus, eis dare, amministrare, facere et exhibere obligati haberentur. Sic et eo modo, vt per tempora euiterna, in quolibet anno, quilibet ex ipsis puta predialibus, de predio suo sibi subiecto, quantecunque quantitates existerent, in quolibet die festiuitatis beati Georgij Martyris, singulas duas pensas denariorum noue monete, deinde uero secundario in qualibet die festiuitatis beati Martini Confessoris, ipsi omnesque prediales communiter et indiuisi, septem marcas computi regni Sclauonie, pro qualibet scilicet marca duos florenos nouos computando, prefatis filijs et relicte Martini Bani in heredum heredes, pro collecta dare et soluere tenebuntur; ceterum, quia ipsi prediales regali vel reginali maiestati, dum vltra Drauam in regnum Sclauonie subintrassent, iuxta ritum antiquum victualia dare fuissent astricti, idcirco ipsa regalis uel reginalis maiestas, quandocunque et quocienscunque illuc in ipsum regnum Sclauonie accederent, huiusmodi uictualia semper, tociens quociens hoc eueniret, non ipsis regali aut reginali maiestati, sed precise ipsis filijs et relicte Martini Bani, aut eorum posteris, tanquam eorum dominis, dare et aministrare debebunt; nichilominus autem, sicut ab antiquo fuisset consuetum, ipsi prediales pro faciendo Judicio in villa Keresthur, sedem Judiciariam habebunt, eo modo, quod ex parte ipsorum predialium Comes terrestris eorum, ex parte uero prefatorum filiorum et relicte Martini Bani, uel heredum eorum, Comes uel officialis eorum, pro tempore constituti, ibi in dicta Keresthur, sede Judiciaria, pro ipso Judicio faciendo simul et ad inuicem, non uero diuisim consedebunt, causantibusque et querulantibus Judicium facient, de quo quidem Judicio ipsorum amborum Comitum, si ipsi litigantes contentabuntur, bene quidem, alioquin sicut solitum fuisset, huiusmodi Judicium et eius examen per partem, que uellet, in Crisium ad sedem Judiciariam Nobilium ipsius regni Sclauonie pro ha-

benda deliberacione deduceretur. Et deinde, si aliqua parcium uellet, ad curiam regiam, iuxta libertatem dictorum nobilium, examen huiusmodi Judicij transferre posset, vbi autem aliquis causidicus, vel litigans, coram ipsis ambobus Comitibus aliquatenus conuinceretur, duas partes birsagiorum, vel aliorum grauaminum, Comes prefatorum filiorum prefati Martini Bani et domine, eorumque successorum, terciam vero annotatus Comes terrestris ipsorum predialium semper pro se reciperent et tollerent, nec hoc pretermisso, quod prefati domina et Georgius filius ipsius Martini Bani, nominibus quorum supra predia subscripta et eorundem particulas prefatum Martinum Banum ab eis receptas, et alienata uidelicet predictum predium Rempoch condam Johannis filij Fabiani nobili domine filie sue conjugi predicti Benedicti filij Mykech; item predium Fodorostyna prefato Ladislao filio Michaelis filij Valentini, sub eisdem metis, quibus tenta fuissent, deinde de predio Saulfelde fenetum quadraginta curribus aptum, quod ipse Martinus ad suam propriam Curiam de Tapalouch applicasset; item de predio Lukanoch illam particulam terre arabilis, quam ipse Martinus Banus pro se ad ciuitatem suam Reyche applicasset, Anthonio filio Valentini cum fratribus suis; item de predio Pribinouch, tria iugera terre arabilis, et unum fenetum ad possessionem suam Konzka occupatas, deinde de predio Hranizlouch, illum montem, qui ante prefatam Reyche haberetur, et quem ipse Martinus eidem Reyche applicasset, post hoc de predio Roysna illam partem cum loco sessionali ipsius predii, quas ipse Martinus pro se habuisset, Vrbano filio Fabiani et Emerico filio Adriani; item predium Radoslastyna ex integro Emerico filio Fabiani, in heredum heredes, sub condicionibus et libertatibus antiquis, iure perpetuo tenenda duxerunt pleno iure remitenda, eatenus veluti eis ab antiquo pertinuissent, predictum eciam Wulchakostyna, quod pro nunc ipse Nicolaus ruffus possidet, et quod vnum ex dictis predijs prescriptorum predialium exstitisset, in numerum eorundem prediorum vice versa computarunt, et inmiscuerunt, sub dacijs et seruicijs, libertateque preassertis. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem, presentes nostras litteras priuilegiales, sigillis nostris authenticis pendentibus communitas, ipsi Elie Comiti terrestri et alijs prelibatis predialibus duximus concedendas. Datum Albe tricesimo sexto die octauarum diei Medixline (sic) predictarum. Anno domini Millesimo quadringentesimo decimo nono.

Originalis membr. in Archivio Regni Croatiae N. R. A. 561. Nro. 36.

LXXIV.

Anno 1283. 12. Maji. Spalati.

Joannnes, Spalatensis Archiepiscopus et totius Dalmatiae, Croatiae, Slavoniaeque Primas, Episcopum Scardonensem, ne in alienis Dioecesibus potestatem ordinis et jurisdictionis episcopalis exerceat, serio monet.

Johannes diuina miseracione Spalatensis Archiepiscopus, tocius Dalmatie, Croatie, Sclauonieque Primas, venerabili fratri domino N. per eandem episcopo Scardonensi, salutem in domino. Testante sacro Concilio anno preterito in Spaleto celebrato, ordinasse ac firmiter precepisse recolimus, quod nullus suffraganeorum nostrorum, in preiudicium alterius, clericos alterius dioecesis ad sacros ordines promouere, aut alia ecclesiastica et episcopalia sacramenta ministrare presumat, sub pena quingentarum librarum. Sed sue diecesis finibus sit contentus. Quod preceptum et tam salubre statutum venerabilis frater noster G. dei gracia Traguriensis episcopus, in festo beati Dompnii, presentibus nostris suffraganeis, et vniuerso clero, vos infregisse grauiter nobis est conquestus, dicens, vos Sibenicenses Clericos ad sacros ordines promouisse, ac eis Crisma contulisse, nec non baptisma paruulorum, ac alia sacramenta ecclesiastica et episcopalia celebrasse, in sui preiudicium et grauamen. Cum dicti Clerici Sibenicenses et totum Sibenicum, subiecti sint de iure episcopo et episcopatui Traguriensi, excusantes uos omnia supradicto nostro mandato et auctoritate fecisse. Hanc totam suam querimoniam nobis impingendo et contra nos conquerendo, plurimum nobis, quin pocius supra modum debitum, exstitit infestus et molestus, tamquam grauiter sautiatus et afflictus. Et si bene recolitis, cum nuper in societate Pauli Bani ad nos accessistis, super eodem facto non solum a Traguriensibus, sed etiam a Spalatensibus, grauissimas lamentaciones et terribiles conquestiones in presencia domini potestatis Spalatensis et omnium nobilium Spalatensium, non absque magno nostri cordis dolore, et multi certaminis agone, opposita etiam contra nos rigida, dura, aspera et molesta appellacione, audiuimus. Super quibus omnibus grauiter afflicti et perturbati, ad instanciam et preces multas omnium suffraganeorum nostrorum, qui presentes in festo sancti dompnii exstiterunt, taliter vestre fraternitati scribimus et per hoc presens scriptum nostrum firmiter et districte precipimus et precipiendo mandamus: Quatenus in antea, sicut graciam beati dompnii et nostram caram habetis, et dicti concilij penam uultis effugere, supradictam nullatenus acceptetis et in predictis nullaten. excedatis. Alioquin indignacionem

beati dompnii et nostram ac supradicti concilij penam, si contra feceritis, procul dubio incurretis.

Data Spaleti in palacio Archiepiscopali die Martis XII Madij infra octauas beati dompnij. Indictione sexta.

Orig. membr. in mea collectione Diplomatum originalium.

LXXV.

Anno 1285.

Radislaus, Comes de Glaas, Verbas et Sana (nunc in Croatia Turcica), agrum et insulam Tympor Abbatiae Toplicensi reddit.

Nos Radislaus, Comes de Glaas, Vrbaz et Zana, memoriae commendantes significamus universis, qvibus expedit, praesentium per tenorem. Quod cum terra qvae dicitur Insula Tympor, sita juxta fluvium Wn (Una), post obitum ipsius Tympor, Fratri Nostro Dyonisio Bano, bonae memoriae, et Nobis, mediantibus instrumentis Regalium Literarum remansisset. Nobisque eandem terram per plura tempora possidentibus pacifice, et tenentibus, nemini viventium de Nobilibus Regni Sclavoniae contradicente, vel pro ipsa Nobis adversante, venerabilis Pater Fr. Jacobus dictus Abbas, et Conventus Ecclesiae Toplicensis, Litteras Privilegiales Domini Regis, super ipsa terra confectas, Nobis praesentaverunt, qvorum tenore viso et intelecto, prout vidimus in ipsis Litteris plenius contineri, considerantes esse illicitum et incongruum, ut terra Ecclesiae Toplicensis, per Nos aliqvaliter occupetur, vel impediatur, reddimus eandem terram et restituimus Ecclesiae Toplicensi perpetuo rehabendam, et possidendam, eo modo: Quod nec per Nos, nec per Nostros successores, seu aliqvos de Nostra generatione, aliqva impetitio, qvaestio, seu requisitio, pro terra praefata possit fieri contra Ecclesiam Toplicensem. In cujus rei testimonium praesentes Literas Nostras concessimus, pendentis Sigilli Nostri munimine roboratas. Datum Anno Domini Millesimo Ducentesimo octuagesimo qvinto.

Ex Transsumpto Privilegiorum Abbatiae B. M. V. de Thopusko.

LXXVI.

Anno 1289. Tertio Idus Junii.

Ladislaus IV. Rex Joanni et Leonardo Comitibus de Vinodol, Modruš et Veglia possessiones nec non jus patronatus Ecclesiae Corbaviensis et Senyensis confirmat.

Ladislaus, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, vniuersis Christi fidelibus, tam presentibus, quam futuris, presencium noticiam habituris, salutem in omnium saluatore. Dignum est et consentaneum racioni, vt ea, que per inclitos reges, progenitores nostros, sibi fideliter obsequentibus, iuste et legitime sunt collata, perpetuo robore fulciantur et inuiolabiliter obseruantur. Proinde ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire. Quod nobiles viri Johannes, Leonardus et eorundem filii, filii comitis Vyd de Wynodol, Modrussia et Vegla, missis ad nos procuratoribus suis, a nostra regia pecierunt humiliter supplicando maiestate, quod nos possessiones eorum, villas, predia, castella, insulas, nemora, terras, silvas, iura patronatus ecclesiarum de Corbouia et de Scenya, que et quas ex collacione illustrium Regum Hungarie, progenitorum nostrorum, piarum recordacionum, iuste et legitime possederunt, eis relinquere dignaremur, et nostro priuilegio confirmare. Quorum nos iustis peticionibus fauorabiliter inclinati, attendentesque fidelitatis et seruitiorum merita graciosa eorundem Johannis, Leonardi, predictorum comitum, que karissimis progenitoribus nostris illustribus Regibus Hungarie et Stephano Regi patri nostro reuererendo cum fauore summe fidelitatis impenderunt, prout nobis per relaciones fidelium nostrorum est relatum, considerantes et obsequia eorundem gratuita, que in recepcione nunciorum nostrorum ad curiam Romanam et ad in- inclitum Karulum Regem Sycilie et filios suos cognatos nostros perdilectos destinatorum, hospitalitatis graciam inpendendo, non sine magnis eorum sumptibus impenderunt, vt fideliter, sic deuote, vniuersas possessiones eorum, predia, villas, castella, terras, insulas, nemora, siluas, iura patronatus ecclesiarum de Corbouia et de Scenya, que et quas iusto titulo collacionis predictorum Regum pacifice possederunt, super quibus litteras, priuilegia seu munimina predictorum Regum et Regis Stephani patris nostri karissimi, legitime optenta, habent uel habere dicuntur, et voluerint presentare loco et tempore opportunis, eisdem Johanni, Leonardo et filijs eorum comitibus, et per eos ipsorum heredibus heredumque suorum successoribus, relinquimus pacifice possidendas, tenendas et habendas, et presencium auctoritate duximus confirmandas, dupplicis sigilli nostri munimine roborando. Datum per manus venerabilis patris Gregorii dei gracia episcopi chenadiensis, aule nostre cancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno domini mille-

simo ducentesimo octuagesimo nono. Tercio Idus Iunij. Regni autem nostri anno decimo octauo.

(A tergo scriptura antiqua: Confirmatio priuilegiorum et Jurium patronatus super eligendum episcopum Corbauiensem et episcopum Segniensem.)

ⰋⰂⰀⰐ ⰗⰓⰀⰐⰍⰀⰒⰀⰐⰟ.

Orig. membrana in Archivio Regni Croatiae. N. R. A. Fasc 316. N. 5.

LXXVII.

Anno 1293. die 12. Maji. Spalati.

Archiepiscopus Spalatensis totius Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Primatum habuit.

Johannes diuina Misericordia Spalatensis Archiepiscopus, totius Dalmacie, Croacie, Sclavonieque Primas. Ven. Fratri D. N. per eamdem Episcopo Scardonensi salutem in Domino. Testante Sacro Concilio Anno preterito in Spaleto celebrato, ordinasse ac firmiter precepisse recolimus, quod nullus suffraganeorum nostrorum, in prejudicium alterius, Clericos alterius Diocesis ad sacros ordines promouere, aut alia Ecclesiastica et Episcopalia sacramenta ministrare presumat, sub pena D. librarum, sed sue diocesis finibus sit contentus. Quod preceptum, et tam salutare statutum, Ven. Frater noster G. (Gregorius) Dei Gratia Traguriensis Episcopus, in festo B. Dompnij, presentibus nostris sufraganeis et universo Clero, vos infregisse graviter nobis est conquestus, dicens: vos Sibenicenses Clericos ad sacros ordines promovisse, ac eis crisma contulisse, nec non babtisma parvulorum, ac alia Sacramenta Ecclesiastica et Episcopalia celebrasse, in sui prejudicium et gravamen; cum dicti Clerici Sibenicenses, et totum Sibenicum subjecti sint de jure Episcopo et Episcopatui Traguriensi; excusantes vos etiam, omnia supradicta nostro mandato et autoritate fecisse; hanc totam suam querimoniam nobis inpingendo, et contra nos convertendo, plurimum nobis, quin potius supra modum debitum extitit infestus et molestus, tanquam graviter sauciatus, et afflictus. Et si bene recolitis, cum nuper in societate Pauli Bani ad nos accessistis, super eodem facto non solum a Tragurinis sed etiam a Spalatensibus gravissimas lamentationes, et terribiles conquestiones, in presentia D. Potestatis Spalatensis et omnium nobilium Spalatensium, non absque magno nostri cordis dolore, et multi certaminis agone, opprobria etiam contra nos rigida et dura, aspera et molesta appellacione audivimus. Super quibus omnibus graviter afflicti, et perturbati, ad instantiam et preces multas omnium Suffraganeorum nostrorum, qui presentes in festo S. Dompnij extiterunt, taliter vestre fraternitati scribimus, et

per hoc presens scriptum nostrum firmiter et districte precipimus, et precipiendo mandamus, quatenus in antea, sicut gratiam Beati Dompnij et nostram caram habetis, et dicti Consilij penam vultis effugere, supradicta nullatenus atemptetis, et in predictis nullatenus excedatis. Alioquin indignationem B. Dompnij, et nostram, ac supradicti Concilij penam, si contrafeceritis, procul dubio incurretis. Data Spaleti in Palatio Archiepiscopali, die Martis 12 Madii, infra octauas B. Dompnij. Indictione sexta.

Joannes Lucius. Memorie di Traù pag. 134. — Farlati. Illyricum Sacrum Tom. III. pag. 293. — Originale in archivio capituli Traguriensis.

LXXVIII.

Anno 1320 die 23. Septembris in Vrbaz, et 1321 die 8. Novembris in Castro Oklić.

Johannes, totius Slavoniae Banus, vectigalia in districtu Rakonok (Rakovec) exigenda Nicolao Ladislai de Rakonok filio auctoritate regia cedit.

Johannes, Banus tocius Sclavoniae, dilectis sibi vniuersis Christi fidelibus, presens scriptum inspecturis, salutem in salutis largitore. Pro meritis nostrorum fidelium vigilanti animo nostro conuenit prouidere, quia dum bonis bene facimus, dum eorum quieti assurgemus, dum ipsos bonis ditamus, oportunos per hec nostre magnitudinis conquiescit animus merito et fouetur. Proinde ad vniuersorum tam presencium quam futurorum noticiam harum serie volumus peruenire: Quod nobilis vir magister Nicolaus filius Ladislai de Rakolnok, ad nostram personaliter accedens presenciam, exhibuit nobis litteras nostras patentes, petens nos precum cum instancia, vt easdem de verbo ad verbum rescribi faceremus, ac nostris litteris priuilegialibus eidem dignaremur confirmare, cuius tenor talis est: Nos Johannes Banus tocius Sclavonie significamus quibus expedit vniuersis. Quod nobilis vir Nicolaus filius Ladizlai de Rakonok, dilectus et fidelis noster, cum vniuersis nobilibus et viris Idoneis districtus regni Sclavonie, videlicet Comite Georgyo filio Georgij, Petro filio Michaelis, Michaele filio Radomeri de Kamarcha, Iwachino filio Thome, filij Berywoy, ad nostram accedens presenciam, sueque fidelitatis seruicia nobis proponens et declarans, petens a nobis precum cum instancia, vt pro suis fidelitatibus et servicijs nobis inpensis et inpendendys per eundem, in districtu possessionis eiusdem in Rakolnok ipsum contingentibus, per magnam viam de Crisio ad Zagrabiam euntibus, transeuntibus et redeuntibus, quibuslibet cum mercimonijs pergentibus, tributum iuxta regni consvetudinem approbatam dare et confere, auctoritate regia, qua fungimur in Ba-

natu, dignaremur. Nos itaque iustis et dignis peticionibus predicti magistri Nicolai aures nostre magnitudinis advertentes, cognoscendo eiusdem peticiones fore iustas, et a prescriptis nobilibus regni Sclavonie veridica relacione agnoscentes, tam pro eo, quia idem magister Nicolaus a flore sue iuventutis semper in omnibus expedicionibus regni Sclavonie, vna nobiscum, sacrosancte corone debite viriliter dimicando, in nullo rebus parcens, vel personis, et specialiter tunc, cum nos, vna cum filijs Henrici, bellum siue prelium habuissemus personale, idem magister Nicolaus multorum suorum proximorum cede et sui sanguinis effusione, multa pro nobis sustulerit uulnera, quam etiam, quia strata ipsa et transitus fluuiorum in proprijs possessionibus eiusdem Nicolai existentibus, videlicet Delebzsk, Zwha Delebzsk, Zalnuk et Radowysthe, ac eciam per Lonam, grauis erat et periculosus, ex certa sciencia ac de beneplacita voluntate vniuersorum nobilium regni Sclavonie prescriptorum et aliorum quorumlibet nobiscum existencium, predictum tributum predicto magistro Nicolao duximus conferendum, heredum per heredes in hunc modum: vt pontes predictorum foncium per predictum magistrum Nicolaum prompti habeantur nunc et semper, seu parati, et ipsum tributum auctoritate regia per nos vna cum nobilibus regni Sclavonie collatum et statutum, consencientibus vniuersis cometaneis et vicinis, perpetuo more solito ab omnibus, quibus decet, exigatur in hunc modum, vt de curru duo denarij et de pedite dimidius denarius et non plus, tributum autem prenotatum de omnibus pontibus fluuiorum eidem Nicolao et suis posteris in recompensacionem suorum seruiciorum datum et collatum in Radovysche, vbi idem residere dinoscitur, sine contradiccione et more consueto ab antiquo, eidem et suis successoribus perpetuo amministretur, per nos, per nos (sic) et nobiles regni Sclavonie exstitit definitum. Presentes autem cum nobis fuerint reportate, in forma priuilegij nostri, propter uberiorem cautelam, ac iuris et iusticie evidenciam, redigi faciemus. Datum in Vrbaz sexta feria ante festum beati Michaelis Archangeli anno Domini Millesimo CCC° vigesimo. Nos itaque predictas nostras litteras patentes cernentes fore esse iustas, non abrasas, non cancelatas, nec in aliqua parte sui corporis viciatas, ex certa sciencia approbamus, ratificamus et presentis patrocinii auctoritate presencium confirmamus. Datum sub castro Oclich in octavis Omnium Sanctorum. Anno Domini Millesimo CCC° vigesimo primo.

Ex Transsumpto in membr. Ladislai de Egervara, Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bani, a. 1481. facto, in Archivio Regni Croatiae inter Acta Conventus FF. Eremitarum S. Pauli Crisiensis. Fasc. III. N. 5. asservato.

LXXIX.

Anno 1324. Cvisii.

Nicolaus, totius Slavoniae Banus, generalis congregationis nobilium Regni Slavoniae et denariorum banalium mentionem facit.

Nicolaus banus tocius Sclauonie, comes Sopruniensis et de Kaminin, dilectis sibi omnibus presens scriptum inspecturis salutem in salutis amatore. Cum humane mentis discrecione repertum est, vt ea que aguntur in in (sic) tempore, ne cursu temporum elidantur, litterarum testimonio solent confirmari. Proinde ad vniuersorum tam presencium quam futurorum noticiam thenore presencium harum serie uolumus peruenire, quod nobilis vir magister Jacobus, dictus paruus, in Congregatione nostra generali, quam vna cum nobilibus regni Sclauonie, secunda feria, ex precepto et mandato domini nostri Karoli dei gracia illustris Regis Hungarie, duximus celebrandam; in eadem Congregacione nostra predictus magister Jacobus supredictus, exhibuit nobis litteras priuilegiales Andree quondam Regis Hungarie, et Capituli Chazemensis ecclesie, in quibus conperimus, quod possessio Chanow vocata, in comitatu Crysiensi existens, per eundem emptionis titulo per Matheum filium Nicolai filij Juan predicto paruuo Jacobo pro quinquaginta marcis denariorum banalium *) uenditam fuisse irreuocabiliter et iure perpetuo possidendam. Vnde cum nos litteras prescriptas non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua partes (sic) sui corporis viciatas comperimus, nec aliquem contradictorem contra litteras priuilegiales ipsius magistri Jacobi adinvenimus. Preterea predictam possessionem Chanow vocatam, cum omni plenitudine sui iuris, sicut prius, sic et nunc, predicto magistro Jacobo auctoritate presencium duximus roborandam, et eciam confirmandam, prout in Congregatione nostra generali, vna cum nobilibus Regni Sclauonie in Crisio tercia feria ante quindenas Epiphanie domini celebrata, discursum exstitit illud idem. Datum in Crisio tercia feria ante quindenas Epiphanie domini. Anno domini M. C° C° C°. XX quarto.

(L. S.)

Originalis membr. in Archivio Familiae Ferić. Zagrabiae.

---

*) Denariorum banalium et zagrabiensium in plurimis diplomatibus et literis publicis mentio occurrit.

LXXX.

Anno 1325. die 9. Februarii. In Vissegrad.

Carolus Robertus Rex privilegia a Bela IV. Rege civibus Zagrabiensibus collata confirmat.

Karolus, dei gracia Rex Hungarie, fidelibus suis magistro Tauernicorum suorum, Judici curie sue, bano tocius Sclauonie, Comitibus parochialibus seu prouincialibus, Castellaneis item quorumlibet, ciuitatum et villarum Judicibus seu villicis, ac qualiscumque preeminencie et status hominibus, eorumque vices gerentibus, presentibus et futuris, quouis nomine uocientur, quibus presentes ostenduntur, salutem et graciam. Cum libertas fidelium ciuium nostrorum de monte Grecyensi seu Zagrabiensi per dominum Belam quondam inclytum Regem Hungarie, proauum nostrum karissimum clare memorie, mediante suo Priuilegio, data eis et concessa, per nosque tam priori et antiquo quam nouo et autentico nostro Sigillo ipsis confirmata id requirat, ut nullus extraneus seu eiusdem Ciuitatis homo in quibuslibet causis Ciues predicte ciuitatis nostre Grecyensis seu Zagrabiensis et quemlibet ex eisdem, pariter Jobagiones et populos villarum dicte ciuitatis in territorio existencium, ad nostram seu quorumlibet Judicum seu Justiciariorum Regni nostri presenciam valeat euocare seu trahere ordine Judiciario in causam. Quod si qui aliquid actionis contra eos aut aliquem ex ipsis uel ad ipsos pertinentes habuerint, in presencia Judicis seu villici dicte Ciuitatis nostre exequi debeant. Qui quidem Judex seu villicus ipsius ciuitatis, simul cum prioribus eiusdem civitatis, si quibuspiam ex parte suorum conciuium et ad eos pertinencium uel alicui ex eisdem aliqualiter Justiciam facere neglexerit, non hy. uel Is, contra quos agitur, ymmo idem Judex seu villicus dicte ciuitatis ad nostram presenciam debeat euocari eo facto, et nos dictos fideles ciues nostros in iam dicta libertate inviolabiliter conseruare intendamus. Vestre fidelitati firmiter precipiendo mandamus per presentes: quod ciues predicte ciuitatis nostre, et ad eos pertinentes uel aliquem ex eisdem, in quibuslibet causis motis et mouendis contra quospiam iudicare nullatenus audeatis, sed ut premittitur quicunque contra eosdem uel aliquem ex eis accionem habuerint in presencia Judicis seu villici eiusdem ciuitatis prosequantur. Qui si iusticiam cuipiam non fecerit, non hy, contra quos agitur, sed idem Judex seu villicus sicut prescribitur ad nostram presenciam euocetur. Datum in Vissegrad quarta feria proxima post festum beate Agate Virginis et martiris. Anno domini Millesimo trecentesimo XX^{mo} quinto.

Originalis membr. in Archivio Regni Croatiae.

LXXXI.

Anno 1325. In Vissegrad.

Statutum Caroli Regis, quo decernitur, incolas Banatus Slavoniae unius Bani jurisdictioni subesse, nec a quoquam coram Palatino aut Curiae Regiae aut quocunque alio judice in jus vocari posse.

Nos Capitulum Chasmensis ecclesie memorie commendantes significamus quibus expedit vniuersis, presencium per tenorem, quod Anno domini Millesimo trecentesimo vigesimo quinto, in vigilia beati Luce evangeliste, nobiles et prouidi viri, videlicet Mark filius Hegen, Johanes filius Vrbani, et Nicolaus filius Jwachini filii Mortunus de Kamarcha, ad nostram personaliter accedentes presenciam, exhibuerunt nobis Litteras patentes Domini Karoli Dei gracia illustris regis Hungarie, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte viciatas, petentes a nobis precum cum instancia, ut tenorem et formam earundem nostris in litteris priuilegialibus de verbo ad verbum inseri, et transsumpmi faceremus nunc Sigilloque nostro autentico consignari, quorum peticionibus iustis et honestis annuentes, maxime, quia easdem iustas et laudabiles fore comperimus, ipsas de verbo ad verbum presentibus inseri, et transscribi fecimus, nostrique Sigilli appensione communiri, quarum tenor talis est: Nos Karolus Dei gracia Rex Hungarie, memorie commendantes significamus quibus expedit tenore presencium vniuersis: quod tanto magis regale sceptrum extollitur, quanto a sollicitudinibus releuatur, et quanto tribunal ipsius digniores in circuitu conspicit contribuos regionis; porro hac consideracione commoniti, qui de celesti prouidencia regni moderamur abenas, ad reformationem nostri regni precipua reddimur cura solliciti, quia honor Banatus tocius Sclavonie, prout ex litteris Magnifici viri Mykch Bani eiusdem regni Sclavonie, dilecti et fidelis nostri recepimus, per exemptiones, quas per nos, aut predecessores nostros, ad importunitatem petencium fere omnibus Nobilibus de Sclavonia scimus esse concessas, in Judiciis, Jurisdictionibus, et Juribus suis valde est, ymmo omnino diminutus; volentes vt ipsius Banatus honor sic magnifice moderetur, et ex magnificentia ipsius Banatus excellentia regia decoretur, et quiescat, sicut in diebus antiquis, omnes exempciones, si quas quibuslibet Nobilium terre Banatus a nobis, vel nostris predecessoribus obtinuissent, per quas se a Judicio, et Jurisdictione, aut Jure Banatus in aliquo retraxissent; de prelatorum et Baronum nostrorum consilio, et consensu revocantes, et cassantes, prouida deliberacione statuimus, quod universi et singuti homines, tam nobiles, quam alii cujuscunque preeminentie, conditionis, et status existant, ultra fluuium Drawa, in tota terra Banatus constituti, Judicio et Jurisdictioni Bani pro tempore constituli subiaceant, et nullus possit aliquem de terra Banatus co-

ram Palatino, vel Judice Curie regie, aut coram quouis alio Judice in Judicio, aut extra Judicium convenire, nisi coram Bano, pro tempore constituto, vel eius Vice-Judicibus, per quos volumus vice, et auctoritate regia, ac sui ordinaria potestate, quibuslibet Injuriam passis, vel querulantibus, Justicie copiam ministrari. Ad hec statuimmus, ut nulli omnino Judicum liceat suam Jurisdictionem, et Judicium in causas, ortas in terra Banatus, aut inter homines terre Banatus intromittere, nec cause huiusmodi ad presenciam alicuius Judicis per Comites, vel aliquod speciale mandatum deferantur; vniuersis itaque Judicibus Regni nostri, Palatino, Judici Curie nostre, Comitibus, et aliis quibuslibet pro tempore constitutis, regio edicto precipimus, firmiter precipientes, mandantes, quatenus uniuersos, et singulos Homines de terra Banatus, nec suo Judicio astare compellant, nec etiam in causas inter eosdem ortas suum Judicium, et Jurisdictionem aliqualiter intromittere presumpmant. Si quispiam autem Judicum presentis mandati nostri transgressor extiterit, aut ad premissa se intromiserit, eius sentencia, seu Judicium, nullius roboris optineat firmitatem, et insuper indignacionem regiam non evadat. Datum in Wissegrad in quindenis Nativitatis beati Johannis Baptiste. Anno domini Millesimo trecentesimo vicesimo quinto. Nos itaque premissis justis, et juri consonis peticionibus annotati Lourandi litterati annuentes, pretactas litteras nostras priuilegiales, non abrasas, non viciatas, nec in aliquali sui parte suspectas, de verbo ad verbum, absqve diminutione et augmento aliquo transsumpmi, et transscribi, presentibusque similiter litteris nostris privilegialibus inseri faciendo, tenorem et transumptum earundem presentibus verbotenus inserptum eidem Lourando Litterato duximus concendendum ad cautelam. In cujus rei memoriam presentes Litteras nostras privilegiales pendentis autentici Sigilli nostri munimine roboratas duximus concedendas. Datum Feria quarta proxima post festum beati Michaelis Archangeli. Anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo primo.

Originale membr. in Archivio Regni Croatiae Priv. N. 5.

LXXXII.

Anno 1328. 11. Kal. Octobris. In Pruk..

Ulricus de Walse, Styriae Capitaneus, districtum quemdam inter fluvios Muram et Dravam situm, Carolo Regi cedit.

Nos Ulricus de Valse, Capitaneus Styriae, memoriae commendantes significamus tenore praesentium quibus expedit Universis, quod Nos quemdam districtum, inter fluvios Drava & Mura habitum, intra veras metas Regni Hungariae existere & fore, Jus Regis ejusdem Regni revera esse cognoscentes, quem usque modo habuimus & tenuimus, deinceps nostro & omnium haeredum nostrorum,

cum omnibus terris, castris, villis, oppidis & aliis utilitatibus, seu dominiis plenis, Excellentissimo Principi Domino Karulo Regi dicti Regni Hungariae & suis haeredibus, non metu, neque vi per quempiam coacti, sed sponte, pure & simpliciter, reddimus, restituimus, remittimus & resignamus, nihil juris, nihilque proprietatis vel dominii in eisdem, vel aliquo eorum, nobis vel nostris haeredibus reservando, imo omni juri, si quod in ipso districtu, terris, villis, castris seu oppidis habuissemus, renunciantes, litterasque & instrumenta quaelibet exinde confectas, si quas obtinuimus & reservavimus reddentes, cassas, frivolas, & per omnia carituras viribus & vigore. Datum in Pruk undecimo Kalendas Octobris. Anno Domini Millesimo trecentesimo vigesimo octavo.

(Sigillum pendens.)

Tenor Intitulationis:

Super Districtu inter Fluvios Drava et Mura existente Regi Carolo remisso.

Originalis membr. a Comite Keglević Comiti Festetić cessa, inque Archivio hujus asservata.

LXXXIII.

Anno 1329. mense Julio. In Vissegrad.

Carolus Robertus Rex privilegia, civibus Zagrabiensibus collata, iterum confirmat.

Karolus, dei gracia Rex Hungarie, fidelibus suis Zagrabiensis et Chasmensis Ecclesiarum Capitulis salutem et graciam. Quia libertas fidelium ciuium nostrorum de ciuitate Zagrabiensi seu Grecyensi, per dominum Belam condam Regem hungarie chare memorie, mediante priuilegio suo, eis concessa et per nos eisdem pro ipsorum seruitijs meritorijs confirmata, hoc requirat, quod dicti ciues et ad eos pertinentes, vel aliquis ex eisdem, non ad nostram vel aliquorum aliorum Judicum aut Justiciariorum Regni nostri, preterquam in antea Judicum seu villicorum eiusdem ciuitatis citari debeant presenciam. Quod solum Judicem aut Justiciarios dicte ciuitatis pro eo, si cuicunque in antea iusticiam facere denegauerint uel neglexerint, ad nostram presenciam debeant euocari. Idem vestre fidelitati precipimus firmiter per presentes, quatenus, quicunque litteras nostras citatorias uel aliorum quorumlibet Judicum Regni nostri, contra predictos ciues nostros et ad eosdem pertinentes uel aliquem ex ipsis uobis exhibuerint, testimonium seu vero hominem ad citandum ipsis postulantibus vel aliquem ex eisdem preterquam ad citandum Judicem ipsorum, vt premittitur, cuipiam in antea dare

seu trasmittere nullatenus debeatis, sicut nos offendere formidatis, aliud non facturi. Datum in Vissegrad in con....nis beati Jacobi Apostoli. Anno domini Millesimo C°C°C° X°X° nono.

Originalis membrana in Archivio Regni Croatiae.

LXXXIV.

Anno 1334. IV. Non. Junii.

Carolus M. Donch, Comiti Zoliensi, castrum Comarom loco castrorum Strigov et Čaktornja, in insula inter Muram et Dravum sitorum, donat.

Karolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Galicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque Rex, Princeps Sallernitanus et honoris ac montis Sancti Angeli Dominus. Omnibus Christi fidelibus, presentibus pariter et futuris, noticiam presentium habituris, salutem in omnium salutis largitore. Cum bene meritis fauor debitus impenditur, et sinus dilectionis panditur, fideliterque obsequentibus digna merces redditur, Deus placari creditur, et subditi ad fidelitatis opera exercenda facilius inuitantur, accenduntur, que sub spe et desiderio retribuationis amplioris. Proinde ad universorum tam presencium quam futurorum noticiam volumus peruenire: quod cum nos nobili viro Magistro Donch, filio Dominici, Comiti de Zolio, fideli nostro, mediantibus litteris honorabilium virorum Capituli scilicet Ecclesiae Strigoniensis privilegialibus in permutacionem castri Arua, nuncupati, quod idem nobis et nostris heredibus, sive successoribus restituit et reliquit cum toto districtu eiusdem et suis pertinenciis universis ac singulis perpetuo possidendum, tenendum pariter et habendum, quedam castra nostra Strigow et Chaakturnya nominata, intra fluvios Drava et Mura habita et situata, similiter cum suis districtibus et pertinenciis universis, ac tenutis ad eamdem spectantibus, dedissemus et tradidissemus perpetuo in filios filiorum eiusdem possidenda; que quidem castra idem pleno iure sibi statuta pluribus diebus titulo dicte permutacionis habuisset et tenuisset, tandem idem magister Donch ad nostram accedens presentiam, exposuit nobis humiliter, supplicando, quod castrum Camarun nuncupatum, in comitatu ad Camarun, in insula Danubii habitum, propter hoc, vt ipse ad nos, in curia nostra propius fieri possit, et debeat, ac sua nobis fidelia seruicia magis continue erga nos existendo commodius valeat frequentare, sibi magis vtile, quam predicta castra Strigow et Chakturnya vocata, vt premittitur, in permutacionem castri Arua nominati, per nos sibi date fore inspexisset, et pariter estimasset; petens vt predictum castrum nostrum Camarum vocatum in permutacionem iam dictorum castrorum Strigow et Chakturnya dare sibi de benignitate

regia dignaremur. Itaque nos peticionibus eiusdem fauorabiliter inclinati, tam predicta consideratione, ea videlicet, ut idem magister Donch in curia nostra existat et resideat, ac nobis commodius valeat famulari, quam pro suis serviciis, quoniam debemus cuiuslibet fidelium nostrorum servicia attendere, et ipsis pro eisdem serviciis esse fauorabiles, et pariter generosi; predictum castrum nostrum Camarum vocatum, cum omnibus suis vtilitatibus et pertinenciis, villis scilicet, tributis, piscinis, sive piscaturis et aliis universis et singulis iuribus, rite et iuste ad ipsum castrum, salwo iure alieno, sub metis, terminis et limitationibus antiquis, spectantibus et pertinentibus, eidem magistro Donch, qui ipsum castrum Camarum sibi fore, vt predicitur, magis vtile, quam castra predicta allegabat, et a nobis ei dari instantissime propter causas predictas postulabat, dedimus, tradidimus et contulimus, iure perpetuo et irrevocabiliter, in filios filiorum eius et heredes possidendum, tenendum pariter et habendum; predicto tamen Comitatu Camariensi nobis et nostris heredibus sive successoribus reservato; e converso quidem magister Donch in permutacionem dicti castri Camarum, supradicta castra Strigow et Chakturnya, cum omnibus pertinenciis eorumdem, quibus erant sibi statuta, nobis et nostris heredibus ac successoribus reddit et restituit pleno iure; nihilque proprietatis sibi et suis heredibus in ipsis castris Strigow et Chaakturnya, eorumque iuribus et pertinenciis universis deinceps reservando. In cuius rei memoriam et firmitatem perpetuam, presentes eidem concessimus litteras dupplicis authentici sigilli nostri appensione communitas. Datum per manus venerabilis viri magistri Thatamerij, Albensis Ecclesie Prepositi, aule nostre Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri, quarto nonas Junii, anno Domini Millesimo tricentesimo tricesimo quarto. Venerabilibus in Christo patribus et dominis Chanadino Strigoniensi, fratre Ladislao Colocensi, aule nostre Cancellario, Archiepiscopis. Nicolao Jauriensi, Ladislao Quinqueecclesiensi, Andrea Transilvano et alio Andrea Varadiensi, Ladislao Zagrabiensi, Nicolao Agriensi, Meskone Nitriensi, fratre Rudolfo Waciensi, fratre Paulo Albensi de Nandor, et Jacobo Chanadiensi, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Wesprimiensi autem, Syrmiensi ac Bosnensi sedibus vacantibus. Magnificis Baronibus Wyllermo Drwgeth Palatino, Comite Zepsien et Wjwar, Demetrio magistro Thavernicorum nostrorum, Thoma Wajwoda Transilvano et Comite de Zonuk, Comite Paulo, Symonis filio, Judice Curie nostre, Mykch Bano tocius Sclavonie, Johanne Bano de Machow, Paulo magistro Tavernicorum Domine Regine consortis nostre carissime, Dionisio Dapiferorum nostrorum magistris, ac Nicolao Comite Posoniensi, aliisque quam pluribus regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

Ex auth. transumpto Vladislai II. anno 1504. in coll. Nic. Jankovich de Jesenicze. — Fejér. Codex Dipl. Regni Hung. T. VIII. v. III. p. 722.

LXXXV.

Anno 1339. Zagrabiae.

Provinciam Metlikam una cum Sihestain, Sichemberg et Grachan (nunc in Carniolia) intra ambitum Dioecesis Zagrabiensis esse sed ab Equitibus Theutonicis tempore bellorum, in Hungaria exortorum, a Croatiae Regno avulsa fuisse, demonstratur.

In nomine Domini Amen. Anno eiusdem Millesimo trecentesimo quadragesimo: Pontificatus sanctissimi in Christo patris domini Benedicti duodecimi divina providentia Sacrosanctae Romanae ac universalis Ecclesiae summi Pontificis Anno Sexto. Frater Joannes Ordinis Cisterciensis Abbas Conventus Ecclesiae Monasterii Sanctae Mariae de Toplica, Zagrabiensis Dioecesis, iudex unicus ad infrascripta a Sede Apostolica delegatus, Universis praesentium noticiam habituris Salutem in Domino. Litteras Sanctissimi Patris domini Benedicti Papae supradicti, eius bulla plumbea in filo canapis more Romanae Curiae bullatas, veras et integras, ac omni suspitione carentes, pro parte Ecclesiae Zagrabiensis et Venerabilium virorum Capituli eiusdem Ecclesiae, per Reverendum virum dominum Jacobum Lectorem, Generalem Vicarium Venerab. in Christo patris domini Ladislai Dei et Apostolicae Sedis gratia eiusdem Zagrabiensis Ecclesiae exhibitas, nos percepisse noveritis in haec verba. Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monasterii Sanctae Mariae de Toplica, Zagrabiensis Dioecesis, Salutem et Apostolicam benedictionem. Dilectorum filiorum Capituli Ecclesiae Zagrabiensis precibus inclinati, praesentium tibi auctoritate mandamus, quatenus ea, quae de bonis ipsius Ecclesiae alienata inveneris illicite vel distracta, ad ius et proprietatem eiusdem Ecclesiae legitime revocare procures. Contradictores per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita conpescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, Censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum Avinionis quarto Nonas Martii. Pontificatus Nostri anno quinto. Quibus quidem litteris Apostolicis, per nos cum ea, qua decuit, reverentia receptis, idem dominus Jacobus Vicarius nomine eiusdem Zagrabiensis Ecclesiae Capituli graviter est conquaestus: Quod Religiosus vir Frater Henricus, ordinis Cruciferorum domus Theothonicae Commendator sive praeceptor domus eiusdem de Chernomel in Methlica, et fratres eius, decimas ibidem et circumquaque ad ipsum Capitulum pertinentes, indebite occupatas percipiebant, quas petebat ad ius et proprietatem Ecclesiae Zagrabiensis, et per consequens, Capituli eiusdem reduci, sicut habebamus per Apostolicas literas in mandatis. Nos vero ordine iuris procedentes,

dictum Capitulum citari fecimus, octavum diem festi Nativitatis Beatae Virginis eisdem coram nobis comparendi pro termino assignantes. Et quoniam eodem termino adveniente, idem Frater Henricus et fratres sui non curaverunt comparere contra Capitulum, Venerabili viro domino Joanne Archidiacono de Guerche, procuratore eiusdem Capituli legitimo, ipsorum contumaciam accusante; ideo eosdem Fratrem Henricum et suos fratres secundario et peremptorie fecimus ad nostram praesentiam evocari et citari, contra idem Capitulum, eis octavum diem post festum Omnium Sanctorum ex tunc coram nobis comparendi pro termino assignando: Quo termino occurrente et nobis in Claustro Sanctae Mariae nostri Ordinis existentibus Zagrabiae, propter copiam peritorum, praedictus Frater Henricus praeceptor sive commendator de Chernomel in Methlika comparuit in iudicio coram nobis. Cui quidem per praedictum dominum Joannem procuratorem saepedicti Capituli oblatus fuit libellus, in haec verba. In nomine Domini Amen. Anno eiusdem M°CCCXXXIX, Pontificatus Sanctissimi patris domini Benedicti divina providentia Sacrosanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Summi Pontificis Anno quinto, coram vobis domino Fratre Joanne Abbate Conventus Ecclesiae et Monasterii Sanctae Mariae de Toplica, Zagrabiensis dioecesis, Judice a Sede Apostolica delegato: Ego Joannes Archidiaconus de Guerche, procurator Capituli Zagrabiensis Ecclesiae, dico nomine eiusdem Capituli et propono: quod cum decimae, sive redditus decimales provinciolae Methlikae, sicut et aliae decimae in Archidiaconatu de Guerche, ex institutione et ordinatione antiqua, ratione quartae, de rebus sive bonis Episcopalibus Ecclesiae Zagrabiensis ad Capitulum eiusdem Ecclesiae pertineant, de cuius Ecclesiae dioecesanae existunt; Frater Henricus Ordinis Cruciferorum domus Theothonicae praeceptor sive Commendator de Chernomel in Methlika, et fratres sui de eadem domo, ipsas decimas cum suis participibus laicis ab aliquibus suis praedecessoribus tempore manifestarum guerrarum in Regno Hungariae, contra Deum et justitiam, in grave detrimentum et praeiudicium ipsius Capituli usurpatas percipiunt et hucusque perceperunt. Quare nomine procuraratoris ipsius Zagrabiensis Capituli peto compelli eundem Fratrem Henricum praeceptorem, et fratres suos, desistere a perceptione eorumdem reddituum sive proventuum decimalium in provinciola de Methlika, et ibi locis adherentibus, et ab impetitione sive molestatione huiusmodi compesci, et eidem Zagrabiensi Capitulo dictos redditus sive proventus decimales adiudicari, ac per vestram sententiam declarari: redditus sive proventus decimales in eadem provinciola de locis ibi adhaerentibus esse de pertinentiis decimationis Capituli supradicti, tamquam de existentibus infra limites Zagrabiensis dioecesis, usque Ecclesiam beatissimi Stephani Regis Hungariae de Zemch inclusive, quae Ecclesia cum sua Parochia et Capellis, circa et extra limites Aquilegiensis dioecesis existit, parte in illa, et abhinc limes protenditur per cacumen montium versus Aquilonem, directe quodammodo Ecclesias de Sihestain, de Sihembergh, et de Grachan ad Zagrabiensem Ecclesiam dioecesanam includendo, salvo iure mihi semper addendi, minuendi vel mutandi praemissa, vel ex eis aliqua, prout videbitur expedire. Actum in Claustro Sanctae Mariae de Zagrabia, anno et die praenotatis. Tandem ad petitionem eiusdem Fratris Henrici, pro se et suis fratribus, de consensu saepedicti domini Joannis Archidiaconi procuratoris Capituli antedicti, eidem Fratri Henrico et suis fratribus ad respondendum peremptorie ad praedictum libellum, et in contentis, concessimus pro termino octavum diem Na-

tivitatis beati Joannis Baptistae proxime venturum, ipso fratre Henrico, pro se et suis fratribus consentiente et acceptante dictum terminum, ad hunc finem, et in Claustro praedicto. Demum adveniente praedicto termino, scilicet octavo die festi Sancti Joannis Baptistae, idem Frater Henricus non comparuit, nec aliquis ex fratribus suis, immo nec misit aliquem nuntium simplicem, saltem ad aliquam excusationem allegandam; nobis ipsum ex tunc quatuor diebus immediate sequentibus, ob reverentiam sui Ordinis, exspectantibus, ipso Joanne Archidiacono comparente semper, et eiusdem Fratris Henrici et suorum fratrum contumatiam fortius accusante, petenteque, se nomine eiusdem Capituli mitti in possessionem decimationis supradictae, iuxta formam oblati libelli. Quare non valentes ulterius in offensam iuris et praejudicium dicti Capituli, saepedicti Fratris Henrici et suorum fratrum contumatiam manifestam sustinere, utpote, qui ad peremptoriam responsionem sponte assumptam, sicut superius exprimitur, non curarunt comparere, vel saltem aliquem accusatorem mittere, eundem dominum Joannem Archidiaconum procuratorem saepedicti Capituli et nomine eiusdem in possessionem omnium percipiendorum reddituum sive proventuum decimalium in provinciola Methlike, de Sihestain, de Sihembergh, et de Grachan, cum suis pertinentiis, tanquam infra limites Zagrabiensis Ecclesiae dioecesis existentium, iuxta tenorem petitionis eiusdem Archidiaconi superius contentae: de consilio peritorum et proborum, tunc nobis assidentium, causa rei servandae, auctoritate Apostolica nobis in hac parte commissa, induximus et inducimus in his scriptis. Per hoc tamen nolumus ipsi Fratri Henrico, suis fratribus et suo ordini, aliquod praejudicium generari, quin possint, si voluerint, recuperare possessionem omnium praemissorum, in quantum a iure permissum reperitur. Actum in Claustro Sanctae Mariae supradicto, die quinto post octavas beati Joannis Baptistae anno praenotato. In praemissorum autem omnium testimonium nostrum Sigillum praesentibus duximus appendendum.

E Codice MSC. Joannis Archidiaconi de Guerche.

LXXXVI.

Anno 1344. 11. Novembris. Zagrabiae.

Nicolaus, totius Slavoniae Banus, jus et lucrum Camerae Banalis, omnibus Regni Nobilibus in unum congregatis consentientibus, Jacobo, Civi Graecensi, 300 marcis denariorum novae monetae banalis locat.

Nos Nicolaus, Banus totius Sclavoniae, memoriae commendamus tenore praesentium — — quibus expedit universis: quod nos consideratis — — de-

votionis sincerae meritis, item ob fidelitatis constantiam Jacobi, filii Vlfardi, civis de civitate Graecensi — — quibus omnibus studuit complacere, ex consensu et declaratione universorum Nobilium regni Sclavoniae, nobiscum existentium, cameram nostram per totam Sclavoniam, cum omni plenitudine iuris et lucro eiusdem, ad honorem Banatus spectantibus, in festo S. Martini confessoris incipien. usque ad revolutionem eiusdem, pro tercentis marcis denariorum novorum monetae nostrae anno in praesenti cum quinque pensis computatis — nobis persolvendis, eidem Jacobo — — duximus collocandum. Datum Zagrabiae in festo sancti Martini. Anno Domini MCCCXLIV.

E charta originali. Kéler Anal. Hist. Tom. I. 225. — Fejér. C. D. H. Tom. 9. Vol. I. p. 255.

LXXXVII.

Anno 1345.

Clemens PP. VI. provinciam Metlikam intra ambitum Dioecesis Zagrabiensis esse agnoscit.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monasterii Sanctae Mariae et priori fratrum Ordinis Praedicatorum Zagrabiensis, ac Officiali Zagrabiensi, salutem et Apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii Capitulum Ecclesiae Zagrabiensis petitione monstrarunt, quod olim ipsi ad Abbatem Monasterii Sanctae Mariae de Toplika, Zagrabiensis dioecesis, Apostolicas sub ea forma literas impetrarunt, ut ea, quae de bonis ipsius Ecclesiae idem Abbas alienata inveniret, illicita vel extracta, ad ius et proprietatem eiusdem Ecclesiae revocare curaret. Contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, ac Henricum Commendatorem et fratres domus hospitalis Sanctae Mariae Theotonicorum de Chernomel, dictae dioecesis, fecerunt coram eodem Abbate auctoritate dictarum litterarum ad iudicium evocari, quodam oblato libello, in quo proposuerant, quod scilicet perceptio decimarum provenientium ex fructibus terrarum, possessionum, et aliorum bonorum consistentium in loco dicto, provinciola de Methlika, et eius adherentiis dictae dioecesis, ad eosdem Capitulum de antiqua et approbata ac hactenus pacifice observata consvetudine pertineret, et tam ipsi quam praedecessores eorum fuissent in pacifica possessione uel quasi iuris percipiendi dictas decimas, et tempore cuius contrarii memoria non extabat: tamen Henricus Commendator et fratres praedicti, decimas ipsas et possessionem percipiendi easdem tenen. contra iustitiam usurparant et occuparant, dictasque decimas perceperant et percipiebant, ac alienatas ac distractas indebite detinuerant et detinebant. Quare petebant eosdem Commendatorem et Fratres compelli, desistere ab occupatione, et perceptione dictarum decimarum, dictasque decimas

et possessionem percipiendi easdem, ad ius et proprietatem eiusdem Ecclesiae reuocari, ipsosque Commendatorem et fratres ab huiusmodi impedimento compesci; dictusque Abbas ad instantiam dictorum Capituli, eisdem Commendatori et fratribus ad respondendum dicto libello vel dicendum causam rationabilem: quare ei respondere non deberent, certum competentem peremptorie terminum assignauit, in quo praefatis Capitulo coram eodem Abbate in iudicio competentibus et praedictorum Commendatoris et fratrum non comparentium contumaciam accusantibus, et propter huiusmodi eorum contumaciam se in possessione percipiendi dictas decimas in eodem libello petitas, causa rei reservandae, mitti petentibus, praefatus Abbas eosdem Commendatorem et fratres ad dicendum causam rationabilem, si quam haberent, quare huiusmodi missio fieri non deberet, coram se citari fecit, ad competentem peremptoriam certam diem; in qua praedictis Capitulo coram eodem Abbate in iudicio comparentibus et praedictorum Commendatoris et fratrum non comparentium contumaciam accusantibus, et in eorum contumaciam in non comparendo ad respondendum dicto libello in eandem possessionem se mitti petentibus, praefatus Abbas reputans eosdem Commendatorem et fratres, quo ad hic prout exigente iustitia contumaces propter huiusmodi eorum contumaciam in non comparendo ad respondendum libello praedicto, recepta prius informatione summaria, praefatos Capitulum in possessione percipiendi dictas decimas in eodem libello petitas, causa rei servandae mittendas fore decernit et misit. Et tandem cum ab huiusmodi decreto et........ non fuisset infra tempus legitimum appellatum, ac praefatus Henricus Commendator infra tempus a iure statutum non curans super praemissis iuri parere, easdem decimas pro se et alios percipere praesumeret, dictosque Capitulum in possessione percipiendi easdem decimas contra iustitiam impediret, praefatus Abbas, cum praemissa adeo essent notoria, quod nulla poterant tergiversatione celari, eundem Commendatorem Canonice moneri fecit, ut infra certum alium peremptorium terminum competentem ab huiusmodi perceptione et impedimento desistere, vel interim coram eo causam, si quam haberet rationabilem, allegaret, monitionem huiusmodi minime parere deberet, pro qua praedictus Henricus Commendator, infra praedictum ultimum terminum, uel post, eidem monitione parere contumaciter non curaret, nullam proponens causam rationabilem, pro qua ei parere minime teneretur, praedictus Abbas in eundem Henricum Commendatorem propter hoc excommunicationis sententiam, exigente iustitia, promulgavit. Quare praedicti Capitulum nobis humiliter supplicarunt, ut eandem excommunicationis sententiam robur faceremus firmitalis debitum obtinere. Quocirca discrecioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam excommunicationis, sicut rationabiliter est prolata, faciatis auctoritate nostra, appellatione remota, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, non obstante indulgentia, qua sibi prior ordini suo a sede Apostolica dicitur esse concessum, quod ipsius ordinis fratres non teneantur se intromittere de quibuscunque negociis, quae eis per eiusdem sedis litteras committuntur, nisi in eisdem litteris de concessione huiusmodi plena et expressa mentio habeatur. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo uestrum ea nihilominus exequantur. Datum Avinione, Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno quarto.

E Codice MSC. Joannis Archidiaconi de Guerche. P. I. c. 56.

LXXXVIII.

1347. Feria 5 ante dominicam Oculi. Zagrabiae.

Privilegium oppido Krapina a Ludovico I. Rege concessum.

Nos Ludovicus, Dei Gratia Rex Hungarie, significamus presentium per tenorem memorie commendantes. Quod ciuibus et hospitibus nostris sub castro Krapyna existentibus et commorantibus, ac ad eosdem convenientibus, hanc libertatem de liberalitate regia duximus faciendam. Quod quicunque de ipsis ciuibus et hospitibus tria Jugera de terra habet et tenet, ille annuatim quinquaginta denarios banales soluere teneatur, quorum viginti quinque soluet in festo beati Michaelis Archangeli, et iterum viginti quinque denarios banales soluet in festo beati Georgij Martyris, et non plures. Item, descensum, uulgariter Zallas dictum, bis in anno soluere teneantur, hoc modo: Quod pro vno descensu vnam pecudem pascualem, sexaginta denarios banales ualentem, centum panes, sex pullos, quinque cubullos de auena, tres cubulos de uino, vnam libram de pypero et croco, ac sal dare debent. Item alia uice eodem anno. Similiter quicunque ipsorum dominus perueniet, prandium uel cenam dare teneantur. Item homicidium eorundem ciuium et hospitum nostrorum sint viginti quinque marce, et non extendat se vltra uiginti quinque marcas. Item quilibet eorum possit iurare pro media marca et iuramentum eorum talium quorumlibet, qui uillicatum in medio eorundem non tenuerunt, extendat se ad mediam marcam. Tales uero ex ipsis, qui uillicatum tenuerunt, possint iurare super vna marca, et iuramentum talium, qui uillicatum tenuerunt, ualeat vnam marcam. Item Castellanus noster tres causas in medio ipsorum iudicare possit, uidelicet causam furti, causam uiolentie seu potentie, et causam homicidii seu sanguinis, in quibus tribus causis, duas partes birsagij Castellanus noster, et tertiam partem uillicus ipsorum accipiet, alias omnes causas, inter eos emersas, et emergentes, uillicus eorum, quem comuniter eligent et perficient, iudicandi habeat facultatem. Item si causa, in predictis tribus terminis et articulis causarum, iudicio Castellani nostri reseruatis, adiudicata fuerit ad iuramentum, tunc ille, qui iurabit, in loco iuramenti quadraginta denarios persoluere pro expurgatione sui teneatur, sed in causis per uillicum iudicatis nihil soluere teneantur. Item, duellum inter ipsos adiudicari et fieri non possit. Item si qui ex ipsis heredum solatio destituti decesserint, illi de omnibus bonis et possessionibus suis liberam habeant, sicut uoluerint, facultatem, tantummodo Castellano nostro vnum fertonem, uel vnam pecudem pascualem, cuius cornua ligaturam capere, et in cuius cornibus ligatura stare possit, dare teneantur. Item, libere veniant, et liberi clara luce recedant, saluis rebus eorum et personis, tantummodo pro terragiis quilibet eorum duodecim denarios

persoluant et deponant. Item, si aliqui seruientes sub eodem castro edificia facere, et in medio eorum commorari uoluerint, tum ad eandem libertatem sicut ciues et hospites ipsius libere ville nostre descendant, et in eadem libertate commorentur, et totum onus cum eiusdem ciuibus et hospitibus portare teneantur. Item, Castellanum vnum et non plures eis constituemus, et volumus, quod Castellanus noster nunc constitutus et in futurum constituendus, contra hanc libertatem per nos gratiose eis factam, eosdem non audeat et non presumat molestare vel aliqualiter pregrauare. Datum Zagrabie feria quinta proxima ante Dominicam Oculi, anno Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo septimo.

(Exstant confirmatoriae litterae Mathiae I. Regis a. 1489., Johannis Corvini Bani et Ducis a. 1495, Beatricis Comitissae de Frangepanibus a. 1506., Georgii Marchionis Brandenburgensis a. 1511., Petri Keglević a. 1534, Lucae et Michaelis Sekel de Kewend a. 1547 et 1577., Mathiae II. Regis a. 1588. datae.)

Originale in Archivio oppidi Krapina.

LXXXIX.

Anno 1349. Zagrabiae.

Loci inter Savum et Dravum, in quibus tributa injusto modo exigebantur.

Magnifico viro Domino Nicolao, tocius Sclavonie et Croatie Bano, Capitulum Zagrabiensis Ecclesie salutem et orationes pro eo ad Dominum. Noveritis nos vestras recepisse litteras in hec verba: Viris discretis et honestis Capitulo Zagrabiensis Ecclesie, amicis suis reverendis, Nicolaus tocius Sclavonie et Croatie Banus amicitiam paratam cum honore. Conqueruntur nobis universi Nobiles Regni Sclavonie inter Dravam et Zavam existentes, quod quam plurima indebita tributa in medio ipsorum tam tempore aliorum Banorum predecessorum nostrorum, quam nostro, facta fuissent et incoata, propter quod non modicam iniuriam seu dampnum paterentur, unde, quia nostro Banatui incumbit officio, ut nobilibus regni de necessitate ipsorum provideamus remedio opportuno, volentes ipsos alleviare, amicitiam vestram presentibus petimus affectuose, quatenus unum ex vobis virum idoneum, una cum magistro Benedicto de Kalanda, Castellano nostro de minori Kemlek, et Comite de Morovcha, in medium universorum nobilium regni Sclavonie pro testimonio transmittatis, qui sciant et inquirant de premissis ab omnibus hominibus, quibus decet et licet, omnimodam veritatem, et post hec, prout vobis veritas premissorum constiterit, nobis amicabiliter rescribatis. Datum Zagrabie feria quarta post festum beati Marci Evangeliste. Anno Domini Millesimo

trecentesimo quadragesimo nono. Volentes igitur nos vestris petitionibus satisfacere, cum predicto magistro Benedicto, homine vestro, discretum virum magistrum Dyonisium Archydiaconum de Varasd, socium et concanonicum nostrum, ad premissa exequenda pro testimonio duximus transmittendum; qui demum ad nos redeuntes, nobis concorditer retulerunt, quod cum ipsi iuxta vestrum mandatum accessisent ad locum in Kamarcha, qui vocatur Jakovzeredahel, ubi universi nobiles et regnicole feria quarta proxime preterita post festum inventionis sancte crucis convenerant pro quibusdam expeditionibus eorundem, ibique ab ipsis nobilibus et regnicolis seriose requisivissent, que tributa, et in quibus locis inter Zavam et Dravam iniuste exigerentur, et contra antiquam observationem? tandem dixerunt se ab eisdem nobilibus et regnicolis veraciter et certitudinaliter rescivisse, quod tributum, quod nunc in Rakonus a transeuntibus exigitur, esset iniuste et indebite impositum tempore Mykch quondam Bani, et per ipsum, nec unquam ibidem alias fuisset constitutum tributum. Item in Poroztoch, Vukorja, et apud Ecclesiam Sancti Johannis de Sabnycha, similiter tempore eiusdem Mykch Bani, fuissent imposita tributa indebita et iniusta, que usque hodie a transeuntibus indebite exiguntur. Item in Hraschyna tempore domini Nicolai filii Stephani quondam Bani fuisset impositum tributum similiter indebite et injuste, quod usque hodie exigitur indebite et injuste. Item in fluvio Cranya vocato, ubi in magna via, qua itur ad Gerencham, quidam pons existeret. Item circa arborem Jegyna et in fluuio Breznycha, ubi quidam Jobagio nomine Gregorius pertinens ad Racham resideret, similiter tributa indebita et iniusta exiguntur, que tempore vestro fuissent instituta, que nunc per Stephanum filium Thome officialem vestrum de eadem Racha indebite exiguntur. Item in Zobochina in . . ekovch et Zybovch tributa indebita exiguntur, que tempore vestro fuissent instituta indebite et iniuste. Item in Megeriucha in sex locis tempore vestro tributa fuissent instituta, que usque hodie indebite exiguntur. Item in Borsonovch in septem locis tempore domini Nicolai filii Stephani quondam Bani fuissent tributa indebita et iniusta, que usque nunc indebite exiguntur et iniuste. Item in Gersencha quoddam tributum indebite exigitur et iniuste. Item in Gutryg solum fuit tributum fori ab antiquo, in quo quatuor denarii de curru exigebantur, nunc autem in quinque locis circumquaque tempore Nicolai filii Stephani quondam Bani tributa instituta, per vestros indebite exiguntur et iniuste. Item prope Ecclesiam Sancti Jacobi in Polosnycha, tempore magistri Stephani filii Mykch quondam Bani et per ipsum fuit quoddam tributum iniuste institutum, et nunc per vestros indebite exigitur et iniuste. Item in Velyka duo tributa in viis, unum videlicet in villa Velyka, et aliud in villa Pukar per vestros indebite exiguntur et iniuste. Item in Gordoa duo tributa in viis tempore Nicolai filii Stephani quondam Bani injuste fuissent instituta, que et nunc per vestros indebite exiguntur et iniuste. Item in ponte fluvii Toplica in possessione Ladislai filii Jacobi prope Zdench, tempore Mykch quondam Bani quoddam tributum indebite fuisset institutum, quod usque hodie sic indebite exigitur et iniuste. Item in Detha et in Gerkonokfeu de novo duo tributa per magistrum Stephanum filium Mykch quondam Bani fuissent indebite instituta, et nunc indebite exiguntur et injuste. Item in Cerekorda in possessione magistri Johannis filii Mark quoddam tributum fuisset indebite institutum, et nunc per Castellanum vestrum de majori Kemlek indebite exigitur et iniuste. Item investigando diligenter rescivissent, quod ab antiquis tempori-

bus pro marturina a quolibet Jobagione integre curie exigebantur duodecim denarii Banales, item pro lucro Camere iidem denarii septem, et sic denarii decem, et novem simul conjungendo, et ultra hec exigebantur duo denarii competentes exactori ipsarum marturinarum et septem denariorum. Item unus denarius similiter de quolibet Jobagione per hominem domini Episcopi Zagrabiensis, qui homo domini Episcopi ab antiquis temporibus pro testimonio in exactione huiusmodi procedebat, ne aliquis ex regnicolis iniuste posset per exactiones huiusmodi agravari, nunc vero ultra hec indebite et iniuste exigitur lucrum Camere in foris, loco cuius fuerunt ipsi septem denarii ordinati, quamvis ipsi septem denarii et nunc exigantur cum marturinis, ut est dictum. Datum feria secunda proxima ante festum Ascensionis Donmini, anno ejusdem supradicto.

Originalis membr. in Archivio Regni Croatiae Priv. Nro. 4.

XC.

1350. Sabatho proximo ante Dominicam Laetare. In Toplica.

Paulus de Vgal, totius Slavoniae et Croatiae Banus, quosdam articulos, praestationes hominum Abbatiae Toplicensis attinentes, e privilegiis eidem Abbatiae ab Andrea II. a. 1211 et 1213 datis, transsumit.

Nos Paulus de Vgal, per dominum Stephanum, Dei gracia tocius Sclauonie, Croacie et Dalmacie Ducem, in dictis Regnis Sclauonie et Croacie Banus constitutus, memorie commendantes tenore presencium quibus expedit significamus vniuersis. Quod vir religiosus frater Guillermus, Abbas monasterij Beate Virginis de Toplica, sua et tocius dicte Ecclesie sue conventus vice et nomine, ad nostram accedendo presenciam, exhibuit nobis quedam duo priuilegia serenissimi principis domini Andree olim illustris regis Hungarie, beate recordationis, fundatoris scilicet dicti monasterij, vnum anno ab Incarnatione domini Millesimo ducentesimo decimo primo, per manus domini Thome aule sue regie cancellarij, et Vesprimiensis prepositi, duplici sub sigillo regio confectum, et aliud anno ab Incarnacione domini Millesimo ducentesimo decimo tercio, per manus Thome Albensis prepositi, et Hungarie cancellarij, sub quodam sigillo eius rotundo emanatum; petens nos humili precum cum instancia, vt quia ipsa duo priuilegia propter viarum discrimina et alios infortunatos casus, ad tuicionem seu conservacionem iurium dicti monasterij, continue secum in specie deferre non auderet, ideo quosdam articulos eorundem priuilegiorum ad conservacionem iurium dicti

monasterij plurimum necessarios, de eisdem priuilegijs collective excipiendo, presentibus nostris litteris priuilegialibus, de verbo ad verbum transsumendo, transscribi et sigillo nostro consignari facere dignaremur. Qui quidem articuli in dictis duobus priuilegijs ipsius domini Andree Regis, de verbo ad verbum talibus verborum prolationibus inventi fuisse dinoscuntur. Principaliores quoque et servicia, que nos ipsi tempore Ducatus nostri, de eodem Comitatu recepimus annuatim, presenti pagine duximus inserenda. Pro marturinis vnaquoque mansio viginti quatuor frisaticos soluere tenetur annuatim; ab hac autem marturinarum solucione nullus exemptus est, preter quinque, quorum hec sunt nomina: Brennue in Bouicha, Wlkan, Berkis, Bogdan et Gostue; istorum quinque Jobagionum, quilibet cum fratribus uterinis et nepotibus, debent ecclesie tres pensas annuatim, et descensum tenere, porcos uero regios debet ecclesia de tota terra sua colligere, ita, quod nullus ab eorum solucione sit exemptus. Omnes uero isti supradicti, qui soluunt tres pensas, per totum regnum Hungarie, ad iussionem Abbatis, vel illius, qui uices eius, mandato ipsius, suppleuerit, quoties iussi fuerint, proprijs equis et sumptibus, ipsi et heredes eorum, ire tenentur, et si ire noluerint, abbatis iudicio subiacebunt. Homines de foro Toplice, preter marturinas, reddere debent tunellam vini, bouem vnum, et de singulis domibus panem vnum, et hoc ter in anno, scilicet in natali Domini, in pascha et in assumptione beate virginis. Preterea sciendum est, quod hospites de foro Toplice, singulis annis decem pensas frisaticorum, eidem ecclesie soluere tenentur, in natiuitate quinque pensas, et in pascha quinque pensas, preter marturinas, quas, sicut alij soluant. Hospites autem et castrenses omnes prenominati Comitatus, soluant monasterio Toplice singuli de singulis mansionibus annuatim cubulum vnum frumenti, et alium avene, cuius mensura erit quatuor pugnorum et quatuor digitorum, a festo s. Michaelis vsque ad festum omnium sanctorum, sicut et marturinas, et collectoribus duas pagachas, et cubulum vnum avene et gallinam vnam. Nos siquidem iustis et legitimis peticionibus prefati fratris Gujllermi, Abbatis de Toplica, fauorabiliter inclinati, predictos articulos, seu clausulas necessarias, de eisdem duobus priuilegijs prememorati domini Andree regis, collectiue excipiendo sine diminucione et augmento aliquali, presentibus nostris litteris priuilegialibus, de verbo ad verbum fecimus inseri et sigillo nostro autentico consignari, uberiorem ad cautelam. Datum in Thopolcha sabatho proximo ante dominicam Letare. Anno domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo.

Ex Transsumpto Privilegiorum Abbatiae Thopuskensis.

XCI.

Anno 1350. die 10. Julii. Budae.

Stephanus, totius Slavoniae, Croatiae et Dalmatiae Dux, antiquas libertates civium Zagrabiensium tuetur.

Stephanus, dei gracia tocius Sclauonie, Croacie & Dalmacie Dux, fidelibus suis vniuersis Prelatis, Baronibus, Comitibus, Castellanis, Nobilibus ac eorum vices gerentibus, item ciuitatibus, villisque et earum rectoribus, nec non quibusuis alijs hominibus cuiusuis condicionis et preeminencie existant, et specialiter tributarijs in dicto Regno suo Sclauonie constitutis et constituendis in futurum, quibus presentes ostenderentur, salutem et graciam. Querele nunciorum ciuium nostrorum de monte Grech, in eo, quod per nonnullos extraneos contra eorum libertates ab antiquo conseruatas perturbarentur, aures nostre maiestatis humilime propulsarunt; vnde cum nos dictos ciues nostros seu hospites de Grech, in eorum libertatibus, ab antiquo obseruatis, velimus conseruare, fidelitati vniuersitatis vestre, ducali edicto, firmiter precipientes mandamus, quatenus predictos ciues nostros, contra eorum libertates, in nullis casibus indebite et iniuste molestare, agrauare et perturbare presumatis. Aliud, sicut nostram indignacionem incurrere formidatis, non facturi in premissis. Datum Bude, feria sexta proxima post quindenas festi natiuitatis beati Johannis Babtiste. Anno domini M°C°C°C° quinquagesimo.

Orig. membr. in mea collectione Diplomatum originalium.

XCII.

Anno 1350. 3. Kal. Novembris.

Ludovicus, Hungariae et Croatiae Rex, Stephano Lacković, Transylvaniae Vojvodae, ob insignia bello Neapolitano parta merita, castra Osztrog (Strigovo) et Csaktornya (Čakovec), inter Muram et Dravam (Medjumurje) sita, donat.

Ludovicus, Dei gratia Hungariae, Jerusalem, Siciliae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Lodomeriae, Galiciae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, Princeps

Salernitanus, et honoris montis sancti Angeli Dominus, universis Christi fidelibus, praesentibus pariter et futuris, praesentes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Obtutus regii consideratio speculativa provide deliberationis statera pensans merita singulorum, illos praecipue tenetur attollere favoris regio praemio potiori, qui a primaevis pueritiae suae temporibus, in domo regiae celsitudinis, sicut ut aliis, sic virtutum meruerunt recipere incrementa, et quodammodo per gradus gratuitae donationis conscendentes, pro coronae regalis honore se variis exponere periculorum generibus nullatenus formidarunt. Considerantes itaque inter virtuosa virtute eximia et constantium numero potissima constantia, magnif. virum Stephanum Wayvodam Transylvaniae et Comitem de Zonuk, virum utique nobilem, refulgere, nimirum cum nostrae menti incelabilis sinceritatis suae impressio quodam sigillari stigmate se offerat et exponat, cogimur non immerito magnificis ipsius gestis recensitis, quae diversis necessitatibus urgentibus pro regno et regali corona exercuit, ad perpetuam gestorum memoriam, ne succensivi obscurentur rubigine temporis, ipsius servitia enarrare. Et licet prolixum esset eadem prae multitudine per singula recitare, ut tamen ea, quae nec aemula lividitas, nec livida aemulatio celare posset, per nos non celentur, qui sicut ad vindictam malorum, sic ad laudem bonorum, regium diadema noscimur divinitus assecuti, servitia ipsius, quae praesentibus paulo inferius annotantur, exprimi iussimus nominatim. Primo siquidem, cum Serenissimus Princeps Dominus Andreas, inclitus rex dictorum Jerusalem et Siciliae regnorum, germanus frater noster dulcissimus, adolescens innocens, agnus immaculatus, Deo et sanctae Ecclesiae devotus, hominibus gratiosus et placidus, ac multis virtutibus perfulgens, per acerbae mortis excidium, per occultos proditores, ausu nephario et detestabili, Dei et hominum timore postposito, in ipso regno Siciliae, in civitate Aversa, quae potius fuisset subversa, extitisset immolatus et nequiter iugulatus; nos tanti regis, fratris nostri, crudelissima morte, quae medullam nostri cordis dira passione amarissime lacerabat, condolentes, sententia de throno Dei prodeunte, et virtute altissimi rectum iudicium sperante, ad eiusdem regis, fratris nostri, iniuriam visibiliter vindicandam, assumptis nobiscum ipso Stephano Wayvoda et aliis regni nostri Baronibus et militibus, versus Italiam feliciter accessimus, et quosdam in praemissa interemptione fratris nostri culpabiles, ex certa informatione, repertos poena debita condemnando, remeavimus in regnum nostrum Hungariae memoratum. Denique quia propter dictum nostrum de dicto regno nostro Siciliae discessum, Joanna et Ludovico de Tarento marito eiusdem, capitalibus inimicis nostris, cum eorum gentis multitudine, ipsum regnum nostrum Siciliae invadentibus, satagentibusque nonnullis aliis nostri fratris diadematis inimicis, nec non proditoribus et rebellibus sacrae regiae maiestatis nostrae, ipsum regnum nostrum diversimode extiterat lacessitum, quam pluribus ipsius regni nostri magnatibus et civitatibus a fide nostra, in contemptum regii honoris nostri et coronae contumeliam segregatis; ideo volentes et animo cupientes huic miserabili regno nostro Siciliae de remedio providere oportuno, ne per ipsos nostros capitales inimicos, aemulos et rebelles, regnique nostri praedatores fideles nostri opprimantur, praefatum magnificum virum Stephanum Wayvodam Transylvaniae, Consiliarium et familiarem nostrum dilectum, qui glorioso Principi D. Carolo, genitori nostro carissimo, sceptra regiminis dicti regni Hungariae, in memoria felici importante, a primaevis pueritiae suae temporibus, et per consequens nobis ad tro-

num et coronam, regalis fastigii succedentibus, labores continuos, expensarum honera et servitia indefessa, pro exaltatione regii culminis et honoris, pro reintegratione et augmento reipublicae, ac reformatione pacis in regno Hungariae praedicto, in diversis expeditionibus ipsius Patris nostri, et nostris, ductor exercitus existens, potissime in conservatione confiniorum et recuperatione terminorum regni nostri Hungariae praelibati, tempore sanctissimorum Progenitorum nostrorum, olim illustrium regum Hungariae, in conterminis regnorum Austriae et Bohemiae limitatorum, et demum ipso regno nostro Hungariae suo naturali rectore destituto, nec habente in se, qui suae aequitatis habenas recto tramite gubernaret, penitus ad dicta vicina regna nequitiose occupatorum, cum effusione sanguinis sui, et quam plurimorum proximorum et servitorum suorum caede, fidelissime exhibendo, prae aliis regalibus nostris famam pollentem, et nomen ducebat gloriosum, de ipsius industria et legalitate confidentes, adiuncta sibi gentis multitudine, in praedictum regnum nostrum Siciliae, ut seductorum nequitia exstirpetur, tirannorum puniatur crudelitas, perversorum compescatur temeritas, praesumtuosa refrenetur audacia, malorum evellatur perversitas, superborum consternetur elatio, et elatorum cornua deprimantur, fideliumque et bonorum sinceritas clarius elucescat, duximus destinandum. Qui quidem Stephanus Wayvoda, postquam fuisset in Fogya, praefatum Ludovicum de Tarento, nostrum hostem publicum et regni nostri Siciliae invasorem, et sequaces suos in civitate Luceriae, districte, fortiter obsedit, idemque Ludovicus. timore magno perterritus, et angustiis undique circumdatus, gentis suae, et salutis suae prope desperatus, de dicta Luceriae civitate discedens, versus civitatem Exculii volens pergere, ante ipsum Stephanum Wayvodam vix vicinam civitatem Troyae attingere valuit fugiendo, praedictus vero Stephanus Wayvoda, ut prudens vir, volens in cepto proposito publicato in actu praeponere necem vitae, priusquam ab incepto ignominiose desistat, ipsum Ludovicum de praedicta civitate Troyae, cum sua gente, cum Banderiis seu vexillis explicitis, versus praedictam civitatem Exculii in convallibus iter arripientem, invasit, et cum ipsa gente Ludovici praeliavit, in quo praelio, sicut Domino placuit, victoriam sibi iustitia ministravit, et praeter occisos et vulneratos ad mortem, trecentos equites captivavit, vexilla Ducis Vernellii, Domini Nicolai de Acherolis, Domini Philippi, dicti mali spiritus, Domini Joannis de Turgonia, et alia tria connestabulorum Corporalium seu Nobilium apportavit; praedicti vero Dux Vernellius et Dominus Nicolaus de Acherolis, cum multis aliis, per multa personarum pericula viribus equorum suorum perffulti, de manibus ipsius Stephani Wayvodae incogniti vix evaserunt. Dampnificata itaque gente praedicti Ludovici et praedicta perditione, sequenti die idem Ludovicus sub silentio noctis auffugit de ipsa Troya in civitatem Exculi praenotatam, et demum nonnullis diebus transactis idem Stephanus Wayvoda praefatum Ducem Vernellium cum quingentis armatis societati ipsius Ducis Vernelii adiunctis in civitate Corneth captivavit. Post haec cum idem Ludovicus aggregata sibi gentis multitudine appreciatae, et compluribus regni nostri Siciliae infidelibus in suam societatem applicatis, confidens in gentis suae multitudine, ipsum Stephanum Wayvodam cum tota gente sibi adiuncta, in contumeliam nostri regii honoris penitus exterminare cupiens, et animo desiderans anhelanti, ante civitatem Neopolitanam in area ad certamen belli prius per ipsum Stephanum Wayvodam in contrarium ipsius Ludovici praeparata, belli certamen commisit, ubi idem Stephanus Wayvoda zelo

devotae fidelitatis armatus, volens potius post mortem vivere per famae gloriam, quam tergum hostilitati huiusmodi vertere, se obiecit, et ibi sonis bellicis utrinque hostiliter perflatis, acerbissime praeliavit; quod quidem praelium etiam apud Troyanos fortissimos potuisset decentissime commendari. Sed quid plura; ille siquidem supremus opifex, qui fidelibus dextram praebet, et iustis auxilii sui commodum procul ponere non novit, victoriam memorato Stephano Wayvodae ab hostibus desideratam digne praebuit reportare; ubi superbi perierunt, fortes et bellicosi corruerunt, et infideles, quorum non est numerus, languidi iacuerunt lethalis gehennae gustantes potum marcescibilem perempniter et in aevum. In quo quidem ingenti praelio praefatus Stephanus Wayvoda leonino accinctus robore, quam plures Magnates, Barones et potiores milites partis adversae triumphaliter captivavit, partem adversam penitus debellando. Deinde idem Stephanus Wayvoda solitae fidelitatis insistens fervori, quam plures validissimas ipsius Ludovici expeditiones multifarie multisque modis debellavit, et civitates plurimas expugnavit, ac gravia et horrenda personarum pericula eidem Ludovico adhaerentibus irrogavit, ut certa relatio nobis haec omnia patefecit; sicque potiores et nobiliores ipsius regni nostri Siciliae magnates et milites ad fidei nostrae cultum adduxit, et nostris servitiis applicavit. Nos igitur attendentes praedicti Stephani Wojvodae huiusmodi fidelitates, et praeclara servitiorum multa laude digna merita, pro quibus licet plura et maiora mereretur, in aliqualem tamen recompensationem fidelissimorum servitiorum suorum, de nostra regia auctoritate, et beneplacito, conniuentia et consensu serenissimae Principissae, Dominae Elisabeth, reginae Hungariae, Genitricis nostrae charissimae, et Domini Stephani, totius Sclavoniae, Croatiae et Dalmatiae Ducis, fratris nostri dulcissimi, et de consilio et consulto Praelatorum, Baronumque nostrorum praematuro, castra nostra Oztrogo et Chiaktornia vocata , inter fluvios Dravae et Mura existentia, quae olim per Teutonicos Australes, serenissimi Principis Domini Stephani, quondam regis Hungariae, piae memoriae, avi nostri charissimi, potentialiter et per vim occupata, et usque ad praedicti Patris nostri adeptionis sui regni gubernaculum detenta fuerant, et demum ipso patre nostro praedicti sui regni pleno feliciter adepto gubernaculo, quamvis idem Pater noster charissimus, iuxta Maiestatis suae voluntatem moto exercitu suo validissimo, potentiae suae viribus, suis manibus eadem potuisset applicare; ne tamen inter Hungariae et Austriae Christianissima regna indicibile necis periculum et sanguinis tanquam fluvialis inundatio oriatur; per ipsum charissimum patrem nostrum solutis quattuor millibus marcarum fini argenti pecuniis quantitate, ad manus ipsius Patris nostri devoluta, ne per nos hactenus habita ac possessa fuerant, de nostris regalibus manibus, tamquam propria nostra, cum omnibus eorum utilitatibus, videlicet villis populosis et desertis, Ecclesiis et capellis in eisdem habitis et constructis, vineis, silvis, nemoribus, rubetis, fluviis, piscinis, piscaturis, terris arabilibus, fimatis et campestribus, molendinis, habititis et habendis tributis, redditibus, iuribus, fructibus et usibus, in superficie possessionum et villarum ad dicta castra pertinentium existentibus universis, prout ipsa duo fluvia Drava et Mura circumdant et ambiunt, salva solummodo possessione Joannis, dicti Chuz, ibidem ipsum contingenti remanente, praedicto Stephano Wojvodae, et per eum Dyonisio, Magistro Agazonum nostrorum, Nicolao, Emerico, Stephano et Ladislao filiis suis, et eorum heredibus, heredumque suorum successoribus ac posteritatibus ipsorum universis,

dedimus, donavimus et contulimus, ea iuris integritate ac plenitudinis quantitate, quemadmodum apud regiam maiestatem permanserunt et possessa extiterunt, perpetuo et irrevocabiliter possidenda, tenenda et habenda. Ut igitur ipsius fidelitatis et devotionis merita ferantur oculis posterorum, et donationum ob hoc factarum tituli persistere valeant in vigore, et tam praefatus Vojvoda, quam sui filii et heredes, ac tota ipsorum posteritas in proprium, in corporali dominio dictorum castrorum, possessionum, villarum, iurium, proventuum, et generaliter quarumlibet utilitatum et pertinentiarum eorumdem absque cuiuslibet contradictionis obstaculo secure iugiter perseverent, et tranquilitate omnino potiantur, nec processu temporum aliquatenus privari valeant de eisdem, praesentes concessimus litteras nostras privilegiales autentici dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus honorabilis et discreti viri magistri Thatamerii, Albensis Ecclesiae Praepositi, aulae nostrae Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno Domini MCCCL. tertio Kalend. Novembris, regni autem nostri anno IX. Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis Nicolao confirmato Strigoniensi, locique eiusdem Comite perpetuo, Dominico Spalatensi Archiepiscopo, fratre Dyonisio Archielecto Colocensi, Nicolao Agriensi, Andrea Transilvano, Demetrio Varadiensi, Nicolao Quinque-Ecclesiensi, Colomano Jauriensi, Mychaele Vaciensi, fratre Peregrino Bosnensi, Episcopis, Nicolao Zagrabiensi, Joanne Vesprimiensi, fratre Stephano Nitriensi, fratribus Thoma Syrmiensi et Thoma Chanadiensi ecclesiarum electis, confirmatis, eccelesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Nicolao Palatino, Judice Curiae nostrae, eodem Stephano Vajvoda Transilvano, et Comite de Zonuk, Oliverio Magistro Thauernicorum nostrorum et Judice Curiae reginalis, Dominico Bano de Machov, magistro Nicolao de Zeech, Bano de Zeurino, magistro Paulo Thauernicalium reginalium, Nicolao Conth, magistro Pincernarum nostrorum, Comite Posoniensi, Theutus magistro Janitorum nostrorum, Comite Pilisiensi, Dyonisio Agazonum, Leustachio Dapiferorum nostrorum magistris, aliisque quam pluribus comitatus regni nostri tenentibus et honores.

E transsumpto Elisabethae reginae a. 1351 facto. — Fejér. Cod. Dipl. Reg. Hung. T. IX. v. I. p. 756—764.

XCIII.

Anno 1351. 6. Kal. Aprilis. Budae.

Elisabetha, Hungariae Regina, Regis Ludovici mater, donationem duorum inter fluvios Dravam et Muram sitorum castrorum, a filio suo Stephano Lacković factam, confirmat.

Elisabeth, Dei gratia Regina Hungariae etc. Omnibus Christi fidelibus praesens scriptum inspecturis, praesentibus pariter ac futuris, salutem in vero

Salvatore. Cum bene meritis fauor debitus impenditur, et fideliter obsequentibus iuxta exigentiam meritorum in muneribus donationis digna merces attribuitur, attributaque perennali fulcimento firmata illaese conseruantur, Deus placari creditur, et subditi ad ampliora fidelitatis studia facilius prouocantur, accenduntque se spe et desiderio consimilis retributionis vel etiam amplioris. Ad vniuersorum igitur notitiam harum serie volumus peruenire: Quod magnificus vir, Dominus Stephanus, Banus totius Sclauoniae, Croatiae et Dalmatiae, ad nostrae Serenitatis accedens praesentiam, quoddam priuilegium Excellentis Principis Domini Ludouici eadem gratia illustris regis Hungariae, filii nostri charissimi, super donatione duorum castrorum, T. et T. nuncupatorum, ac possessionum seu villarum, aliarumque quarumlibet vtilitatum spectantium ad eadem, per eundem Dominum regem, natum nostrum perdilectum, sibi facta confectum tenoris infrascripti nobis praesentauit; supplicans exinde nostrae humiliter Serenitati: vt idem priuilegium nostris litteris priuilegialibus de verbo ad verbum transscribi facere, ac collationi et donationi eiusdem Domini regis de iam dictis castris, possessionibus et terris sibi factae nostrum reginalem consensum et beneuolam permissionem ac voluntatem approbanter praebere dignaremur; cuius tenor talis est: Ludouicus Dei gratia etc. (vide N. XCII). Nos igitur secundum quod reginalis nostrae sublimitatis exigentia postulat et requirit, vt vniuscuiusque regii fidelis merita animo metiamur pietatis, et his, quos opera suae virtutis regali remuneratione dignos efficit, et nos grata debemus reddere praemia meritorum, propositis petitionibus eiusdem Domini Stephani, totius Sclauoniae et Croatiae Bani, iustis et admissione dignis benigno fauore dignis, auditis, reuocatisque in memoriam multiplicibus fidelitatibus et fidelium obsequiorum meritis, laude dignis, quibus idem a primaeuis suae pueritiae temporibus in cunctis et regni expeditionibus admodum necessariis, prosperis et aduersis, ac specialiter in viridi aetate mortui praefati Domini Andreae, filii nostri dulcissimi, quae sicut ipsi Domino Regi, filio nostro charissimo, sic et nobis in hac parte exhibuit et impendit diuersis fortunae casibus pluries, in partibus vltra marinis, se submittendo, feruenti studio et labore sollicito studuit complacere et se reddere gratiosum et acceptum. Volentes fidelitatum multimodis meritis eidem gratuito respondere cum fauore. Attendentes etiam, quod dignis digna impendi iustum est, et magnos labores copiosa merces reficere debet; praefatum priuilegium ipsius Domini Ludouici regis, filii nostri perdilecti, in nulla sui parte vitiatum, de verbo ad verbum praesentibus transcribi et inseri facientes, voluntatem et consensum nostrum, permissionemque nostrae reginalis maiestatis sicuti nuper tempore donationis et collationis praemissorum castrorum, possessionum et terrarum spectantium ad eadem inter iam dictos fluuios Drauae et Mura existentium, modoque supra eundem Dominum regem sibi factae, sic et nunc vigore praesentium attribuimus, donamus et praebemus, imo in quantum nostra iurisdictio reginalis ad ea se extendit, nostrae perpetuae donationis titulo approbamus, ratificamus, et irreuocabili foedere eidem, et per eum suis heredibus et successoribus conferrimus perpetuo et donamus, praesentis scripti patrocinio et vigore. Vt autem huius donationis et collationis series robur obtineat perpetuae firmitatis, nec processu temporum per quempiam retractari valeat, vel in irritum reuocari; praesentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum Budae per manus venerabilis viri Domini Joannis, electi et

confirmati Ecclesiae Wesprimiensis, aulae nostrae Cancellarii, fidelis nostri, sexto Kalendas Aprili. Anno ab Incarnatione Domini MCCCLI.

Ex authentico transsumpto Stephani Ducis Transylvaniae, fratris Ludovici Regis. — Fejér. Cod. Dipl. Hung. Tom. IX. Vol. II. p. 81.

XCIV.

Anno 1354. die 15. Mai. In castro Ivanich.

Stephanus, totius Slavoniae, Croatiae et Dalmatiae Dux, nonnullos Nobiles Jobbagiones Castri Moroucha (Moravče) veros Nobiles creat.

Nos Stephanus, Dei gratia totius Sclavoniae, Croatiae et Dalmatiae Dux, memoriae commendantes tenore praesentium significamus quibus expedit vniuersis: Quod Nicolaus filius Katchk, nobilis Jobbagyo Castri de Moroucha, sua, Iwan et Georgij, filiorum Nicolai fratrum patruelium, ac Martini, filij Brokon vitrici, suorum, nec non Bank, filij Petri, similiter Nobilium Castrensium de eodem Comitatu Moroucha, in personis, ad nostrae Serenitatis accedendo conspectum fidelitates et servitia fidelia praefatorum Patrui, fratrum et vitrici suorum, in diversis regni nostri expeditionibus, una cum magnifico viro Mykch, quondam dictorum Regnorum Sclavoniae et Croatiae Bano, contra regni aemulos, morte et sanguinis effusione, membrorumque mutilationibus, ac aliis multimodis periclitationibus ac captivationibus, quae omnia per seriem longum esset enarrare, Excellentissimo Domino Lodovico regi Hungariae fratri nostro carissimo et nobis per consequens, prout a praesentibus potioribus regni nostri Nobilibus exinde certitudinaliter fuimus informati, suprema cum aviditate fidelitatis exhibita et impensa, nostrae Majestati proponens et declarans ac in nostri reducentes memoriam cum affectu, supplicans exinde nostram humiliter et deuote Maiestatem, ut cum eisdem gratiose agendo, ipsos ac eorum haeredes simul cum possessionibus eorum de praemisso Nobili Jobbagionatu Castri ex pietate ducali generose eximere dignaremur; Nos itaque qui suscepti nostri regiminis officio cunctorum fidelium famulantium votis aures pietatis inclinare tenemur, praesertim hys, qui se et sua personae.. pericula pro constantia fidelitatis casibus fortunae exponere non formidant, supplicationibus ipsius Nicolai filij Katchk, quo supra modo, nobis porrectis, Ducali favorabilitate inclinati, recensitis fidelitatibus et servitijs praenominatorum Nobilium Jobbagionum modo praehabito impensis, licet ijdem pro praemissis ampliori dono insigniri nostra mererentur Maiestate, tamen ad praesens in recompensationem servitiorum ipsorum aliqualem, hanc eisdem libertatis praerogativam pro innata Ducali benignitate duximus annuendam, quod praefatos Nicolaum filium Katchk,

Iwan et Georgium, filios Nicolai, ac Martinum, filium Brokony, nec non Bank, filium Petri, et eorum haeredes ac posteritates simul cum vniuersis possessionibus et possessionariis eorum portionibus a dicto Nobili iobbagyonatu Castri de Morocha penitus et per omnia eximimus, in coetum et numerum purorum regni Nobilium et servientium regalium, nulla pristinae ignobilitatis macula super eisdem reservata, generose in perpetuum duximus aggregandos; propterea vobis Bano, Comitibus partium alibi, Judicibus Nobilium Comitatus de Morroucza pro tempore constitutis, et alijs in futurum constituendis, firmo Ducali sub edicto damus in mandatis, quatenus praefatos Nicolaum filium Katchk, Iwan, Georgium, Martinum et Bank filium Petri, ac ipsorum haeredes ratione Nobilis Jobbagyonatus Castri cum possessionibus eorum molestare et perturbare non audeatis, sicut nostram indignationem graviter offendere formidatis. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes concessimus litteras nostras patentes sigilli nostri mediocris munimine roboratas. Datum in Iwanch feria quinta proxima post quindenas festi sancti Georgy Martyris. Anno Domini MCCC quinquagesimo quarto.

(Locus sigilli dorso impressi.)

Ex orig. membr. in coll. Nic. Jankovich existente. — Fejér. Cod. Dipl. Reg. Hung. T. IX. v. VI. p. 286.

XCV.

Anno 1357. die 14. Decembris. Ad civitatem Nonam.

Joannes Chuz, totius Croatiae et Dalmatiae Banus, libertates ac privilegia civitatis Sibenici regia potestate confirmat.

Nos Joannes, totius Croatiae et Dalmatiae Banus, memoriae commendantes tenore praesentium significamus quibus expedit vniuersis: quod cum vniuersi Nobiles, ciues et communitas Ciuitatis Sibenicensis per nobilem virum Radoslanum Crassuuenacich, ciuem eiusdem ciuitatis, ambasciatorem et nuncium ipsorum specialem, habita conuersione ad Dominum regem et eius sacram coronam, libertates siue gratias, donationes et consuetudines inferius declarandas, a nobis instantissime sibi dari postulassent; nos itaque iustis et condignis petitionibus eorundem annuentes, in persona dicti Domini nostri regis, infrascriptas libertates, iura, gratias, donationes et consuetudines eisdem ciuibus et communitati supradictae ciuitatis Sibenicensis, iurando super signo uiuificae crucis, sancta Dei evangelia et reliquias Sanctorum, concessimus et concedimus, damus et donamus iure perpetuo atque irrevocabiliter habenda, tenenda et possidenda. Primum videlicet: quod omnes iniurias, offensiones et excessus, per ipsos Sibenicenses

factos et illatos contra regiam Maiestatem, vel eius subditos, aut alios quoslibet, vsque ad haec tempora, quouis modo, parcimus, ignoramus, dimittimus et indulgemus, nec eosdem ciues, vel quemlibet ipsorum quispiam super excessibus et culpis possit imputare, aggrauare, temporis in euentu aliquali. Item omnes sententias, deliberationes, acta per Comitem et Curiam, siue per consilia eiusdem ciuitatis, temporibus retroactis facta et ordinata, confirmamus et ratificamus in perpetuum obseruanda. Item omnia priuilegia, gratias, donationes et libertates ipsius ciuitatis, per excellentissimos Principes olim illustres reges Hungariae datas et concessas, inconcusse et firmiter uolumus obseruare; in eis denique libertatibus et donis ipsos ciues ampliare, non minuere, intendentes. Item duas insulas, Srimaz et Zuvri vocatas, cum earum pertinentiis, quas olim commune Jadrense illicite occupauerat, in quorum tenutum et possessionem Dominium Venetum eosdem introduxit, restituendo eisdem resignamus pacifice iure hereditario possidendas. Item quod de cetero, videlicet racione praemissarum insularum iidem Jadrenses vel alii quilibet, eosdem nullatenus valeant molestare. Item molendina siue Slap, cum flumine Karka, quae nunc possidere dignoscuntur, eisdem in perpetuum gubernanda commisimus. Item nullum castrum nullaque fortalitia in praedicta ciuitate Sibinici, nec in districtu eiusdem vel extra districtum, quae essent vicina dictae ciuitati, in praeiudicium eiusdem vllo vnquam tempore, aedificare per quoscumque faciemus. Item totum, quod per regimen eiusdem ciuitatis est, et in futurum fuerit sententiatum et deliberatum, sit ratum atque firmum, et inuiolabiliter absque contradictione quorumlibet in ciuitate et districtu obseruandum, nec etiam iidem ciues possint citari, vel cogi in praesentiam quorumvis iudicum extra dictam ciuitatem. Item si per aliquos Banos vel tyrannos, Temporibus elapsis, aliqua in ciuitate vel eius districtu fuissent occupata et detenta; ea remaneant illis, qui nunc ipsa possident, nec ratione temporum aliqua molestia in eis inferatur. Item Vlahi vel Villani in districtu ipsius ciuitatis, absque licentia et voluntate ciuium pascua ipsorum seu gramina depascere non possint. Item quod nos vel alter quiuis, sub dominio praelibati domini nostri regis constitutus et constituendus, nullum debitum, nullamque collectam a communi dictae ciuitatis vel eius districtus, praeter ius regiarum portarum, quod tributum appellatur, prout in eorumdem priuilegiis continetur, extorquere et exigere valeamus; nec etiam nos, aut alii quicunque, in praescriptam ciuitatem Sibenicensem manu potenti venire valeamus, nisi in quantitate, qua placuerit ciuibus, seu regimini ciuitatis, vnum prandium semel in anno, et non plus, ipsa communitas nobis dare teneatur, et si vlterius in eadem ciuitate voluerimus permanere, super nostra expensa et bona voluntate hospitis nostri, absque molestia quorumlibet ciuium, debemus manere in eadem. Item praefatus Dominus noster rex, et nos in persona eiusdem, totis viribus et potentia ab omnibus aemulis et impetitionibus ipsam ciuitatem cum districtu eiusdem defendere et protegere, cum auxilio et iuramento spondemus et assumimus. Item si aliquando Dominus noster Rex vel eius successores de proprietatibus et libertatibus dictae ciuitatis quibusuis alienassent et tradissent, ipsas alienationes idem Dominus rex in irritum reuocabit. Item antedictus dominus noster rex, aut nos, vel alter, nomine eiusdem Domini nostri regis, obsides de eadem ciuitate nullatenus petere et recipere potest. Item quod praelibata ciuitas Sibenicensis habeat omnem gratiam, libertatem generalem et specialem, quam aliae ciuitates regni Dalmatiae habent

ampliorem. Insuper attendentes fidelitatem ciuium praedictae ciuitatis Sibenicensis, villas Rachitnicza, Dazlina et Grabrouci, citra fluuium Karka, ex parte occidentali existentes, item villam Neuest, Coparno, Peremich et Sitnicza, locatas ex alia parte eiusdem fluminis habitas, eidem communitati ciuitatis Sibenicensis, addendo ad districtum eiusdem, dedimus et conferrimus in perpetuum possidendas. In cuius rei memoriam praesentes concessimus litteras pendenti sigillo nostro munitas. Datum in obsidione ciuitatis Nonae die XIV. mensis Decembris. Anno Domini M.CCC.LVII.

(Hocce Privilegium Ludovicus Rex die XVIII. Kal. Jan. anno MCCCLVIII, regni autem anno XVI., confirmavit.)

Lucius de Regno Dalm. & Croatiae. Lib. IV. cap. XVII.

XCVI.

Anno 1358. die 18. Februarii.

Tabulae pacis inter Ludovicum I. Regem ac Ducatum Venetum initae, qua tota Dalmatia revindicatur.

Ludovicus, Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Bulgariae, Cumaniaeque Rex, Princeps Salernitanus et Hororis montis Sancti Angeli Dominus. Vniuersis Christi fidelibus praesentes nostras litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Rex pacificus pro Redemtione generis humani de supremis caelorum ad yma mundi descendens, et tandem mortem subiens temporalem, Dominus noster Jesus Christus post gloriosam resurrectionem suam Ascensionis ad Patrem, pacem, quae charitatis est uinculum, in suo natali glorioso coelestium agminum multitudine nuntiatam suis praebuit fidelibus, et reliquit pacis instruens amatores, ut relegato odio fraternae inuidiae, amor regnaret, et quod noverchà discordia seiunxisset, mater concordia pacis amica solidaret. Proinde ad vniuersorum notitiam praesentium litterarum serie uolumus peruenire. Quod cum inter quosdam praedecessores nostros Illustres Reges Hungariae, et nos demum ex vna parte, ac inclitos Duces, et commune Venetiarum ex altera, procurante hoste, antiquo humani generis inimico, multae discordiae et rixae, contentiones, derobationes, oppressiones, offensiones, strages et damna orta fuissent, temporibus retroactis occasione Regni Dalmatiae, quam ijdem Duces, et commune ab olim tenuerunt et tenebant. Tandem Inclitus dominus Joannes Delphino Venetiarum Dux, et tota communitas ciuitatis antedictae, postquam plures Ambascatas factas hinc et inde, et honorabiles viros, Petrum Triuisanum et Joannem Gradonico, ac Beneintendi, Ducatus Venetiarum Cancellarium, ciues ciuitatis

praelibatae ad nos cum pleno et sufficienti mandato, ut apparet ex forma instrumenti manuscripti Raphayni de Caresinis publici auctoritate imperiali notarij et Ducatus Venetiarum scribae, sub millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo, die uigesimo octauo mensis Nouembris, decimae indictionis, dum in ciuitate nostra Jadrae fuissemus, transmiserunt, et nos declaratis ipsorum uoluntatibus ad perpetuae pacis et concordiae ûinculum amicabiliter inuitarunt per eosdem. Nos igitur, qui cum Christianis quibuslibet, et potissime cum Venetis, antiqua amicitia regno nostro coniunctis, pacem optauimus, et optamus, ad infrascriptam pacem et concordiam, Deo propitio perpetuo duraturam, deuenimus cum eisdem in hunc modum. Videlicet, quod idem Dux, et communitas Venetiarum, et in eorum personis, ac uice, et nomine eorumdem, Ambaxatores, nuntij, procuratores, et syndici praelibati, habentes ad infradicenda plenam et liberam potestatem, uigore instrumenti iam dicti, quod penes nos retinuimus ad cautelam, contenti fuerunt renuntiare, et effectualiter renuntiauerunt de facto in manibus nostris, nostro et successorum nostrorum Regum nomine, toti Dalmatiae, a medietate scilicet Quarnarij, vsque ad confines Duracij, omnibus ciuitatibus, terris, castris, insulis, portubus et iuribus, quae habuissent et tenuissent, et habebant, et tenebant, in eisdem quoquomodo, et spetialiter ciuitatibus Nonae, Jadrae, Scardonae, Sibenici, Tragurij, Spalati et Ragusij, in terra firma existentibus. Item ciuitatibus et terris Obseri videlicet, et Chersi, Veglae, Arbi, Pagi, Brachiani, Lesnae et Corzulae, cum insulis et omnibus utilitatibus et pertinentijs eorumdem, ac titulis Dalmatiae et Croatiae, quibus uti consueuerant Duces antedicti, et totum ipsorum ius, et dominium, ac proprietatem, si quos habuissent, in nos et successores nostros, sponte, deliberate, et animi maturitate transferrentes. Renuntiantes insuper omni actioni et omni iuri, et legis beneficio, quibus ullo unquam tempore possent contra praedicta, uel praedictorum aliquod se iuvare, et promittentes solemniter, sub vinculo sacramenti, pro se, et dictis, Duce et communi corporaliter praestiti, de ipsa Dalmatia, ciuitatibus, terris, castris, locis, insulis, iuribus et titulis, ac ipsorum Dominio, seu possessione nullo unquam tempore per se, uel alios se intromittere uel aliquatenus impedire usque confines antedictos. Obligantes se, omnes ciuitates, terras, castra, loca, portus, insulas, atque iura infra dicta confinia existentia, quae sunt pro nunc in mera potestate ipsorum, liberè, purè, et simpliciter nobis, uel quem ad hoc deputauerimus, absque omni dolo, siue fraude infra spatium uiginti duorum dierum a tempore datae litterarum praesentium resignare. De terris autem et locis, quae in ipsorum potestate non essent, sed regerentur per Rectores eorumdem, reuocare, et extrahere quoslibet Rectores, et Officiales, et gentes quaslibet eorum nomine ibidem residentes, et quod eis imposterum contra nos, uel aliquod auxilium, uel iuuamen non dabunt; supplicantes ex nunc, quod ipsas ciuitates, terras, castra et loca, cum ad nostram obedientiam deuenerint, dignaremur sub fauoribus et gratijs nostris recipere, sicut soliti fuimus esse alijs gratiosi. Et uersa uice, Nos, uolentes ipsos Ducem, et commune habere perpetuo in amicos carissimos, promittimus, quod omnes terras, castra et loca, quas ipsi, seu eorum subditi, et sequaces tenebant in partibus Triuisanae, et Cenetensis, ac Istriae, seu alibi, quae ad nostras manus deuenissent, uel deuenirent, uel nostrorum, et nomine nostro tenerentur, aut nostrorum; sibi, et dictis suis subditis, et quorum erant, faciemus tradi, restitui et libere assignari, infra terminum uiginti duorum dierum praedictorum, seu qui-

bus duxerint deputandos. Nec de ipsis locis et terris ullo unquam tempore per nos, successores nostros, uel alios nos intromittemus uel impediemus. Renuntiantes ac in eos transferrentes ius, si quod acquisiuissemus in eis. Ita tamen, quod ipsas terras, castra, et loca, et subditos earum, nec non omnes amicos, adhaerentes, et sequaces nostros tam nobiles, quam ignobiles tractent dulciter et benigne, remissis omnibus iniurijs et offensis, et sicut faciebant ante nouitates praesentis guerrae, et sicut si nobis numquam adhaesissent. Et e conuerso nos promittimus facere et seruare de omnibus amicis, adhaerentibus, et sequacibus suis tam nobilibus, quam ignobilibus. Item quod captivi ex utraque parte libere relaxentur. Item quod ex utraque parte remittantur, et ex nunc remissae intelligantur omnes offensae, iniuriae, et dampna praeterita, non intelligendo debita, quibus sibi inuicem tenerentur spetiales personae, de quibus fiat iustitia hinc inde. Item, quod bona fide prohibebimus et ordinabimus cum effectu, quod in aliqua terrarum, seu Insularum, aut locorum, quae peruenturae sunt ad nostrum dominium, et quae iam peruenerunt, non armabitur in cursum, neque exercebitur piratica, seu damnum aut violentia aliquibus nauigantibus, nec receptabuntur in eorum portubus cursarij, et malefici, sed potius turbabuntur et arcebuntur, sicut decet Regiam iustitiam et honorem: et e conuerso in eorum terris et insulis ipsi promiserunt se facturos illud idem. Praeterea promittimus uerbo nostro regio vniuersos et singulos ciues, subditos et fideles ipsius Domini Ducis, et communis Venetiarum, uenientes ad terras, portus et Insulas, et loca quaeque subdita praesentialiter et in futurum maiestati nostrae, habere et haberi facere saluos, et securos cum personis, bonis et navigijs, atque rebus eorumdem; quod secure, et quiete possint ire, stare et redire, ac transire per dictos portus, terras et loca cum nauigijs, personis et mercimonijs suis, ymo ipsos tractabimus et tractari uolumus dulciter et benigne sub fauore et gratia nostra: et e contra idem dominus Dux et commune tractabit nostros tali uinculo interiecto in praedictis omnibus et singulis. Quod si partium aliqua huic ordinationi et dispositioni concordiae, atque paci niteretur contraire, et eam infringere, uel uiolare conaretur, aliquas terras, castra, insulas aut portus de ijs, quae renuntiata sunt occupando, uel aliter paci contrafaciendo, ex tunc pars altera id Sedi Apostolicae intimare debeat, et dominus Papa uigore emologationis (sic) et potestatis datae per nos, et per ipsos tenore praesentium litterarum, teneatur et uelit infra spatium unius mensis simpliciter, et de plano, absque strepitu et figura iudicij, solum recepta fide et certificatione uiolationis et infractionis antedictae, ad obseruantiam dictae ordinationis et dispositionis illum, uel illos astringere, et censura Ecclesiastica mediante in personas, uel communitatem contrafacientem sententias uidelicet interdicti et excommunicationis proferendo, a qua nullatenus absoluantur, donec per partem praedictam infringentem, uel infringere procurantem, parti alteri obseruanti satisfiat, prout erit iustum, illum, uel illos, nihilominus denuntiando fidefragos et periuros. Si autem aliqua damna, uel iniuriae, aut offensiones committerentur per subditos utrorumque alterutrim, ex tunc per nos, uel nostros Officiales locorum ipsorum, et Rectores pertinentibus ad eosdem, et per ipsos, uel eorum Rectores et Officiales pertinentibus ad nos infra spatium unius mensis a tempore depositae quaerellae plenaria satisfactio impendatur, nec per hoc ordinatio et dispositio, concordia et pax intelligantur uiolatae, sed in sua firmitate debeant permanere, ad quae nos, et ipsi, spontanea nos obligamus uoluntate. Praemissa

autem omnia et singula cum infrascriptis nostris Baronibus et Proceribus regni nostri iurauimus ad sacrosancta Dei Euangelia tactis scripturis per nos et successores nostros, et omnes pertinentes ad nos, inuiolabiliter et integraliter obseruare, et non contrafacere uel uenire, per nos, uel alios, de iure uel de facto, directe uel indirecte, palam uel occulte, quouis ingenio, uel colore, sub indignatione Dei omnipotentis, et omnium Sanctorum suorum. Et similiter dicti Ambaxiatores et syndici nomine ipsorum Ducis, et communitatis, et successorum eorum, et pertinentium ad eos, in eorum animas solemniter iurauerunt praesentium sub nostrae maiestatis testimonio litterarum. Nomina autem Baronum nostrorum, qui nobis iurauerunt, sunt haec: Dominus Stephanus Episcopus Zagrabiensis, dominus Petrus Episcopus Bosnensis, dominus Ladislaus electus Vesprimiensis, dominus BaudonusCornuti Prior Auranae. Dominus Nicolaus iudex curiae nostrae. Dominus Joannes Banus Dalmatiae et Chroatiae. Dominus Nicolaus magister Tauernicorum Reginalium. Dominus Stephanus Comes de Posaga et de Zala. Dominus Leuchus magister Dapiferorum et Pincernarum nostrorum. Dominus Stephanus Comes Liptouiensis. Dominus Nicolaus Comes Castellanus de Villagusforti. Dominus Dominicus Castellanus de Dragun, Comes Hunten. Dominus Nicolaus Secretarius notarius noster. Dominus Franciscus de Georgio Miles: Praelati, Barones et Consiliarij nostri. Datum Jadrae in monasterio sancti Francisci Ordinis Fratrum minorum, in sacristia Ecclesiae suae, praesentibus Venerabili viro domino Gregorio Custode Varadiensi, decretorum Doctore. Domino Nicolao, filio quondam domini Stephani Voyuodae. Domino Bonifacio de Lupis, milite Paernense. Cheto de Leone, ciue Paduano, et prouido viro ser Bartholomaeo Iusti, notario Ducatus Venetiarum, testibus rogatis, et alijs. Anno Domini Millesimo, trecentesimo quinquagesimo octauo, indictione undecima, die Dominico decimo octauo mensis Februarij feliciter. Amen.

Ex libro Pactorum Reipublicae Venetiarum in Archivio aulico Viennae asservato. T. V. p. 396.

XCVII.

1358 XVII. Kal. Januarii.

Ludovicus, Hungariae Rex, jura et libertates Sibenicensibus a Johanne Bano concessa, confirmat et auget.

Lodovicus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque Rex, Princeps Salernitanus et Honoris montis Sancti Angeli Dominus. Omnibus Christi fidelibus presentibus et futuris, presencium noticiam habituris, salutem in omnium Saluatore. Diligenter circa subditorum fidelium libertates et iura debet Princeps solertiam adhibere, et vt

fidelitas in eis per curricula temporum augmentetur, eos amplioribus munificencie regie brachiis amplexari, vt in aliis etiam exemplo inde sumpto fidelitatis igniculus accendatur. Proinde ad vniuersorum notitiam harum serie volumus peruenire, quod accedentes ad nostre Maiestatis presenciam Gregorius Dragoy et Elias quondam Padoani, Ambaxiatores et nuncii fidelium nostrorum Rectorum et communis ciuitatis Sybiniciensis, nomine et vice eorumdem, quoddam priuilegium magnifici viri Johannis dicti Chuz, Bani totius Croacie et Dalmacie, super eorum libertatibus, iuribus, graciis, donacionibus et consuetudinibus confectum et emanatum nobis curarunt exhibere; petentes nos ex parte dictorum Rectorum et communis humiliter et deuote, vt ipsum priuilegium et libertates, iura, gracias, donaciones, consuetudines in eo expressas, acceptare, approbare, ratificare et nostro dignaremur priuilegio confirmare. Cuius quidem priuilegii tenor est talis: Nos Joannes (vide N. XCV). Nos itaque peticionibus predictorum fidelium nostrorum Rectorum et Communis, nobis per dictos eorum ambassiatores et nuncios humiliter porrectis, liberaliter inclinati, pretactum priuilegium non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte viciatum, presentibus de verbo ad verbum insertum, simul cum dictis eorum libertatibus, iuribus, graciis, donacionibus, et consuetudinibus in eodem expressis, acceptamus et de plenitudine nostre Maiestatis pro eisdem Rectoribus et Communi presentis priuilegii nostri patrocinio confirmamus. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus fidelis nostri, dilecti, venerabilis Patris Domini Nicolai, Archiepiscopi Colocensis, aule nostre Cancellarii, XVII. Kal. Januarii. Anno Domini M.CCC. quinquagesimo octauo. Regni autem nostri anno XVI. Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis Nicolao Strigoniensi, locique eiusdem Comite perpetuo, et Huggolino Spalatensi Archiepiscopis, Nicolao Agriensi, Demetrio Waradiensi, Nicolao Quinque-Ecclesiensi, Dominico Transyluano, Colomano Jauriensi, Ladislao electo Wesprimiensi, Thoma Chanadiensi, Mychaele Waciensi, Petro Boznensi, fratribus, Thoma Syrmiensi, Stephano Nitriensi et Blasio Tinniniensi, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Nicolao Konth Palatino, Andrea Wayuoda Transyluano, Cyko magistro Tauernicorum nostrorum, Comite Nicolao de Zeech, Judice Curiae nostre, Nicolao de Machow Bano, Leustachio Bano tocius Sclauonie Banatum tenente, Comite Symigiensi, Tolnensi et Albensi, Leukus Dapiferorum et Pincernarum, Dyonisio Agazonum, et Thoma Janitorum nostrorum magistris, ac Symone, filio Mauritii, Comite Posoniensi, aliisque pluribus regni nostri comitatus tenentes et honores. Ceterum graciam gracia cumulare volentes, communi et vniuersitati supradicte ciuitatis Sybenicensis quasdam possessiones nostras, Dazlma et Grobona vocatas, circa fluuium Kerka, ex parte occidentali sitas, et etiam possessiones Neuest, Copno, Peromethi et Zitnucha nominatas, ex alia parte eiusdem fluuii in Dobraue, iuxta confinia districtus eiusdem ciuitatis existentes, quas alias supradictus Johannes Banus certis ciuibus dicte ciuitatis per suas litteras ob eorum fidelitatis et probitatis merita contulisse dinoscitur, perpetuo possidendas, cum omnibus earum vtilitatibus et pertinentiis vniuersis, terris scilicet cultis et incultis, syluis, nemoribus, aquis aquarumque decursibus, pratis, fenilibus, pascuis et aliis cunctis ad ipsas pertinentibus, inter veras metas et terminos earumdem existentibus, quouis nominis vocabulo vocitatis, eo iure, quo ad nostram collacionem pertinere dinoscitur, de

consensu et beneplacito supradictorum ciuium dedimus, donauimus et contulimus, imo damus, donamus, conferimus presenti priuilegio per ipsos et ipsorum posteritates tenendas, habendas et perpetuo possidendas. Datum ut supra.

Ex membrana originali in coll. Jankovićiana. — Fejér G. Codex Dipl. Regni Hung. T. IX. v. II. p. 685.

XCVIII.

Anno 1359—1377. In Vissegrad.

Privilegium Ludovici I. Regis, quo incolae Regni totius Slavoniae ab omni alia praeter unius Regni hujus Bani jurisdictione eximuntur.

Nos Lodovicus Dei gratia Rex Hungarie, Polonie, Dalmatie etc. Memorie commendantes tenore presentium significamus, quibus expedit vniversis: quod Dyonisius filius Johanis de Orbouch, sua, ac vniversorum nobilium et aliorum hominum regni nostri Sclavonie personis ad nostre serenitatis accedendo presentiam, exhibuit nobis quasdam litteras nostras patentes maiori sigillo nostro consignatas, tenoris infrascripti, supplicans humiliter nostre Maiestati, vt ipsas litteras nostras patentes presentibus de verbo ad verbum transcribi et transsumpmi facere dignaremur pro eisdem ad cautelam; quarum tenor talis est: Nos Lodovicus Dei gratia Rex Hungarie memorie commendantes tenore presentium significamus quibus expedit vniversis: quod nos de statu tranquiliori fidelium nostrorum nobilium videlicet et aliorum quorumlibet hominum in regno nostro Sclavonie existentium providentes huiusmodi gratiam eisdem duximus faciendam, vt nullus omnino hominum ipsos in Curiam nostram, vel in aliquorum aliorum Judicum extraneorum, ex ista parte fluvii Drave existentium, presentiam citare valeat, aut alicubi res et bona eorundem prohibere; sed si qui cum eisdem regni Sclavonie hominibus quicquam habent actionis, in presentia Bani ipsius regni Sclavonie, vel vices eius gerentis, legitime exsequatur. Et si in iudicio ipsius Bani, vel vices eius gerentis, aliquis querelantium suspicatus fuerit, nec contentus esse voluerit, extunc seriem Judicii per ipsum Banum, vel vices eius gerentem facti, in nostram et Prelatorum ac Baronum nostrorum presentiam in Curiam nostram transducere valeat atque possit, pro deliberatione fienda super Judicio prenotato. Datum in Vissegrad in Festo decolationis Sancti Johannis Baptiste. Anno Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo nono. Nos itaque iustis et iuri consonis supplicationibus prefati Dyonisii nominibus, quibus supra, nostre humiliter porrectis Maiestati, pietate favorabili inclinati, iam dictas litteras nostras patentes presentibus de verbo ad ver-

bum transscribi et transsumpmi fecimus pro eisdem ad cautelam. Datum in Vyssegrad feria quinta proxima ante Dominicam reminiscere. Anno Domini Millesimo trecentesimo septuagesimo septimo.

Orig. membr. in Archivio Regni Croatiae. Priv. Nro. 6.

XCIX.

Anno 1362. Zagrabiae.

Transsumptum privilegii hospitibus in oppido Pernja (nunc in banali confinio) a Bela, juniore Rege, a. 1225 concessi, a Capitulo Zagrabiensi a. 1362 factum.

Nos Capitulum ecclesie Zagrabiensis memorie commendantes tenore presencium significamus quibus expedit vniuersis. Quod anno domini M°CCC°lx° secundo, feria quarta proxima post dominicam Oculi, Georgius filius Wlchk, villicus, Wlk filius Petyne, Tuxa filius Mareni, et Chernech filius Gerdine, hospites de Pernya, ad nostram personaliter accedentes presenciam, exhibuerunt et presentarunt nobis quasdam litteras priuilegiales felicis recordacionis serenissimi principis domini Bele condam regis Hungarie, tenoris infrascripti; petentes nos cum instancia, vt tenorem earundem de verbo ad verbum transscribi, et presentibus inseri facere dignaremur; quorum nos peticionibus, vtpote iustis et congruis, annuentes, tenorem earundem de verbo ad verbum transscribi, et appensione nostri sigilli autentici, fecimus consignari, quarum tenor sequitur et est talis: In nomine sancte Trinitatis et indiuidue vnitatis. Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Galicie, Rame, Seruie, Lodomerieque Regis Andree primogenitus, et Rex in perpetuum. Cum de beneuolencia ac predestinacione supremi Regis ad hoc simus preordinati, vt singulis in iurisdiccione nostra constitutis simus secundum apostolum in iusticia debitores, propensius et specialius hospites, qui nostrum sibi senserint subsidium profuturum, debita volumus iusticia protueri. Hinc est, quod nos tam presencium, quam futurorum volumus noticie declarare, quod hospitibus nostris de Perina (sic) commorantibus, talem hoc modo concessimus libertatem, vt per septem annos in nullo nobis teneantur, nec forum, quod ibi celebratur, per septennium tributum persoluat; transactis vero annis, annuatim centum pensas Regie persoluant maiestati, uel dexterarium, tot pensis valentem, tributi autem fori tercia pars, maiori eiusdem ville spectet iurisdiccioni, quicunque fuerit, residuas autem partes Regie celsitudini debet amministrari; nec aliquis ipsos preter defensorem ipsorum, a domino Rege statutum, audeat iudicare, et si ab ipsorum defensore conquerentibus satisfieri non poterit, ad domini Regis presenciam dicta causa discucienda transferatur, et si ipsi coram iudice quemquam inpeterent super aliquo, eis iudicetur iuramentum. Statuimus eciam, quod si Banus eis ad valorem vnius marce dampnum fecerit,

in centuplo restitueret eisdem, tamen Bano non aliud, quam domos suas, occasione descensus, dare teneantur, pro alijs vero necessarijs precium recipiant; et si aliquis ipsorum prole caruerit, tam ipso viuente, quam ab hoc seculo transmigrante, bona sua, cuicunque voluerit, conferat retinenda; et si aliquis de villa super equo vel boue calumpniaretur ab aliquo, pro quanto sacramentum facere presumpserit sibi calumpnians, testibus astantibus, restituat, et res, pro qua causabatur, ad requirentem deuoluatur; et si quis villam istam intrare voluerit moraturus, omnia bona sua, domos suas videlicet, et alia, que possiderat, omnibus scientibus liberam habeat vendendi facultatem, et recedens de villa ista, retineat eandem; et ligna, que ad vsus suos, videlicet igni superponenda, vel ad edificandas domos suas, expedierint, concessimus possidenda; et statuimus, quod sacerdotem, quemcunque voluerint, in suam recipiant ecclesiam, de decimis ipsorum, provt mos est hospitibus vbicunque manentibus, disponentes. Sane, super hec ad utilitatem ipsorum, montem quendam nomine Grachye, et terram, nec non vbicunque in terra Zalac vineas plantare voluerint, omnium reclamacione postposita, asignauimus eisdem. Et ne termini terrarum dubitentur ab aliquo, fecimus annotari, quarum prima incipit ab oriente, vbi minor Chemernica transit per viam, que wlgariter Hoduc vocatur, et via dirigitur illa versus partem meridionalem, vbi meta ipsorum existit; ab inde diuertitur dextrorsum per montem vnum, vbi minor Pernica cadit in magnum Pernica, ibi est meta; exinde minor Pernica dirigitur versus occidentem per viam, que ad cruciferos vadit, ibi est meta assignata; et de via illa descendit versus septemtrionem, vbi ipsa via et Prichlisnica et Perna simul veniunt, ibi est eciam meta; Prichilisnica (sic) vero ascendit abhinc ad caput ipsius montis, et ibi est meta, et abinde progreditur iuxta semitam dextrorsum, et vadit ad caput aque Jelesnicha vocatum, et ibi meta sita est; aqua vero nominata confluit abinde iuxta villam Drascu, et cadit in viam, que venit de foro Regis, et ibi est meta, et via illa ascendit ad orientem, iuxta prenominatum minorem chemernicha, et ibi contignatur mete priori. Et ut hoc firmiter et stabiliter permaneat, nec per alicuius machinacionem in irritum valeat retractari, sigilli nostri carattere fecimus roborare. Pristaldis vero, Petro Comite Pilisiensi et Mirizlao de Goricha terigena existentibus. Datum per manus Mathie prepositi Zagrabiensis, tunc temporis aule nostre Cancellarij. Anno gracie M$^{mo.}$ CC$^{mo.}$ XX$^{mo.}$ quinto. Venerabilibus Vgrino Colocensi, Gunzulino Spalatensi Archiepiscopis existentibus. Stephano Zagrabiensi, Martino Corbauiensi, Micus Pyzeciensi (?), Episcopis existentibus. Chak Budrugiensem, Pol Bachiensem, Buzad ferrei castri, Gecha Zaladiensem, Mykka Symigiensem Comitatus gubernantibus. Paula Tauarnicorum, Andrea Dapiferorum, Bogomilo Pincernarum, Johanne Agazonum magistratus regnantibus.

A tergo:

Pretiosissimum Privilegium Belae Regis Hospitibus de Perina in Sclauonia super libertatibus, Tributis, Foro, Datiis, Iure Patronatus etc. cum libertate testandi, alegandi, collatum, deductionem metalem quoque pulchre complectitur.

Orig. membrana in Archivio Regni Croatiae. N. R. A. Fasc. 1531. N. 2.

C.

Anno 1364—1391.

Superius Privilegium, Regno Croatiae a Ludovico Rege anno 1359 datum, a. 1364 confirmatur, atque a Capitulo Časmensi a. 1391 transsumitur.

Nos Capitulum Ecclesie Zagrabiensis memorie commendantes tenore presentium significamus quibus expedit universis: quod anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo, feria sexta proxima post festum omnium Sanctorum proxime preteritum, Paulus filius Andree de Bliznafsfeu ad nostram personaliter veniendo presentiam, exhibuit et presentavit nobis quasdam litteras privilegiales Serenissimi Principis Domini Domini Lodovici olim Regis Hungarie felicis et excellentis memorie, duobus Sigillis suis, videlicet antiquo in Boznia deperdito, et nouo post hoc reparato, in pendenti veris et autenticis ipsius Sigillis sigillatas, in tenoreque earundem nec ubique vitiatas, tenoris infrascripti, cum illa clausula: ad perpetuam rei memoriam etc. petens nos cum instantia, ut ipsas litteras de verbo ad verbum transscribi faceremus et ad testimonium et fidem firmissimam, quoad tenorem earundem, Sigillo nostro consignaremus. Cujus nos petitionibus, utpote justis et juri consonis annuentes, preallegatas litteras nobis presentatas veras approbantes, easdem de verbo ad verbum transscribi fecimus, et sigilli nostri authentici communiri, in fidem et testimonium omnium infrascriptorum. Quarum quidem litterarum privilegialium tenor sequitur, et est talis: Lodovicus Dei gratia Hungarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque Rex, Princeps Salernitanus, et Honoris Montis Sancti Angeli Dominus, omnibus Christi fidelibus, tam presentibus, quam futuris presentium notiam habituris salutem in omnium Salvatore. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod nos de statu tranquiliori fidelium nostrorum nobilium videlicet et aliorum quorumlibet hominum in regno nostro Sclavonie existentium providentes, huiusmodi gratiam eisdem duximus concedendam seu faciendam, ut nullus omnino hominum ipsos in Curiam nostram, vel in aliquorum alium Judicum extraneorum, ex ista parte fluvii Drave existentium, presentiam citare valeat, aut alicubi res et bona eorundem prohibere, sed si qui cum eisdem regni Sclavonie hominibus quicquam habet actionis, in presentia Bani ipsius regni Sclavonie, vel vices eius gerentis, legitime exequatur; et si in Judicio ipsius Bani, vel vices eius gerentis aliquis querulantium suspicatus fuerit, nec contentus esse voluerit, extunc seriem Judicii per ipsum Banum, vel vices eius gerentem facti, in nostram et Prelatorum ac Baronum nostrorum presentiam, in Curiam nostram transducere valeat atque possit pro deliberatione fienda super Judicio prenotato. In cuius rei me-

moriam, firmitatemque perpetuam, presentes concessimus litteras nostras privilegiales, pendentis et autentici sigilli nostri dupplicis munimine roboratas. Datum per manus Venerabilis in Christo Patris Domini Nicolai Archiepiscopi Strigoniensis, locique eiusdem Comitis perpetui, Aule nostre Cancellarii dilecti et fidelis nostri. Anno Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo nono, tertio Kalendas Septembris, Regni autem nostri anno decimo octavo. Venerabilibus in Christo Patribus et Dominis: Eodem Nicolao Strigoniensi, Thoma Colocensi, Ugulino Spalatensi, Nicolao Jadrensi, Elia Ragusino, Archiepiscopis, Nicolao Agriensis, Demetrio Varadiensis, Dominico Transylvaniensis, Gregorio electo confirmato Chanadiensis, Nicolao Quinqueecclesiensis, Colomano Jauriensis, Ladislao Veszprimiensis, Stephano Zagrabiensis, Michaele Vacziensis, Petro Boznensis Fratribus; Stephano Nitriensis, Thoma Syrmiensis, Johane Tininiensis, Demetrio Nonensis, Bartholomeo Traguriensis, Valentino Makarensis, Stephano Farensis, Matheo Sibinicensis, Fratribus, Michaele Scardonensis, Portino Senniensis, et Ladislao Corbaviensis Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Nicolao Konth Palatino, Andrea Vajvoda Transylvano, Comite Nicolao filio Ugrini Judice Curie nostre, Nicolao de Zech totius Croatie et Dalmatie Bano, Leustachio eiusdem Regni Sclavonie, Nicolao de Gara de Machov Banis, Leukus Dapiferorum et Pincernarum, Dyonisio Agazonum nostrorum Magistris, ac Magistro Simone Posoniensi, aliisque quampluribus Regni nostri Comitatus tenentibus et honores. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Lodovicus Rex prefatus universis declaramus, quod ubi in Regno nostro Bozne innumerabilis multitudo hereticorum et Patarenorum pululasset, in terrorem fidei orthodoxe, ad extirpandumque de ipso Regno nostro eosdem, ex una parte nos personaliter instaurato valido exercitu proficiscebamur, ex alia vero parte Venerabilem in Christo Patrem Dominum Nicolaum Archiepiscopum Strigoniensem, nostrum Cancellarium, penes quem utrumque par sigilli nostri authentici habebatur, et virum Magnificum Dominum Nicolaum Palatinum cum ceteris Prelatis, Baronibus et Regni Proceribus in Bozniam destinaremus, quidam familiares ipsius Domini Archiepiscopi, pro custodia deputati, utrumque par sigilli nostri preconcepta malitia subtraxerunt; nos itaque precaventes, ne ex huiusmodi sigilli nostri deperditione regnicolis nostris in eorum iuribus successive periculum possit iminere, sigillum novum in duobus paribus fecimus pro nobis sculpi, quod ad omnia Privilegia nostra, et quondam Domini Karoli Regis Patris nostri, sub priori sigillo eiusdem tempore sue coronationis sculpto, et demum per eundem eo, quod sub ipso plurime infidelitates perpetrate extiterunt, repente permutato, ac sub alio sigillo ipsius in partibus transylvanis casualiter deperdito, confecta, iuxta dcta tria sigilla decrevimus fore apponendum, ad quecunque vero privilegia paterna dictis duobus prioribus suis sigillis consignata, que per eundem Patrem nostrum per sigilla eiusdem posteriora, vel per nos cum sigillo nostro premisso deperdito confirmata non haberentur, et ad ipsa privilegia ipsum novum sigillum nostrum non appenderetur, vel quecunque patentes littere nostre et paterne non confirmarentur, ea privilegia et littere, sicut per eundem Patrem nostrum fuerunt revocata et annullata, sic et nos ipsas seu ipsa comisimus viribus caritura, nullamque roboris obtentura firmitatem. Inter que presens privilegium nostrum, omni suspicione destitutum, et omnia in eo superius contenta et expressa pro dictis nobilibus regni Sclavonie et eorum successoribus, dicti sigilli nostri novi

dupplicis et autentici appensione innovamus, et perpetuo confirmamus. Datum per manus eiusdem Domini Nicolai Archiepiscopi, Cancellarii nostri, quinto Kalendas Martii. Anno Domini Millesimo trecentesimo sexagesimo quarto, Regni autem nostri anno vigesimo tertio.

(Locus sigilli Capitularis in exteriori facie appressi.)

Orig. membr. in Archivio Regni Croatiae. Priv. N. 7.

CI.

Anno 1369. die 27. Augusti. Spalati.

Districtum Cetina sub jurisdictione Bani Dalmatiae et Croatiae fuisse, hocce documento probatur.

Excelsissimo Principi et domino eorum naturali, domino Lodovico dei gratia Serenissimo regi Hungarie, Capitulum majoris ecclesie Spalatensis, Vestre Majestatis fideles, cum recommendatione humili se ipsos, et orationes pro vestra incolumitate continuas, apud bonorum omnium largitorem. Vestre Celsitudinis litteras nuper cum omni reverentia et honore, quibus decuit, recepimus, cum impressione a tergo Vestri Regalis anularis sigilli, in cera rubra, per manus Nobilis viri Symonis filij pauli de districtu zetine, clausas more litterarum directivarum, in hec verba: Lodovicus dei gratia rex Hungarie fidelibus suis Capitulo Ecclesie Spalatensis salutem et gratiam; dicunt nobis Scemlien, filius pauli de districtu zetine, et Nenada, filius suus, quod quedam possessiones eorum, Luchan, Zopcich et Walmasan vocata, in eodem districtu Zetine habite, apud manus eorumdem, legitima reambulatione, et ab aliorum possessionibus metali sequestratione indigerent; super quo fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo presente dubranach, vel hlapach aut Turuk filius Raduch, aliis absentibus, homo noster, ad facies predictarum possessionum Luchan, Zopthich et Walmasan, presentibus vicinis et conmetaneis suis universis, legitime convocatis, accedendo reambulent ipsas per veras suas metas et antiquas, novas juxta veteres in locis necessariis erigendo, reambulatasque et ab aliorum juribus possessionariis distinctas metaliter et separatas relinquat eisdem Scemlien, et Nenada filio suo, eo jure, quo ad ipsos dignoscuntur pertinere perpetuo possidendas, si non fuerit contradictum. Contradictores vero, si qui fuerint, citet eos contra dictos Scemlien et Nenada filium suum in nostram, vel Bani regnorum nostrorum Dalmatie et Croatie (presentiam) ad terminum competentem. Et post hec seriem ipsius reambulationis, cum cursibus metarum, vel nomina contradictorum et citatorum, cum termino assignato, nobis vel eidem Bano rescribatis. Datum in Serenchez, loco venationis nostre, die crastino festi beati Ant nij anno domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono. Exterius in superscriptione ipsarum litterarum Regalium dicebatur sic: fidelibus

suis Capitulo Ecclesie Spalatensis pro Scemlien et Nenada filio ejus reambulatoria. Quare volentes fideliter Vestrum mandatum exequi, ut tenebamur, ad requisitionem jam dictorum Symeonis et Nenade ejus filii, illico unum ex nobis videlicet........ magistrum Johanem Zintzij, concanonicum nostrum, hominem fide dignum, ad infra scripta negocia peragenda, una cum nobili viro dubrancio dubrancich, homine vestro superius inter alios vestros homines nominatum expresso duximus destinandos, qui a nobis recedens, tandem pariter tam homo vester quam noster ad nos reddiere, ac voce consona nobis retulerunt, eo modo: quod ipsi in octava festi beati Laurentij levite et martiris, nunc proxime preteriti, cum vicinis ac conmetaneis possessionum Lucane, Zopcichi et Velmosane, de quibus superius in vestris litteris Regalibus fit mentio, procedendo, simul a Nobilibus, ignobilibus, Clericis et Laycis, ac aliis cujusvis status et condicionis hominibus, prout de infra inscriptis scire potuissent, diligenter investigando, talem scivissent veritatem, quod metas predictarum trium possessionum, Lucane, Zobcichi et Welmosane ac confinia earundem, nullo contradictore apparente, sed pocius omnibus Vicinis ipsarum possessionum assentientibus reambulantes, taliter invenerunt. Quod pretacte possessiones ab oriente terminantur in quadam Valle nuncupata Mocni dolaz. Et sic versus meridiem procedendo........ in quoddam colle seu monticulo vocato Nebessa, deinde versus occidentem procedendo per viam super Radosichi. Et sic versus congeriem lapidum appellatum Vidomira gomila. Et ultra procedendo in via stricta vocitata Vodice. Et deinde ultra in loco appellato Plisunza, que quidem Plisunza est meta inter ipsas possessiones Symeonis et Nenade ejus fiilij, et inter possessiones Georgij dubrancich de yazuina. Post hec ab occidente progrediendo versus acquilonem, terminantur ipse possessiones Symeonis et Nenade in Kalaz qui vocatur Karleni. Et recto tramite procedendo in puteo nuncupato Orihovich, et sub Orihouich in Torentem, qui ducit ad quandam arborem vocatam gelham in prato, quod quidem confinium siue meta est inter territorium ecclesie sancti Luce de Cetina et ipsas tres possessiones, demum progrediendo a dicta Gelha in quandam arborem juxta Villam, que vocatur Margudi. Et inde per viam publicam, que ducit ad tres lapides prope yasuinam. Et sic recto tramite in monticulo, qui vocatur Clobucina, et usque ad silicem, qui nuncupatur Lapis perforatus, sive juxta sclavicum ydyoma et proprius Utli kami vel Utla Stina. Posthec recta linea, per acquilonem versus orientem procedendo usque ad locum appellatum Godel. Et ab ipso in supradictam vallem Mocni dolaz. Et ita prout ab ipsis audivimus, Vestri mayestati per nostras litteras fideliter et consentiose intimamus. Datum Spaleti in nostra matrici Ecclesia, sub impressione nostri Capitularis sigilli autentici, feria secunda proxima post festum beati Bartholomei Apostoli. Anno domini ab ejus nativitate millesimo trecentesimo sexagesimo nono, Indiccione vero septima.

A tergo:

Excellentissimi Principi et domino eorum Naturali, domino Ludovico, dei gratia Serenissimo Regi Hungarie, pro Symeone et Nenada ejus filio in facto confinium et metearum ipsorum possessionum in Cetina.

Originalis membr. in c. r. secreto Archivio Viennensi.

CII.

Anno 1371. In Vissegrad.

Ludovicus Rex Magistro Saracheno, Camerarum Syrmiensis et Quinqueecclesiensis Comiti, insulas Absarum et Cherso, in Regno Dalmatiae sitas, et quidem cum iisdem praerogativis, quibus alii nobiles Regnorum Dalmatiae et Croatiae suas possessiones conservant, donat.

Nos Ludovicus, Dei gratia Rex Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. Significamus tenore presentium quibus expedit vniuersis, memorie commendantes: Quod nos, cui interest ex innata Regia libertate vniuscuiuscunque obsequiorum merita propensius in statera librare equitatis, et illis, quos Regie remunerationi dignos efficiunt, grata impendere premia meritorum; intuitis fidelitatibus, et fidelium Seruitiorum meritis, laude dignis, fidelis nostri dilecti Magistri Saracheni, Comitis Camerarum nostrarum Syrimiensis et Quinqueecclesiensis, quibus idem tam sollicite, tamque curiose in cunctis nostri et Regni nostri agendis sibi confisis et commissis studuit nobis complacere, vt in eius obsequiis noster animus mitissime conquieuit; volentes sibi pro tantis gratuitis seruitits Regie remunerationis antidoto occurrere Regio cum favore, quandam insulam nostram Absari et Kersi appellatam, in Regno nostro Dalmatie intra ambitum maris habitam, cum omnibus iuribus, vtilitatibus et pertinentiis ac prouentibus vniuersis, quovis nominis vocabulo vocitatis, et ab antiquo ad ipsam Insulam Absari et Kersi spectantibus, de manibus nostris regiis ex certa nostra scientia, eidem Magistro Saracheno, si heredibus caruerit, vsque duntaxat terminum vite sue, si vero ex altissima prouidentia, cuius nutu singula diriguntur, ipsum Magistrum Sarachenum heredes seu prolem habere contingat de femore suo descendentes, tunc iure perpetuo et irreuocabiliter, noue donationis nostre titulo in filios filiorum suorum et heredum per heredes dedimus, donauimus et contulimus, immo damus et conferimus sub hiisdem prerogativis, quibus alii nobiles ipsorum Regnorum nostrorum Dalmatie et Croatie, eorum possessiones proprias conseruant, possedendam, tenendam et habendam, harum sub secreti nostri sigilli testimonio litterarum, quas in formam nostri priuilegii redigi faciemus, dum nobis fuerint reportate. Datum in Wyssegrad feria quarta proxima ante festum beate Margarethe Virginis et Martyris. Anno Domini M.CCC.LXX. primo.

(L. S. inferius impressi.)

Ex Archivio Imp. Vienn. — Fejér, Codex Dipl. Regni Hungariae. T. IX. p. 337.

CIII.

Anno 1375. 12. Aprilis. Spalati.

Comitatum Tinniniensem in Regno Croatiae fuisse patet.

In christi nomine amen. Cum hoc sit, quod dudum Nobilis vir Gausina filius quondam Marini de Gausina de Tragurio, per se suosque heredes et successores, iure proprio et inrevocabili, titulo et nomine pure, mere, libere et inrevocabilis donatinonis donasset, remisisset, tradidisset et refutasset donacionem que dicitur inter vivos domine Radoslaue, sue sororis uterine filie dicti condam Marini, omnes et singulas villas, territorias, possessiones, prata, nemora, pascua, aquas et aquarum decursus, tam cultas quam incultas, positas tam in districtu civitatis Tragurie, quam in Regno Croatie, existentia pertinentia et spectantia dicto Gausine et que ad ipsum pertinere seu spectare poterant quoquo modo. Et ipsas villas èt possessiones cum earum iuribus et pertinentijs promisisset eidem ab omni homine et universitate legitime deffendere et excalumpniare, cum hac conditione et pacto, uidelicet quod dicta domina Radoslaua siue sui heredes uel successores deberent et tenerentur manu tenere et gubernare dictum Gausinam suum fratrem, prebendo ei victum et vestitum, usque ad vitam dicti Gausine sub certa pena soluenda, rato manente predicto contractu; prout hec amnia lacius et plenius continentur in quibusdam literis Capituli Nonensis, datis sub sigillo pendente dicti Capituli in Ecclesia Maiori Nonensi Anno natiuitatis domini Millesimo trecentesimo sexagesimo octauo, Indictioue septima die octavo mensis Octobris, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini domini Urbani pape quinti Anno quinto. Cumque etiam post hec dictus Gausina coram eodem Nonensi Capitulo fuerit confessus, habuisse et recepisse causas mutui a Paulo condam Purche de Aurana habitatore Iadre cognato suo et a domina Radoslaua dicta sorore sua uterina et uxore legitima dicti Pauli ducatos mille boni auri et iusti ponderis, ad racionem librarum trium et solidorum quatuordecim pro quolibet ducato, pro quibus dictus debitor dictis creditoribus obligauit nomine pignoris totam et integram unam villam suam vocatam dassini dolzi in Comitatu Tininij et Regno Croatie positam et existentem. Item medietatem integram unius ville vocate prapratiza. Item medietatem integram cuiusdam tercie ville vocate Lubitouo, et que in confinibus dictarum trium villarum continentur, vel si forte aliqui forent alij confines veraciores, et cum omnibus et singulis iuribus et pertinentiis earumdem, taliter pacto et condicione adiectis, quod ipsi locatarij deberent abicere pro teratico dictarum villarum quolibet anno ducatum unum auri, cum certis alijs conuentionibus, conditionibus et pactis, que in ipsis litteris continentur. Datum None in Cathedrali ecclesia Anno natiuitatis domini Millesimo trecentesimo septuagesimo, Indictione octaua, die uigesimo sexto Martij; prout in literis

in carta membrana compositis per Venerabile Capitulum Nonensis Ecclesiè uel eius Capituli notarium plenius appararebat et eiusdem Ecclesie sigillo impendente munimine sigillatam seu Capituli prope dicti. Nunc vero conprehentibus contrahentibus prenotatis coram nobis Andrea Archipresbitero, Bucardo, Jacobo Primizerio, canonicis et Capitulo maioris Ecclesie Spalatensis, ad dicta officia in nostra matrici Ecclesia antedicta congregatis exhibitisque coram nobis dictis litteris sub appensione Sigilli pendentis dicti Capituli Nonensis, predicti Paulus et domina Radoslaua Iugales, contenti et confessi fuerunt, se rehabuisse et recepisse ac manualiter eis datos et muneratos fore dictos ducatos mille auri a dicto Gausina, quos confessi fuerunt se habuisse et recepisse ut supra, exceptioni non eis datis, non traditis et non restitutis dictis ducatis, omnino renunciantes, et ob hoc non vi, non dolo nec metu deducti, dicti Paulus et domina Radoslaua et quilibet eorum per se dederunt, cesserunt et reffutaverunt per se et suos heredes et successores eidem Gausine pro se suisque heredibus et successoribus stipulanti et recipienti omne ius, omnemque actionem generalem et partialem, utilem et directam, quod et quam habent in omnibus et singulis bonis contentis in presentibus literis et in literis Nonensis Capituli supradictis, positis in comitatu Tininij et extra territorium et districtum ciuitatis Traguriensis, que bona dicti jugales aquisierant vel alter eorum tam titulo donacionis, quam et emphitestice locationis, vel aliter quoquomodo, dummodo dicta cessio et reffutatio ad bona posita in ciuitate vel districtu Traguriensi nullatenus se extendat; volentes, quod dictus Gausina amodo deinceps possit et valeat de dictis villis, rebus et bonis, tamquam de rebus suis proprijs suam facere omnimodo volumptatem; constituentes se dictas villas et bona omnia supradicta, existentia in dicto Comitatu Tininj, dicti Gausine nomine possidere, donec ipsarum rerum possessionem acceperit corporalem, quam accipiendi eidem auctoritatem et licentiam omnimodam concesserunt. Et dictus Gausina remisit et refutauit ac penitus relaxauit eidem domine Radoslaue Victum et vestitum, ad quod eidem erat obnoxia, virtute literarum predictarum superius expressarum; et hoc, quia videbatur, quod aliter non poterant quiete et pacifice commanere nec conuenciones predictas attendere bono modo. Promittentes dicte partes una alteri et altera alteri, dictas reffutationes, daciones, restitutiones et remissiones predictas ratas, gratas et firmas habere et tenere, attendere et obseruare per se et suos heredes et successores, et non contrafacere uel uenire per se vel alium seu alios de iure vel de facto, sub pena Quingentarum librarum parvarum, solvendarum per partem non attendentem parti obseruanti; que pena tociens possit exigi cum effectu, quociens fuerit contrafactum; et pena soluta vel non, predicta omnia firma producent et sub reffectione omnium dampnorum et interesse et expensarum litis et extra; pro quibus omnibus attendendis obligauerunt sibi vicissim unus alteri et alter alteri omnia bona sua presentia et futura. Nos igitur supradicti Archipresbiter, primicerius, canonici et Capitulum Ecclesie Spalatensis, harum serie universis et singulis tam presentibus quam futuris quibus expedit vel expedire foret, per presentem paginam significamus, quod .... omnibus et singulis in presenti pagina contentis fecimus duas literas testimoniales, nostre ecclesie predicte Sigillo et Capituli inpendente munimine roboratas, super omnibus et singulis in presenti pagina annotatis. Sub Anno domini Millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, Indictione tercia decima die XII. mensis Aprilis, Pontificatus sanctissimi in christo patris et domini

nostri, domini Gregorij diuina prouidentia pape undecimi Anno quinto........ publicata per presentem formam.

A tergo:

Hec sunt acta in mei presbiterj Johanis de Sibinico condam Georgij canonici Ecclesie maioris Spalatensis et quietationis et aliorum proat in presentibus cartulis luculenter apparet scripta manu mea propria, ex commissione facta per venarabilem Capitulum dicte Ecclesie Spalatensis in foliis..... duobus sub Anisque .... indictione, mensibus et diebus in eis sic dictis cartulis anotatis.

Orig. in c. r. aulico Archivio Viennensi. Acta Spalatensia.

CIV.

Anno 1375. 15. Junii.

Dalmatia generali Slavoniae nomine comprehensa.

Nouerint Uniuersi presens hoc Instrumentum publicum inspecturi, quod nos frater Benedictus de Venetiis, ordinis beate Marie seruorum Camere apostolice in partibus Sclauonie in Spalatensi et nonnullis alijs prouintijs generalis Vicarius, Subcollector et Locumtenens per Reuerendum in christo patrem et dominum dominum Raymundum, dei et apostolice sedis gratia Episcopum paduanum, in supradictis et nonnullis alijs prouintijs et partibus Italie eiusdem sedis nuncium et Collectorem generalem, specialiter deputatus. Recepimus nomine Camere apostolice supradicte a Reuerendissimo in christo patre et domino, domino hugolino, predicta gratia Archiepiscopo Spalatensi, et eius Clero Ciuitatis et dioecesis Spalatensis, per manus venerabilium uirorum dominorum Buzardi primicerij, duymi, Petri, Jacobi, Nicole et Nicole Canonicorum ecclesie Spalatensis, pro compositione, per ipsos dominos Archiepiscopum et Canonicos nobiscum nomine camere supradicte factam, de et super decima bienali domini nostri pape Gregorij XI^mi^, per eundem dominum nostrum papam Gregorium XI. nuper imposita, uidelicet pro primo et secundo terminis primi Anni ipsius decime bienalis ducatos sexaginta boni auri et iusti ponderis; de quibus quidem sexaginta.... ducatis auri facimus nomine camere memorate eisdem dominis Archiepiscopo et Canonicis, recipientibus pro se et toto Clero, exempto et non exempto, et pro monasterijs monialium et aliarum ecclesiasticarum personarum Ciuitatis et dioecesis Spaletensis, finem, quitationem, absolutionem et remissionem plenariam, ac pactum de ulterius non petendo. Quas quidem finem, quitationem, absolutionem, remissionem, et pactum permittimus nomine camere sepedicte semper de cetero

firmas ratas et gratas habere et tenere, ac ipsos dominum Archiepiscopum et Clerum supradictos occasione premissa minime molestare. In quorum testimonium presens hoc publicum Instrumentum scribi et fieri iussimus per Victorium scribamque nostrum publicum infrascriptum et nostri sigilli iussimus appensione muniri. Acta fuerunt predicta in Curia loci Monasterij sancti dominici de extra et prope Spaletum ordinis predicatorum. Anno natiuitatis dominice Millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, Indictione tertia decima, die quinta decima mensis Iunij, Pontificatus suprascripti domini nostri pape Gregorij XI. Anno quinto; presentibus Reuerendo in christo patre domino fratre Boniohannes, supradicta gratia Abbate Monasterij sancti Michaelis de monte, polensis dioecesis, Ganoro condam domini Lanzaroti de Mantua, notario Communis Spaleti, et Clapacio mercedro de Spaleto, ac Nicola Jacobi Andree de Spaleto, testibus vocatis ad hec specialiter et rogatis.

Signum Notarii:

Ego Victor Guillielmi de Torcello, publicus imperiali auctoritate notarius ac scriba supradicti domini Subcollectoris, suprascriptis omnibus et singulis interfui, eaque de mandato dicti domini Subcollectoris scripsi, et in hanc publicam formam reddegi, siquid meum una cum ipsius domini Subcollectoris sigilli appensione consuetum apponens in testimonium premissorum.

(Sigillum avulsum.)

Orig. in c. r. aulico Archivio Viennensi. Acta Spalatensia.

CV.

1377. die 31. Octobris. Zolii.

Ludovicus Rex litem, coram Judice Curiae motam, Slavoniae Bano, competenti judici, decidendam tradit.

Lodovicus dei gracia hungarie, polonie, dalmacie etc. fideli suo magnifico viro Comiti Iacobo de Scepus, Iudici sue curie, salutem et graciam. Fidelitati vestre damus in mandatis, quatenus causam inter Ciues nostros Grecenses de Zagrabia ab una, parte vero ex altera inter venerabilem in Christo patrem dominum Demetrium Episcopum Zagrabiensem et Capitulum loci eiusdem coram vobis vertentem, statu in eodem, absque omni grauamine ad iudicium et examen Magnifici viri Petri Zudor, regni nostri Sclauonie Bani, transmittimus, partibus

coram eodem comparendi terminum assignando competenter, prout ipsius regni Sclauonie libertas et consuetudo id requirit. Datum Zolij in vigilia festi omnium sanctorum anno domini M°CCC°lxx^{m} septimo.

(Sigillum Regis annulare.)

Originalis charta in mea collectione.

CVI.

Anno 1382. Zagrabiae.

Ludovicus I. Rex libertates et Privilegia civitatis Cattari confirmat.

Ludovicus dei gratia Rex Ungariae, Poloniae, Dalmatiae etc. Fidelibus suis Iudicibus, Consilio et Communi civitatis nostrae Catharensis salutem et gratiam. Missis ad nostrae Celsitudinis conspectum Damiano et Marco, nuntiis et ambasciatoribus vestris, ex parte vestra nobis extitit humiliter supplicatum per eosdem, quod quia ipsa civitas nostra Catharensis, tum propter inopinabilis ignis incendia, tum etiam propter maximam guerram Venetorum tunc nostrorum aemulorum de novo sopitam, et ad pacis pulchritudinem deductam, derobationes et desolationes non modicas perpessa extitisset, imo multi et quamplures ex ipsa civitate nostra ad extraneas provincias et tenutas dispersi extitissent, supplicantes nostrae maiestati vice et nominibus vestris, ut vestrae Communitati ac eidem civitati vestrae Catharensi in signum nostri Regii adminiculi libertatum praerogativas et gratiarum privilegia, quibus hactenus cives eiusdem civitatis nostrae Catharensis gavisa fuissent, ratificari et confirmari dignaremur, ut, iis a nostra Maiestate graciose concessis, sicut numero sic nominibus possetis fidelitate multiplicari et augeri, profectus et honoris materia a vestra Communitate nostrae proveniret maiestati. Nos itaque considerante quod cum nostris fidelibus subditis in eorum narrationibus gratiarum praerogativas concesserimus, et dum eorum onera removebimus, in ipsorum quiete quiescimus, et fovemus in pace, praemissis supplicationibus, ex parte vestri nostrae porrectis Majestati, gratiose exauditis, admissis, praemissarum libertatum, praerogativarum et gratiarum privilegia, quibus hactenus gavisi extitistis, confirmantes ratificamus, quousque sibi Deo propitio dictam civitatem nostram Catharensem personaliter visitabimus, vel domina Regina consors nostra carissima ad illas partes feliciter accedendo visitabit, et tum nos, aut eadem domina Regina, super qualitatibus libertatum vestrarum in melius sciscitari, et experti de vestro commodiori et tutiori statu, ac libertatum

praerogativis, vestrae fidelitati indulgeri debendis maturius deliberare possimus. Datum Zagrabiae Sabbatho proximo ante festum Epiphaniae Domini. Anno eiusdem Millesimo CCC octuagesimo secundo.

Farlati. Illyricum Sacrum T. VI. p. 453.

CVII.

Anno 1381. die 8. Augusti. Taurini.

Pacis a Rege Hungariae, Januensibus, Paduanis et Patriarchatu Aquilegiensi Taurini factae instrumentum, quo Ludovico, Hungariae, Dalmatiae et Croatiae Regi et ejus successoribus Dominium totius Dalmatiae confirmatur.

In Christi nomine, sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filij et Spiritus Sancti, et gloriosae Virginis matris eius, ac totius curiae Supernorum feliciter Amen. Anno Dominicae nativitatis millesimo trecentesimo octuagesimo primo, Indictione quarta, die Jovis, octavo mensis Augusti, ante et circa hora Vesperorum, in civitate Taurini, provinciae pedemontium, in castro, in quo Illustris ac Magnificus Princeps dominus dominus Amadeus Comes, Sabaudiae Princeps, Dux Cablaysij et Augustae, et Marchio Italiae suam residentiam faciebat, et aula maiori dicti castri. Praesentibus Reverendis in Christo Patribus Dominis Joanne Episcopo Taurinensi, Philippo Episcopo Trosselano, Guidone Abbate Sancti Michaelis Clissini etc. — — — Visis etiam, et studio frequenti, matura deliberatione pensatis ac examinatis proinde petitionibus, demandis, et singulis quaestionibus et quaerellis, ac etiam responsionibus et exceptionibus factis subtiliter hinc et inde, ipsae partes, videlicet Reverendi in Christo Patres et Domini, dominus Valentinus Quinqueecclesiensis, decretorum Doctor, et dominus Paulus Zagrabiensis Episcopi, procuratores, actores, nuntij et legati Serenissimi et Invictissimi Principis et domini domini Ludovici Dei gratia Hungariae, Poloniae, Dalmatiae, Chroatiae, Ramae, Serviae, Galitiae, Lodomeriae, Bulgariae, Cumaniaeque Regis, Principis Salernitani et honoris montis Sancti Angeli Domini, procuratorio et actorio nomine praefati Domini Regis, habentes ad infrascripta plenum et sufficiens mandatum, prout constat publicis literis regiis magno sigillo Maiestatis Regiae sigillatis in pendenti, datis Budae in Palatio Regali decima tertia Februarij, millesimo trecentesimo octuagesimo; quarum tenor inferius est insertus. Cum quibus dominis Procuratorijs Regijs fuit praesens egregius dominus Joannes Dominici de Pastoch, miles aulae Regiae, qui cum dictis dominis Ambaxiatoribus

fuerat ad ea, sicut adseruerunt, per Regiam maiestatem transmissus. Et cum eis fuerunt etiam praesentes egregij viri domini Paulus de Georgijs miles, et Jacobus Raduchus Legum Doctor, communis Jadrae Ambaxiatores, ut asserebant ex una parte; et honorabiles et egregij viri domini Zacharias Contareno, Joannes Gradonico et Michael Mauroceno Procuratores Ecclesiae Sancti Marci, cives Venetiarum, Syndici, Procuratores, Actores, Ambaxiatores et nuntij spetiales Illustris et Magnifici Domini Domini Anndreae Contareno, Dei gratia Ducis Venetiarum etc. et consiliariorum eius, et communis Venetiarum, nomine et vice praefatorum Illustris et Magnifici Domini Ducis, consiliariorum et communis Venetiarum, habentes ad infrascripta plenum et sufficiens mandatum, ut patet publico instrumento, scripto manu Leonardi de Anzetellis, de Venetijs notarij, sub anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indictione quarta, die quinta mensis Aprilis; cuius tenor inferius est insertus etc. — — — Item cum in pace antiqua, alias facta inter praefatum Serenissimum dominum Regem et commune Venetiarum, contineatur: Quod dominus Dux et commune Venetiarum effectualiter renuntiant de facto in manibus domini Regis Ungariae et successorum suorum toti Dalmatiae; nuncque dicti Syndici, Procuratores et Ambaxiatores dicti domini Ducis et communis Venetiarum, nomine dictorum dominorum Ducis et communis Venetiarum, in praesenti pace renuntiant effectualiter, de iure et de facto, in manibus supradictorum dominorum Episcoporum, Procuratorum et actorum dicti domini Regis et successorum suorum in Regno et Corona, toti Dalmatiae, a medietate scilicet Carnarij, usque ad fines Durachij, tamquam ab antiquo de iure regno et Coronae Ungariae spectanti et pertinenti. Item fuit actum inter dictas partes, quod super facto Standalis Sancti Marci de Seigna, et iurisdictionis Consulatus, quam commune Venetiarum in loco Seignae obtinet, sit et esse debeat in electione Serenissimi Domini Regis et Dominorum Comitorum Seignae; simul in hac forma: videlicet, quod si disposuerint vel elegerint Standalem, et Consulatum de Seigna tolli, quod hoc casu dicti domini Comites de Seigna carere debeant omnibus et singulis beneficijs, honoribus, privilegijs, pactis et conventionibus, quae haberent in Venetijs et cum communi Venetiarum, nisi tunc ipsi Domini Comites Seignae ostenderint se in Venetijs et cum comunitate Venetiarum habere alia privilegia, honores, beneficia, pacta et conventiones, alia occasione, quam occasione dictorum, standalis et Consulatus, quae dicti de Venetijs habent in loco Seignae, quo casu illa alia, quae alia occasione ostenderent se habere, etiam in posterum habeant, non obstante remotione dictorum Standalis et consulatus. Item fuit actum et solemniter conventum inter dictas partes: Quod omnes subditi Regij, et paecipue Jadratini, tam in civitate Venetiarum, quam in quibuscunque terris et locis sibi subditis, possint et valeant tute et secure mercari, et mercationes facere, et alia quaecumque, quae, et prout ante praesentem guerram facere poterant. Et quod dicti subditi Regij, et praecipue Jadratini, per commune Venetiarum, et eius Officiales, benigne et favorabiliter tractentur, sine aliqua iniuria vel offensa. Sane semper intelligendo. quod per praesens Capitulum nec aliqua in ipso contenta, non intelligantur dicti subditi regij seu Jadratini, navigare seu mercari posse in dictis buccis, nec alijs locis in praesenti instrumento prohibitis. Et versa vice dicti Veneti et subditi eorum in regno Ungariae, et terris et locis sibi subditis, possint et valeant tute et secure mercari, et mercationes facere, et alia quaecunque, quae, et prout

ante praesentem guerram facere poterant. Et quod dicti Veneti et eorum subditi per praefatum Serenissimum dominum Regem et eius officiales benigne et favorabiliter tractentur, sine aliqua iniuria vel offensa. Et ultra praedicta, quod dicti Jadratini usque ad annos viginti singulis annis, et quolibet anno, et alii Dalmatini usque ad dictos annos viginti singulis annis, et quolibet anno, possint et valeant, et eis conceditur, et concessum esse intelligatur per dictum commune Venetiarum, portare, vel portari facere ad dictam civitatem Venetiarum tot res seu merces ex illis, quae nascuntur vel extrahuntur de territorio dicti domini Regis, quae valeant ducatorum triginta quinque millia auri, videlicet dicti Jadratini valorem ducatorem viginti millium, et alij Dalmatini valorem quindecim millium ducatorum. Quas res et merces ad dictam civitatem Venetiarum per dictos Jadratinos et Dalmatinos delatas vel transmissas, vendere et vendi facere, et alio quocumque titulo alienare possint in dicta civitate Venetiarum, quibuscumque personis eis placuerit, et non Venetis. Et in dicta civitate Venetiarum dicti Jadratini et Dalmatini emere et alio quocumque titulo acquirere possint singulis annis, et quolibet anno, ex dictis annis viginti, tantam quantitatem mercium mobilium, quae valeant dicta triginta quinque millia ducatorum, dividenda intra dictos Jadratinos et Dalmatinos, pro rata praedicta, a quibuscumque personis, et non Venetis. Et ipsas merces portare possint Jadram et Dalmatiam, et ad alias partes subditas dicto domino Regi, ipsis Jadratinis et Dalmatinis solventibus, tam portando, quam extrahendo, et tam ementibus, quam vendentibus gabellas, datia, pedagia et alia onera consueta, quae per Venetos tantum solvuntur. Et quod per dictum commune Venetiarum licentia concedatur quibuscumque non Venetis emendi a dictis Jadratinis et Dalmatinis, ut supra, et similiter eisdem vendendi absque aliquo banno siue poena, et hoc singulis annis pro quantitatibus et usque in quantitates contentas in praesenti capitulo. Dummodo per praedicta non intelligatur, quod dicti Jadratini et Dalmatini possint Venetias portare salem, nec immittere vel extrahere de Venetijs ea, quae Veneti proprij imittere vel extrahere non possint. Et sic praedicta fiant sine dolo, et tali cautella adhibita, quod salvis praedictis, et concessione praedicta, commune Venetiarum conceditur, et concessum intelligatur in perpetuum dictis Jadratinis, quod eisdem liceat emere in Venetijs, et inde extrahere cupos seu tegulas, et matones tantum pro constructione et reparatione edificiorum suorum, absque solutione alicuius pedagij, datij vel gabellae. Item fuit solemniter conventum et actum inter partes praedictas, nominibus ante dictis: Quod commune Venetiarum vel aliquis officialis eiusdem non possit facere aliquod statutum, decretum vel provisionem spetialem contra subditos dicti domini Regis, et praecipue contra Jadratinos, seu in ipsorum praeiudicium; generaliter vero statuere et ordinare liceat pro libito voluntatis. Item fuit actum et conventum inter dictas partes, dictis nominibus: quod bona immobilia singularium personarum, existentia in Venetijs, vel territorio dicti communis Venetiarum, quae tempore inchoationis praesentis guerrae erant aliquorum subditorum dicti Domini Regis, seu per eos possidebantur; restituantur eisdem in eo iure possessionis et Dominij, quo tenebantur tempore inchoationis praesentis guerrae. Et eodem modo omnia bona immobilia singularium personarum de Venetijs, vel eorum territorio, existentia in territorijs praefati Serenissimi Domini Regis, dictis singularibus personis restituantur in iure possessionis et Dominij, quibus tenebantur ante praesentem guerram. Item fuit actum et spe-

cialiter conventum inter dictas partes, dictis nominibus: quod de debitis, ad quae subditi unius partis tenebantur subditis alterius partis tempore inchoactionis praesentis guerrae, fiat iustitia, per inde ac si praesens guerra non occurrisset. Item, quod Veneti cum aliqua galea, vel galeis armatis, intrare non possint aliquem portum de cathena dicti domini Regis, seu subditorum suorum, contra voluntatem habitantium seu tenentium dictum portum. Item fuit actum et specialiter conventum inter dictas partes, dictis nominibus: quod dicto Domino Regi restituantur omnes terrae, loca et castra, quae per commune Venetiarum tenentur, quae dicto domino Regi ablata fuissent per Venetos tempore praesentis guerrae, et specialiter civitas et castrum Cathari. etc.

Ex libro Pactorum Reipublicae Venetiarum, in c. r. aulico Archivio Viennae asservato. T. VI.

CVIII.

Anno 1383. 5. Novembris. Jadrae.

Elisabetha, Hungariae Regina, jura, statuta ac libertates Sibenicensium confirmat.

Elisabeth Dei gracia Regina Hungarie, Polonie, Dalmatie etc. Significamus tenore presentium quibus expedit vniuersis, quod fideles nostri Communitas ciuitatis nostre Sibenicensis, missis ad nostre Serenitatis conspectum eorundem sufficientibus Ambassiatoribus et nuncijs, nobis graui cum querela detexerunt, quod nonnulli homines Dalmatini, Sibenicenses et alij, suggesta falsitate et rei veritatem celantes, tales nostras litteras sepissime a nostra impetrarent Maiestate, quarum tenores contra eorundem fidelium nostrorum Sibenicensium statuta, iurisdictiones et reformationes protenderent seu extenderent, eisdem et eorum iuribus maxime preiudicando; supplicantes nostro reginali culmini humili pietate et deuota, vt ipsis de remedio prouidere dignaremur in hac parte oportuno. Nos itaque, qui iuxta nostri reginalis officij debitum singulos nostros regnicolas in eorum iuribus illesos et indempnes tenemur conseruare, pensata eciam ipsorum fidelium nostrorum Sibenicensium fidelitatis constancia et fide eorum inuarabili, quam ad nos et sacrum nostrum dyadema constanter noscuntur habuisse, ac ipsorum grata obsequia, quibus nostre Serenitati se studuerunt indesinenter complacere, serie eisdem pollicemur, ipsos in eorum iuribus, libertatibus, legibus honestis et iuri consonis et racionalibus, inuiolabiliter et inconuulse conseruare, nec alicui hominum vel personarum in detrimentum seu preiudicium libertatum, iurisdictionum et statutorum ipsorum laudabilium et approbatorum nostras litteras dabimus vel dari faciemus; ymo si ex errore obliuionis alicui Dalmatino vel Sibenicensi, aut alteri cuipiam contra eorundem statuta, iurisdictiones et reformationes prescriptas,

aliquas litteras nos dare, et easdem nostris fidelibus Sibenicensibus destinare contingeret, vt ijdem Sibinicenses ex serie talium litterarum nostrarum se grauari sentirent, earumdem execucionem tamdiu differre habeant, quousque ipsi nostram maiestatem de mera rei veritate et dicti negocij certitudine, in quo eedem littere n stre iuri et libertati ipsorum preiudicium generare et aggrauamen inferre videntur, per nuncios seu litteras ipsorum speciales potuerint loculente nostram informare Maiestatem, quorum informacione percepta, nos tandem in premissis id facere queamus, quod nostre de iure conuenire videbitur Serenitati. Datum Jadre, quinta die mensis Nouembris, anno Domini MCCCLXXX tertio.

(L. S. in forma Crucis acuatae, cui inscriptum: deliberatio Baronum.)

Ex originali in coll. Nic. Janković. — G. Fejér. Codex Dipl. R. H. T. 10. vol. 3. pag. 1—2.

CIX.

Anno 1383. die 5. Novembris. Jadrae.

Eadem Elisabeta Sibenicenses a Vlahis defendi praecipit.

Elisabeth Dei gratia Regina Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. fideli suo, magnifico viro Domino Emerico Bubek, regnorum nostrorum Dalmatie et Croatie Bano, et eius vicesgerentibus, salutem et gratiam. Ex graui querela fidelium nostrorum nobilium virorum, scilicet Thome, Dominici et Johannis Naplavigh, ambassiatorum civitatis nostre Sibenicensis, noveritis nos percepisse, qualiter Olahi tam nostri, quam Joannis filii Ivan Nyelpecy de Zetina, multa dampna, nocumenta, homicidia ac spolia in districtu nostre civitatis antedicte fecissent et comisissent, et continue facere non cessarent, in eo videlicet, quod dicti Olahi venientes ad territorium et districtum dicte nostre civitatis, pascua ipsius civitatis occupando, offensiones, interemtiones, ac alia facta nephanda perpetrarent potentialiter, et minus iuste, in preiudicium ipsorum civium nostrorum non modicum, et desolationem ac destructionem civitatis nostre Sibenicensis antedicte; et quod vos, visis aliis literis nostris prescriptoriis, dictos Olahos de ipso districtu civitatis nostre Sibenicensis non expulissetis, et ipsam penam seu condempnacionem pene, iuxta continentias aliarum literarum nostrarum, exinde vobis directarum, ab ipsis Olahis extorquere voluissetis, neque velletis medietatem ipsius pene ipsis Sibenicensibus per ipsos Olachos dare et facere administrare: de quibus nimium admiramur, et admirare non sufficimus, cur litere nostre Maiestatis, de qua ipsum honorem Banatus conservatis apud vos, qua presumcionis audacia parvi penduntur et aspernantur: vobis exinde nimium improperamus. Unde cum crescente contumacia Olachorum excrescere debeat et pena, volumus

igitur, et fidelitati vestre sicut per alias literas nostras, sic presentibus firmo firmius reginali damus sub edicto, quatenus visis presentibus prefatos Olachos tam nostros, quam prefati Johanis filii Ivan Nyelpecy, contumaces et rebelles, de ipsorum districtu Sibenicensium expellere et removere, medietatemque dictorum florenorum, iuxta continentias aliarum literarum nostrarum vobis loquentium, publice exigere, aliam vero medietatem eorundem predictis fidelibus civibus nostris Sibenicensibus per dictos Olachos persolvi et administrari facere debeatis plene et integre, dissimulatione et occasione quibuslibet procul motis, et aliud sub obtentu nostre gratie facere non ausuri in premissis, ne iidem ulterius nobis conquerantur in hac parte. Insuper committimus vobis, ut nullus Olachus per totam Bosilinam possit neque valeat stare, pascui facere, nec morari ullo tempore, modo superius expresso; pro eo videlicet, quod dicti Olachi, in dicta Bosilina commorantes, non tantum Sibenicensibus, sed etiam Cameris Salium nostrorum ac navigantibus per mare inferunt gravamina non modica, atque dampna et spolia perpetrant incessanter, imo super omnibus premissis, ex parte predictorum Olachorum ipsis Sibenicensibus congruam impendatis satisfactionem, dictante iuris equitate. Et hoc idem iniungimus aliis Banis et Vice Banis ipsorum dictorum regnorum nostrorum Dalmatie et Croatie in futurum constituendis, dantes eisdem similibus sub preceptis. Datum feria secunda proxima ante festum beati Adalberti Martyris. Anno Domini Millesimo trecentesimo LXXX tercio. Presentes autem post lecturam reddi iubemus exhibenti. Datum ut supra.

Infra Sigillum, cerae rubrae in ipsa pergamena ab intus impressum, legi possunt haec:

Relatio Comitis Nicolai de Zeech, Judicis Curiae Regiae, ad consequentiam nostrarum litterarum prius datarum.

Collat. cum Origin. autograph. collectionis Nic. Janković. — G. Fejér. Codex Dipl. T. 10. Vol. 3. pag. 2—4.

CX.

Anno 1383. Budae.

Maria Regina civibus Ragusinis privilegium vendendi salis ac vini confirmat.

Nos Maria Dei gratia Regina Vngariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Notum facimus tenore praesentium, quibus expedit universis, quod fideles nostri rector, judices, consilium et commune civitatis nostrae Ragusii, missis ad nostram Maiestatem providis viris Petro de Gendola et Stephano de Luccaro, eorum civibus, nunciis et ambasciatoribus, nobis humiliter significarunt, quod nonnulli

forent homines in dictis Regnis nostris Dalmatiae et Croatiae, qui vinum et salem ad quoddam Castrum, de novo per Dominum regem Rasciae et Bosnae (Tvartkum) inter praedictam civitatem nostram Ragusii et civitatem Cathari appellatam, in loco Dracavizza nominato constructum, et etiam ad alia loca inconsveta, contra libertatem et antiquam consvetudinem ipsius civitatis nostrae Ragusii, et in opprobrium et diminutionem jurium eiusdem civitatis nostrae, portarent et deferrent; supplicantes nobis, ipsis super hoc providere de remedio opportuno. Nos itaque volentes dictam civitatem nostram Ragusii in suis libertatibus et consvetudinibus antiquis illibate conservare, ut exinde dicti cives nostri discant sub principe glorioso devote famulari, atque ab ipsis utilitatibus et honoris materia lucrumque fructiferum regiae proveniat Maiestati; de consilio consensu et beneplacita voluntate serenissimae et excellentissimae Principis D. Elisabeth, praemissa Dei gratia reginae Ungariae, Poloniae, Dalmatiae etc. genitricis nostrae carissimae, praelatorumque et baronum regni nostri, praematuro sancientes duximus committendum, ut a modo et deinceps nullus incolarum regnorum nostrorum memoratorum, vinum et salem ad praedictum castrum novum, in loco Dracavizza, ut praefertur, constructum, et alia loca inconsueta, contra antiquam libertatem et consuetudinem dictae civitatis nostrae Ragusii et diminutionem iurium eiusdem civitatis nostrae, portare praesumat vel deferre, sub poena ammissionis et privationis vinorum et salium praedictorum. Et hoc volumus in foris et locis publicis, in dictis regnis nostris Dalmatiae et Croatiae palam ubique facere proclamari. Datum Budae sub magno nostro sigillo, Sabbatho proximo post quindenas festi Pascae Domini. Anno eiusdem M.CCC.LXXXIII.

Lucius. De Regno Dalm. et Croat. L. V. c. III.

CXI.

Anno 1383.

Eadem Maria Ecclesiae Traguriensi sigillum authenticum privilegio confert.

Maria Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Bulgariaeque Regina, Princeps Salernitana et honoris montis Sancti Angeli Domina. Omnibus Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Regia licet sublimitas pedisequa sedens throno in excelso cunctis suis sequacibus digna debeat impendere praemia meritorum, ad instar tamen ipsius supremi regis splendore paternae gloriae de luce eius claritate mundum illustrantis, verbi scilicet incarnati, sacrosanctae matri Ecclesiae, quam ipse praetiosissimi sui sanguinis effu-

sione pro generis humani redemptione pendens in cruce decoravit mirifice, tota mentis intentione studiosius debet intendere pariter et invigilare; cuius cultu, cuiusque nutu, cuiusque rationibus prospera regibus cuncta succedunt et accedunt; nam de moerore cum gaudio provenit ipsis laetitia, et tristitiae redeunt solatia, de nebula svavis aura prodit et nimium dulcorosa, et de hoste seu hostibus consurgit victoria simul et triumphus; et omnino terrestria in coelestia feliciter commutantur. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: quia Serenissimo Principe Domino Ludovico eadem Dei gratia Hungariae, Poloniae, Dalmatiae etc. Rege, Genitore nostro charissimo, laudandae recordationis, volente Domino coeli, cuius nutu omnia reguntur et disponuntur, absque prole masculina de medio sublato, nobisque iure successorio et ordine geniturae solium et coronam dicti regni Hungariae ac sceptra regiminis ipsius Genitoris nostri feliciter adeptis, fidelis noster specialis Capellanus, venerabilis in Christo Pater Dominus Chrysogonus, praemissa et apostolica gratia Episcopus Ecclesiae Traguriensis, ad nostrae serenitatis accedendo praesentiam, nostrae humiliter supplicavit Maiestati, ut quia dicta Ecclesia Traguriensis sub vocabulo gloriosissimi Christi Martyris Laurentii constructa, foret Cathedralis, et hactenus sigillo caruisset authentico; ideo de benignitate reginali eidem Ecclesiae et suo Capitulo sigillum, quo perpetuis temporibus Canonici seu Capitulum ipsius Ecclesiae Traguriensis uterentur, dare et concedere dignaremur; sicut aliae etiam cathedrales Ecclesiae regni nostri sigillis gaudent et fruuntur. Nos itaque vestigiis priorum Praedecessorum nostrorum, olim illustrium regum Hungariae beatissimarum recordationum, qui tam Ecclesias chatedrales et collegiatas, quam alias regni nostri, diversis libertatum praerogativis et privilegiis decorarunt et regia liberalitate refoverunt, inhaerentes, supplicationibus praefati Domini Chrysogoni Episcopi, quem in cunctis nostri et regni nostri negotiis prosperis et adversis iuxta nutum nostrae voluntatis semper sagacem, et solertem ac fidelem reperimus, favorabiliter inclinatae, volentes sibi de benignitate reginali complacere, potissime etiam ob spem et devotionem nostram, quam ad ipsum gloriosissimum Christi Martyrem Laurentium gerimus et habemus, provida deliberatione una cum excellentissima et Serenissima Principe et Domina Elisabeth, praemissa Dei gratia regina Hungariae, Poloniae, Dalmatiae etc., genitrice nostra percara, nec non praelatis et Baronibus regni nostri praehabita, sigillum novum, quo Capitulum et Canonici memoratae Ecclesiae cathedralis Beati Laurentii Martyris de Tragurio perpetuis temporibus potiantur et utantur, in quo imagines infrascriptae, videlicet B. Laurentii Martyris, tenens craticulam in manu, in habitu Levitarum, ac duorum Angelorum, a dextris et sinistris ipsius imaginis Beati Laurentii, flexis genibus cereos in manibus gestantes, ac inferius circa pedem ipsius imago unius Episcopi induta pontificalibus et flexis genibus tenens baculum pastoralem in manu, sculptae habeantur, ex desiderio affluenti nostrae Maiestatis ad dictam Ecclesiam Cathedralem ipsius Beati Laurentii Martyris de Tragurio, perpetuo duximus concedendum; committentes, et de plenitudine nostrae potestatis sacientes, ut dictum sigillum ipsius Ecclesiae et Capituli Traguriensis a modo et deinceps autenticum habeatur, et eidem, a litteris omni veritate scribendis et conficiendis sub eodem, indubitata fidei certitudo per omnes regnicolas nostras tam in iudicio, quam extra adhibeatur. In cuius rei firmitatem memoriamque perpetuam praesentes concessimus litteras nostras privilegiales, pendentis et autentici sigilli nostri munimine

roboratas. Datum per manus Reverendissimi in Christo Patris et Domini Domini Demetrii Miseracione divina tit. SS. quatuor coronatorum S. R. E. Presbiteri Cardinalis, sanctae Strigoniensis Ecclesiae Gubernatoris perpetui, locique eiusdem Comitis similiter perpetui, et aule nostre fidelis cancellarij. Anno Domini M.CCC.LXXXIII quinta idus Maii, regni autem nostri anno secundo. Reverendissimis et Venerabilibus: eodem Domino Demetrio Gubernatore Ecclesiae Strigoniensis perpetuo, Ludovico Colocensi, Petro Jadrensi, Ugolino Spalatensi et Ugone Ragusini Archiepiscopis; Emerico Agriensi, Paulo Zagrabiensi, Gublino Transylvano, Valentino Quinqueecclesiensi Decretorum Doctore, Joanne Baratensi, Guilelmo Jauriensi, Benedicto Vesprimiensi, Joanne Chanadiensi, Georgio Bosnensi, Petro Vaciensi, Joanne Syrmiensi, fratre Dominico Nitriensi, Paulo Tinniniensi, Demetrio Nonnensi, eodem Grisogono Traguriensi, Matheo Sibinicensi, Stephano Farensi, Jacobo Macarensi, Michaele Scardonensi et Thoma Segniensi, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Corbaviensi sede vacante. Magnificis viris Nicolao de Gara, regni nostri Palatino et Judice Cumanorum, Ladislao Vajvoda Transilvano et Comite de Zonuk, Comite Nicolao de Zeech Judice Curiae nostrae, Stephano de Lindua, totius regni Sclavoniae, Emerico dicto Bubek Dalmatiae et Croatiae, ac Stephano filio Phylipus de Machow Banis, Nicolao dicto Zambo Tavernicorum, Blasio dicto Forgach Pincernarum, Nicolao filio Nicolai de Telegd Janitorum, Ladislao filio quondam Domini Dyonisii, Wajvodae Agazonum nostrorum Magistris, praedicto Nicolao, dicto Zambo, Comite Posoniensi, aliisque quam plurimis regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

(L. S. p.)

Infra scriptum: Stephanus Georgy etc. — Wagner MSS. tomo V. Nro. XIII. — Fejér. C. D. H. T. 10. V. 1.

CXII.

1386 22. Januarii. Budae.

Carolus Rex Stephano, Vegliae et Modrušae Comiti, eam largitur gratiam, ut, si hic absque masculo haerede decesserit, omnia ejus bona in filiam Elisabetham transeant.

Karolus dei gracia Vngarie, Jerosolimi et Sicilie, nec non Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Galicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque Rex, Prouincie et forcalgrij ac Pedimontis Comes, vniuersis presentes litteras inspecturis, tam presentibus quam futuris. V...tis et ...tis ad collaciones beneficas ex debito naturalitatis astringimus, sed illis propensius rependium nostre munifice liberalitatis

persoluimus, qui gratum nobis exhibuerunt obsequium, prebendo alijs laudabilis imitacionis exemplum. Sane attendentes sincere ac constantis deuocionis et fidei merita, quibus vir Magnificus Stephanus Vegle et Modruxij Comes, affinis et fidelis noster dilectus, erga maiestatem nostram euidentibus operibus claruit, ipsius quoque grandia, vtilia et fructuosa seruicia, que nobis hactenus, persone et rerum suarum non parcendo periculis, laboribus et sumptibus, indefexe prestitit, ac ad presens prestat ac prestare poterit vtiliter in futurum, ex quibus nedum sibi, sed suis eciam posteris ostendere nostre liberalitatis graciam obligamus, eidem Comiti harum serie de certa sciencia nostra concedimus, quod in casu, quo eundem Comitem subtrahi ab hac luce contigerit, legitimis liberis masculis ex suo corpore non relictis, in eo casu magnifica infantula Elizabeth, eiusdem Comitis filia primogenita et legitima ac si esset masculus, et legitime descendentes ex ea, qui tunc superstites fuerint, succedant et succedere debeant eidem Comiti in dicto comitatu Vegle et Modruxij, omnibusque alijs terris, castris, villis et bonis, que ad presens idem Comes habet et possidet, ac habere et acquirere poterit iusto titulo in futurum, et ad eos in premisso casu huiusmodi successio deuoluatur. Nos enim iam dictam Elizabeth, et legitime descendentes ex ea, ex nunc in casu premisso ad successionem huiusmodi et omnes alios actus legitimos ac quelibet alia ad successionem ipsam pertinencia, de dicta certa nostra sciencia et Regie nostre potestatis plenitudine, habiles reddimus et capaces, Lege uel constitucione Regni nostri Hungarie contraria non obstante. Nec eciam obsistentibus quibuscumque litteris, cedulis uel scripturis, factis per recollende memorie dominum Ludovicum dei gracia Vngarie Regem etc., Reuerendum dominum patrem nostrum, aut aliis quibuscumque seu per nos uel alios similiter factis uel imposterum faciendis, de translacione huiusmodi successionis et ipsius comitis bonorum in alium quemcumque et illius habilitacionem ad successionem eandem, quas et que de dicta certa nostra sciencia tollimus et reuocamus, ac viribus et efficacia totaliter vacuamus. In cuius rei testimonium presentes litteras exm.... fieri et pendenti Maiestatis nostre sigillo iussimus communiri. Datum Bude anno domini Millesimo trecentesimo octuagesimo sexto, die vicesimo secundo Januarij, none Indiccionis, Regnorum nostrorum Vngarie, Dalmacie etc. anno primo, Jerosolimi uero et Sicilie anno quinto.

(Ab inferiori parte sigillum rubrum pendens.)

Orig. membrana in Archivio Regni Croatiae. N. R. A. Fasc. 1592. N. 5.

CXIII.

Anno 1387. Budae.

Sigismundus Rex Dalmatinos ac Croatas ad fidelitatem, Regi ac Regno debitam, hortatur.

Sigismundus Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex, ac Marchio Brandeburgensis, fidelibus suis universis Nobilibus et alterius conditionis hominibus, in Regnis nostris Dalmatiae et Croatiae existentibus, salutem et gratiam. Fideles nostri dilecti! Licet Joannes de Hericart, pridem Banus, et Joannes (de Palisna), gerens se pro priore Auranae, Sacrae Coronae, et Regni Hungariae, et nostrae Maiestatis speciales aemuli, in Regnis nostris grandia hactenus commisissent scelera, et iam, ut communis asserit relatio, se perpetrare, quod non credimus, disponunt; tamen altissimo annuente in brevi, una cum fidelibus nostris Praelatis et Baronibus Regni Hungariae deliberabimus opportuna exhibere obstacula, et tales nostros rebelles de eorum protervia digne emendare; quare requirimus vestrae fidelitatis universitates, vobisque seriosius committentes, quatenus in fidelitate, qua hactenus sacrorum Regum temporibus vestri Praedecessores, ac etiam vos fideles fuistis, et adhuc vos esse firmiter speramus, persistere debeatis, eisdem ipsis aemulis viriliter resistendo; de quo vobis et cuilibet vestrum volumus generosius reminisci. Datum Budae in die Caenae Domini. Anno eiusdem M.CCC.LXXX septimo.

Lucius. De Regno Dalm. et Croat. Lib. V. cap. II.

CXIV.

Anno 1387. 1432. 1451. 1481.

Mathias Rex privilegia, incolis Scrisiae seu Bagi a Comitibus Corbaviae a. 1387, 1432, 1451 concessa, his literis, a. 1481 die 29. Decembris Budae datis, confirmat.

Nos Mathias, Dei gracia Rex Hungarie, Bohemie etc. Memorie commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit vniversis, quod Nobilis Mirko, filius Georgij Mirkowych de Scrisia, nostre Maiestatis veniens ad

conspectum, in sua ac ceterorum Nobilium, Ciuium et Incolarum Ciuitatis et terre nostre Scrisie siue Bag vocate, exhibuit nobis et presentauit quedam priuilegia, pendentibus sigillis confecta, que in se nonnullas libertates et prerogatiuas libertatum eiusdem ciuitatis et terre nostre continuisse dinoscebantur. Sed quoniam eadem priuilegia, siue propter malam et incautam eorundem conser uacionem, siue propter alium quemcunque casum adeo corrupta et vt apparebat aquis destructa erant, ut earum series verbalis nullo modo a quocunque plene et bono modo perlegi poterat; obtulit igitur simul etiam quasdam copias siue exempla eorundem Priuilegiorum, vt dicebat per manus Notarii publici, antequam Priuilegia ipsa totaliter fuissent corrupta, exemplata et transsumpta, tenorum infrascriptorum, supplicans Maiestati nostre humiliter, vt eadem Priuilegia scilicet et omnia et singula in prescriptis copiis et exemplis eorundem contenta, rata, grata et accepta habentes, pro eisdem ciuibus et inhabitatoribus ciuitatis et terre nostre predicte perpetuo valitura roborare dignaremur; quorum quidem Priuilegiorum siue exemplorum eorundem prioris tenor sequitur in hec verba: Nos Johannes, filius olim bone memorie Thome, ac Paulus et Carolus, filij similiter olim felicis recordacionis Caroli Comitis Corbauie etc., memorie commendamus tenore presencium significantes quibus expedit vniuersis, et quorum in presentia presens pagina nostra peruenerit, Manifestum confitemur, quod aduenientes nostri in conspectum Nobiles et prouidi viri Georgius Myrkowych, Nicolaus Jursych et Matheus Bugnich, ciues et habitatores loci Scrisiensis, sua et vniversorum ciuium et habitatorum loci predicti Scrisiensis in personis, exhibuerunt nobis quasdam litteras priuilegiales predecessorum nostrorum, Clarissimorum Comitum Corbauie, Pociteli et Scrisie, in ipsorum premissorum ciuium et habitatorum loci predicti Scrisiensis et liberas eorundem libertates perpetue et inreuocabiliter duraturas confectis et emanatis sub eorum sigillis consuetis appressione communitas; per fidelia eorundem, vt dicitur, opera exercenda, nec non status decorare cupientes per eosdem, quos semper ab antiquo tempore in suis immunitatibus, consuetudinibus et libertatibus a Regibus et principibus antea habuerunt, retribuendo; — suplicantes nos humiliter ac debita cum instantia, vt easdem litteras, ratas, gratas et acceptas habentes, Nostrum beniuolum consensum pariter et assensum prebentes, nostro Priuilegio approbare, ratificare et confirmare dignaremur; quorum tenor sic incipit: Nos Nicolaus, Tomas et Butcho, filii olim Comitis Budislai, et Paulus, filius olim Comitis Caroli, et Carolus, filius olim Comitis Gregorij, Corbauie, Lyche, Bussane, Scrisie Domini et Comites naturales. Vniuersis et singulis, ad quos presentes peruenerint, notum facimus et manifestum. Quod ad nostram presenciam comparuerunt viri nobiles Vitus Cacichiewych et Hlapaz Obrosych, Vice et nomine communitatis terre nostre Scrisie siue Bagh, supplicantes humiliter et devote postulantes, vt eis approbaremus et confirmare uolemus eorum iura, libertates et immunitates, ac eorum antiquas consuetudines, quibus omnibus ab antiquo tempore potiti sunt; — nos vero considerantes et uisis dictorum fidelium nostrorum eorumque progenitorum erga nos operum fidelium effectus, nostrosque progenitores, qui semper erga statum nostrum eleuationem et exaltationem non pepercerunt personis suis neque facultatibus, semper persistentes in actu fidelitatis eorum, in nos et in culmine status nostri; que digna opera et fidelia servicia eorum nos inducunt, vt postulationes condignas, iustas et honestas illis graciose et liberaliter annuere, con-

cedere, confirmare et declarare ualeamus; quia eciam iusticia suadet, reddere unicuique quod suum est: Quapropter nos Comites prenominati, moti propria voluntate ad iustas petitiones, omnes et singulas eorum antiquas consuetudines, libertates et immunitates, ac eorum iura, quibus ab antiquo tempore potiti sunt, et nunc potiuntur et vtuntur ex confirmationibus Regalibus et nostrorum progenitorum .... Item declaramus et confirmamus metas et confinia sui districtus, quibus semper potiti sunt ab antiquo tempore, videlicet incipiendo a parte Boreali dicti Burgi nostri Scrisie, a loco dicto Belwischa Draga iuxta mare, inde ascendendo superius versus trauersum ad partem Borealem locorum dictorum Stanischa, et sic recto tramite ad locum dictum Dubaz, deinde ad Ledenyze, exinde vero ad australem plagam ad locum dictum stupize, deinde recto tramite ad cerne stine, vsque ad locum dictum Bani stany, deinde versus quirinalem plagam eundo inferius ad mare in Dragam, que dicitur Moschiena, iuxta mare, et has eis volumus imponere metas, vt nullus Vallachus vel alter quicunque aliqualiter sit ausus infradictas metas manere vel pascere aliqua animalia, seu facere aliquod laborarium, sub pena librarum centum, soluendarum ciuitati Scrisie, videlicet Comiti et iudicibus, qui pro tempore erunt. Item damus, concedimus et confirmamus predictis fidelibus nostris Scrisiensibus, vt et semper habuerunt, quod possint pasculare eorum animalia in planitijs montane nostre, extra eorum predicta confinia et metas et in planicijs incedere fena, arare, seminare, ac uallibus dicte montane incidere lignamina et trahere versus locum suum, quin ex his nobis valeat utilitas, sine contradictione alicuius. Quibus omnibus predictis et quolibet predictorum per nos datorum, concessorum et declaratorum, volumus perpetuis temporibus permanere firma, rata et grata, et ab omnibus obseruari debere. In cuius rei testimonium presentes fieri fecimus, et sigilli nostri communis munimine roborari. Datum Obrovacij secundo die mensis Nouembris anno Domini Millesimo trecentesimo octuagesimo septimo. Alterius vero series verbalis est hec: Vniversis et singulis, presentem paginam ac priuilegium inspecturis, Carolus et Thomas, fratres et filii quondam Comitis Pauli, et Franciscus, filius quondam Buthchi, Dei et Incliti Romanorum Regis semper Augusti gratia Comites Corbauie etc., harum serie notum facimus et manifestum. Quod cum bonorum laborum grauitas est fructus et virtutum premia bene meritis, exigente iustitia conferuntur; quare considerantes amplissimam fidelitatem et perfectam seruitutem fidelium nostrorum de terra nostra Scrisie siue Bagh, et ipsorum ac parentum suorum fidelissima opera et seruitia erga nos progenitoresque nostros semper et continue maxima fidelitate ostensa et gesta; idcirco nos Comites suprascripti, volentes merito vniversitati terre nostre dicte tribuere, damus eidem, et per nos et heredes et successores nostros concedimus in perpetuum omnia et singula in infrascriptis Capitulis contenta; vt omnes et singuli Nobiles, ciues et vniversitates terre nostre dicte suique filii et heredes merito de bonis operibus sibi tributis contententur. Capitula demum, que a nobis conceduntur, sunt hec, videlicet primo: Confirmamus omnes et singulas veteres vsitationes dicte terre nostre Scrisie sive Bagh, contente et descripte in volumine statutorum dicte terre nostre, ac etiam omnia et singula Capitula, in dicto volumine descripta, vt bona, vera et iusta, factaque cum bonis, veris et iustis ordinibus. Item omnes et singulos fideles nostros, presentes et futuros, de eadem terra nostra facimus exemptos ac liberos in perpetuum de omnibus et singulis suis introitibus quarumcunque suarum possessio-

num, vt puta uinearum, siluarum, agrorum, animalium et quarumcunque aliarum rerum, ubicunque habentium et reperientium, ab omni datio, gabela aut targovina. Item omnes et singulos fideles nostros, presentes et futuros, facimus exemptos et liberos ab omni angaria reali et personali, in emendo siue destinando, in exercitu aut hostilicio siue voyscina sclaue, aut pro causis dictis soluendo quomodocunque aut qualitercunque. Item promitimus dictis nostris fidelibus, presentibus et futuris, quod per nos et heredes successoresque nostros nunquam imposiciones, taxam sive collectionem aliquam aliquando vel causa ponere eis et suis heredibus amodo in antea in perpetuum volumus; tamen quod dicti fideles nostri teneantur et solvere debeant dacium sive targovinam usitatam iuxta continentia dicti statuti. Item concedimus eisdem fidelibus nostris, ut amodo in antea et in perpetuum eligant ad suum velle et beneplacitum singulo anno iudices duos, qui iudicare debeant in ciuilibus et criminalibus, una cum vice-comite, ad Regimen loci nostri eiusdem destinato singulo anno, et cum per nos de anno in annum destinabitur, qui inuare teneatur reddere ius et iustitiam petentibus, una cum iudicibus dictis, secundum formam iuris statutorum supranominatorum, bona fide et sine fraude. Quos Vice-Comitem et iudices, qui pro tempore erunt, exemptos facimus et liberos a dicta targovina. Item quod omnes et singule condemnationes pecuniarie, que per dictos Vice-Comitem et iudices fient, diuidant per tertium, due videlicet partes devenire in nos et Comites debeant, tertia vero pars in comune dicte terre nostre. Exemptos denique facimus a dicta targovina omnes fideles nostros dictos de omni eo et toto, id quod in dicta terra nostra et eius districtibus ac extra siue alibi pro suo et domorum suarum usu emerent. Que omnia et singula, in suprascriptis Capitulis contenta, damus, et libere dictis fidelibus nostris concedimus amodo in antea et in perpetuum, promitentes de ratiabitione semper per nos et heredes nostros atque successores perpetuo, ipsa omnia et singula suprascripta firma et rata habere, tenere et non contrafacere uel uenire, per nos uel alium, aliqua ratione uel causa, de iure uel de facto, sed potius ipsos manutenere, defendere, autorisare tanquam fideles nostros et benemeritos. In quorum fidem presentes fieri iussimus nostrorumque sigillorum appensione muniri. Datum sub nostro castro Pocitel, in villa vocata Podgradie, tempore Illustrissimi et Serenissimi Domini Sigismundi, Dei gracia Regis Hungarie, Dalmatie, Croatie et Bohemie nec non Incliti Regis Romanorum semper Augusti, currentibus Annis Domini nostri Jesu Christi natiuitatis eiusdem Millesimo quadringentesimo tricesimo secundo, Indictione decima, die vigesima mensis Octobris. Nos itaque suis iustis, congruis vt puta et legitimis petitionibus annuere volentes, prefatas litteras non abrasas, non cancellatas, nec viciatas repertas, sed omni vicio et suspectione carentes, considerantesque in mentibus nostris et reuoluentes, dignum et congruum esse, dare unicuique quod suum est, iustitia suadente, et precipue digna opera et seruitia fidelia congruis honoribus, comodis, opportunis et amplissimis donis fidelibus suis retribuere seruitia et fidelitates suas, visis etiam et prospectis Priuilegijs predictis et testificacionibus nostrorum Progenitorum de fidelitate et bonis operibus dictorum Nobilium Scrisiensium, eis ostensis et demonstratis, cum effectibus operum, que omnia secuta nos docent, quia etiam nobis unquam desisterunt seruitia bona nec desistunt facere, non parcendo laboribus nec expensis, et in rebus arduis et nostrum statum opportunos semper fidelissimos et promptissimos ad exaltationem culminis status nostri reperimus, et quia, ut notum

est, ciuitatem et locum munitum et tutum non habentes, multociens ob potentiam inimicorum nostrorum derelictis domibus et facultate, pro nostro honore non pepercerunt fidelissime pro nobis et pro exaltatione nostra, et multa alia fidelissima opera et seruitia versus nos et Dominationem nostram ostenderunt pariter et fecerunt, sicut decet seruitores fideles erga dominos suos facere; que quidem nos inducunt cum eis generose se gerere, et ut principum decet bonis et generosis favoribus animos fidelium suorum seruitorum de bono in melius augere; qua de re sincero animo et mente moti ad nobiles Scrisienses, fidelissimos seruitores nostros, propter eorum bona opera et seruitia, inprimis confirmamus, approbamus et ratificamus omnes et singulas consvetudines antiquas, semper Scrisie obseruatas usque in hodiernum, similiter statutis ordinibus eorum, que statuta sunt in quodam volumine libri, et omnes alias eorum libertates, quas ipsi progenitores nostri dederunt, concesserunt et confirmarunt, que in supra dictis Priuilegiis, nominatis in hoc nostro Priuilegio, generose continentur, et sincero animo et mente confirmamus et ratificamus omnia et singula supra scripta, imo tamquam veri domini predictorum Nobilium Scrisiensium pro eorum fidelium seruitiis et laboribus versus nos gestis, de novo autoritate nostra damus, concedimus et attribuimus omnes suas libertates, immunitates, consuetudines, quas ab antiquo habuerunt. Et hec omnia et singula alia, que in predictis Priuilegiis nostrorum predecessorum, de quibus hoc nostrum Priuilegium facit mentionem, pro predictis Nobilibus Scrisiensibus eorumque heredibus et posteritatibus confirmantes, approbantes, roborantes, ratificantes et nominantes, perpetuo ualituros et memoraturos. In quorum omnium et singulorum robur et testimonium hoc nostrum Priuilegium fieri iussimus, et nostris sigillis pendentibus munientes roborari. Datum in oppido sub Pocitel vigesima septima die mensis Octobris Millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo. Nos igitur supplicacionibus prefatis Mirchonis Maiestati nostre modo, quo supra, porectis, Regia benignitate exauditis clementer et admissis, prescripta exempla et copias dictorum Priuilegiorum presentibus litteris priuilegialibus sine diminutione et augmento aliquo insertas, quoad omnes earum continentias, clausulas et articulos quosvis, in quantum rite et legitime existunt emanate, viribusque eorum veritas suffragatur, acceptamus, approbamus et ratificamus. Nichilominus vero ut ijdem Nobiles, cives et incole dicte civitatis et terre nostre Scrisie et fidelitate et numero eo magis studeant augeri, quo se maiori favore nostro pervenientes esse conspexerint, easdem litteras et ipsarum copias et exempla prefacta ac omnia in eis contenta, pro eisdem perpetuo valitura roboramus et confirmamus harum nostrarum, quibus secretum sigillum nostrum, quo ut Rex Hungarie utimur, est appensum, vigore et testimonio litterarum meritoque. Datum Bude in festo beati Thome Apostoli. Anno Domini Millesimo quadringentesimo octogesimo primo. Regnorum nostrorum, Hungarie etc. vigesimo quarto, Bohemie vero tredecimo.

Ad propositionem Thome de Erdewd, prepositi Tituliensis.

Orig. membrana apud Laurentium Mirković Carolopagi, cujus erroribus plenum transsumptum accepimus.

CXV.

1388. die 6. Octobris Scardonae.

Foedus inter Spalatenses, Sibenicenses et aliquos nobiles Dalmatiae contra Sigismundi Regis aemulos initum.

In Christi nomine Amen. Pateat vniuersis et singulis presentes litteras inspecturis, quod egregii viri Dominus Comes Neliptius, natus bone memorie Domini Comitis Constantini, Castellani Scardonensis, suo nomine, Cumulus de Petrarchis de Spaleto Comes, et viri nobiles Thomas Dobruli et..... Zori, habentes ad infrascriptam potestatem et baliam a civitate Spalatensi, vice et nomine dicti Comitis; et eidem Domini Comulus Comes predictus ac viri nobiles Doymus Zuratich, Johannes Naplavich, Saracenus Nicolai et Thoma Dominici de Sibenico, auctoritate et balia eis attributa per communitatem Sibenicensem, vice et nomine dicti Comitis; egregius vir Comes Wido Comitis Georgii Vgrenich, per se et nomine Comitis Georgii, fratres; et domina Elisabeth relicta olim Comitis Nicolai, sui fratris, pro quibus promisit de rato, -- cupientes sese et terras, loca et bona quaecunque sua dictis nominibus conservare in fidelitatem debitam sacre corone Vngarie ad honorem dicte corone, considerantesque turbines et turbationes varias, quibus precipue regna Dalmatie et Croatie ad presens affliguntur, maxime per illustrissimum Principem Dominum Stephanum Tuarchonem, regem Bosne, et Dominum fratrem Johannem de Palisna......... et quoscunque alios infideles, inimicos et rebelles sacre corone predicte, ad conservandum commodius fidelitatem, et quia funiculus triplex dificele solvitur, fecerunt inter se et ordinaverunt ligam, vnionem, duraturas vsque ad beneplacitum dicte corone, omni modo, iure et forma, qua melius potest, sub modis, pactis et condicionibus, videlicet: Quod vna pars alteram, et altera alteram teneatur et debeat adiuvare, prestando vna pars alteri consilium, auxilium et favorem contra predictos, et generaliter contra quoslibet infideles, inimicos rebelles dicte corone, et contra prestantes dictis infidelibus, inimicis et rebellibus auxilium, consilium et favorem. Item quod si rebus exigentibus de regno Hungarie aliqua novitas evenerit, dictarum partium non possit nec valeat alicui Principi, Dominio persone. communi vel vniuersitati, nisi cum voluntate aliorum colligatorum liceat offendere inimicos, infideles et rebelles, et prestantes eis auxilium et favorem, absque reprehensione aliqua aliorum colligatorum; pro quibus omnibus attendendis et observandis bona fide, sine fraude, prestiterunt subscriptis nominibus corporale iuramentum, in ecclesia B. Virginis Cathedralis Scardone. Anno nativitatis Domini MCCCLXXXVIII. Indictione XI. die Martis, VI. Octobris. In quorum omnium testimonium quatuor litere eiusdem tenoris sunt confecte, deinde singulis partibus predictis sigillis Domini Neliptii et dictarum communitatum et dicti Domini Widonis a tergo sigillande.

Lucius. Memorie di Traù p. 342. — G. Fejér. T. 10. Vol. 3. p. 82—84.

CXVI.

Anno 1388. 19. Januarii. Spalati.

Spalatenses Sigismundi Regis protectionem unaque privilegiorum suorum confirmationem quaerunt.

In Christi nomine Amen. Nos Johannes de Pizinacolis de Ancona, Capitaneus, Judices & Consiliarii Ciuitatis Spalati, vobis viris nobilibus Mattheo Chrystophori & Nicole Srichie, Ambaxatoribus nostris, salutem et sincere dilectionis affectum. Harum serie committimus vobis, quod (pro) parte nostra ire debeatis ad Serenissimum et Illustrissimum Principem Dominum nostrum Sigismundum, Vngarie. Dalmatie, Croatie Regem inclitum, et ad Serenissimam Dominam nostram Dominam Mariam, Regnorum eorundem Reginam inclitam, et eisdem et utrique eorum cum omni reuerentia inclinabitis, sicut honori Regio et nostro cognoscetis conuenire. de sua coronatione, liberatione, regimine et suis felicibus successibus congaudentes. Nos, consilium nostrum ciuitatis, ciues et incolas ciuitatis regie Spalatensis, sue Maiestati fidelissimos, et quos in regiis aduersitatibus contra tot nobis aduersa comprobauit constans et vera fides, vt notorium est, recommendabitis eisdem, sicut discretioni vestre videbitur conuenire, et si vobis videbitur, aduersa distinguere. Nos et Ciuitatem excusabitis, si ante ad eorum Maiestatis non misimus Ambassatores, quia non potuimus, tum propter viarum discrimina, tum propter guerram nobis factam, et damna illata, et grauamina multa, nobis impensa per Regem Bosne, Priorem Aurane et alios Sue Maiestatis emulos, et alia vt infra, que omnia satis nota sunt omnibus, de quibus estis plenissime informati. que nec cessaret nec cessant, in futurum videmus, nisi diuina prouidentia manum porrigat adiutricem, et Sue Maiestatis potentia succurrat, quod facere dignetur. supplicamus. Nouissime Maiestas Vestra fideles, imo fidelissimos suos Spalatenses requisiuit, vt ad eiusdem presentiam Ambaxatores destinarent, pro confirmatione vnionis et pacis, quam concludere intendebat et facere cum Duce et Communitate Venetiarum; qui vti filij obedientie et veri fideles. nos, quam velocius potuerunt, expediuerunt iuxta mandatum predictum, et gratia Dei nos auidos colere Maiestatem Vestram deuotione tota, in eiusdem deduxit conspectum mandato Maiestatis Vestre. His dictis stabitis et responsum exspectabitis, si dabitur; et si non dabitur, procurabitis scire, quid factum sit de predictis, aut que sit ejus intentio; et super hoc providebitis ordine isto: videlicet conferre debetis cum Ambaxiatoribus aliarum terrarum Dalmatie, et hortari Dominum Regem ad pacem cum omnibus et precipue cum Venetis, quia bona et ea minima concordia crescunt, discordia maxima dilabuntur, et supplicare ac pro posse procurare, quod remaneamus sub protectione et dominio Corone Vngarice, et quod in alios non transferamur, et quod nullum alium dominium vel commune habeat vel aquirat

aliquo titulo, aliquod dominium, potestatem, nec iurisdictionem in Dalmatia, cum simus dispositi et intendimus viuere et mori sub eadem Corona Vngarie. Post hoc, cum tempus videbitur aptum, vos ad regiam Maiestatem et cum distincta serie, qua poteritis, exponentes tribulationes, angustias, passiones, obsidiones, hys temporibus per nos passas, ob fidelitatem sue corone seruandam, quam cum grauitatibus maximis seruauimus et seruare intendimus vsque ad mortem. Narrabitis damna nobis illata in campo nostro per regem Bosne, Priorem Aurane, Clissienses et alios circumvicinos Sue Maiestatis emulos, mortem et captiuitatem nostrorum, eorumque redemtiones, feminarum nostrarum turpes et inhonestos tractatus, fructuum et reddituum nostrorum binam deuastationem et perditionem molendinorum, destructionem vitium et arborum, campi prostrationem et incisionem et alia multa, de quibus estis plene informati. Que grauia fuissent et essent nedum Spalatensibus, sed potentiori ciuitati partium istarum; et quantumcunque grauia fuerint et sint, in eadem constanter perseuerare disposuimus; et vt hec et alia futura illariter tollerare valeamus et possimus animo, supplicamus, dignetur Maiestas Vestra nobis subuenire de aliquibus corone vestre, et nobis vtilibus satis, cum ad sustentationem vite nostre, que nobis a terra surrepta est pro magna parte, quia Rex Bosne et Clissani magno tempore ex toto nos tenuerunt obsessos et nunc tenent pro magna parte, cum aliquis nostrorum hominum non audeat neque possit ire infra terram, et sic durior imo durissima est vita nostra; dabunt et hec nobis pacem et concordiam cum vicinis nostris, cum quibus sumus in differentia et discordia, et quod deterius est, sepius non exspectato iudicio nos predantur et damnificant et nunquam sine damno nostro transire possumus, et immerito: in qua pace et quiete viuentes, Deo et Maiestati Vestre continuis horis regratiari non cessabimus. Et his peractis procurabitis, quod priuilegium libertatum, praerogativarum et immunitatum nostrarum, dudum nobis concessarum per felicis memorie plures Regum Vngarie, confirmentur, et si vobis videbitur tempus faciendi ipsas omnes nostras libertates districte notari in nouis Priuilegiis, faciatis in bona hora, et optimum erit tunc eas confirmari faciatis et fieri procurabitis, quo meliori modo poteritis. Procurabitis, quod habeamus confines inter nos et Clissenses ita, quod flumen Salone sit nostrum versus Spalatum et vltra sit castri, et hoc magis pro pace habenda cum Castro, quam pro vtilitate consequenda. Procurabitis, quod mete et fines sint inter nos et castrum Almissi, ita quod flumen discurrens prope ipsum castrum sit meta et confinis inter nos et castrum; ita quod terrenum citra flumen uersus Spalatum sit nostrum vsque in mare, et hoc magis pro pace, vt supra. Procurabitis, quod nobis in patrimonium et sustentationem nostram dentur insule Fare, Curzule et Bracie, quod nobis concedatur iurisdictio, quam habet regia Maiestas, scilicet, quod ad eas de nobis ipsis per nostrum Comitem et Consilium mittatur Comes, cum salario illis dari sollito, cum eis viuere valeamus; et si non totum, partem, quam poteritis. Procurabitis obtinere litteras regias ad summum Pontificem, quod Hugolinum, Archi-Episcopum nostrum, ad aliam Ecclesiam permutare dignetur extra regnum suum, et nobis de bono pastore providere, cum quo pacifice viuere possimus sine scandalo. Praeterea possitis et l bertatem habeatis pro obtinendo vobis commissa expendere ducatos Mille auri et abinde infra, vbi et in quibus vobis melior videbitur. Nullo modo, nulloque colore, vel ingenio, malum dicetis de a iquo cive nostro, nec forense Corone Vngarie et Baronibus, nec Prelatis, nec alicui

alie persone; immo si quis quidpiam mali diceret de aliquo ciue nostro, toto posse excusationem facietis pro eo, ipsam semper fidem profitendo; nec contra facere presumatis. Preterea vos per vos, nec per aliam personam procurabitis, nec recipietis aliquid in vestri vtilitatem, nec alicuius alterius specialis persone; sed tantummodo facta nostri Communi vobis commissa. Et hys contenti eritis, et hec sub poenis, in parte capta contentis, vid. lib. 25 par. pro quolibet, et infamie, que sic intelligatur, quod qui fecerit vltra commissa, aut contra commissa, non possit esse Judex, testis, nec in aliqno publico officio, et nihilominus per eum impetratum vel emptum deueniat in commune. De omnibus suprascriptis plenissime informati, et preterea in omnibus supradictis pro posse procurabitis, sicut melius et vtilius discretio vestra cum sollicitudine omni, quod nostrum sortiamur seu habeamus intentum. Ad alia, ad omnia interrogata respondebitis reuerenter, prout cognoueritis conuenire honori regio et statui nostro; et quecunque videritis conducere ad bonum statum et commodum nostre ciuitatis et communitatis, procurabitis obtinere pro posse. Date die XIX. Januarii et sigillate. Anno MCCCLXXXVIII.

Lucius. Memorie di Traù p. 336 seqq.

CXVII.

Anno 1395—1402. Posonii.

Sigismundus Rex Ludovici Regis privilegium, sub Nro. XCVIII. adductum, confirmat.

Nos Sigismundus Dei gratia Rex Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. Sacrique Romani Imperii Vicarius Generalis, ac Regni Bohemie Gubernator. Memorie commendamus per presentes, quod Magister Paulus de Zyrinio in sua, ac universorum Nobilium Regni Nostri Sclavonie ad Nostram veniendo presentiam exhibuit Nobis quasdam Litteras Nostras patentes, priori Secreto Sigillo Nostro consignatas, super nonnullis Libertatum prerogativis eorundem Nobilium confectas et emanatas, tenoris infrascripti, supplicans Nostro culmini, suo et Nominibus, quibus supra, prece humillima et subjectiva, ut easdem Litteras Nostras de verbo ad verbum presentibus Litteris Nostris patentibus transcribi et transumpmi facientes, sibi, et predictis Nobilibus Regni Sclavonie concedere dignaremur, Juris eorum ad cautelam, quarum tenor talis est. Nos Sigismundus, Dei gratia Rex Hungarie, Dalmatie, Croatie etc., Marchioque Brandenburgicus etc., memorie commendamus tenore presentium significantes quibus expedit universis. Quod Magister Johannes, filius Chupur de Monozlo, et Stephanus de Athyna in personis universorum Nobilium Regni Nostri Sclavonie ad Nostre Maiestatis venientes conspectum, Nobis significare curarunt, quomodo Serenissimus Princeps olim fe-

licis recordationis Dominus Lodovicus Rex, Pater Noster charissimus, Ipsis hanc gratie prerogativam Litteris suis mediantibus, quarum tenorem coram Nobis specietenus produxerant, fecisset specialem, ut nullus omnino Hominum ipsos in Curiam Nostram, vel in aliquorum aliorum Judicum extraneorum, ex ista parte fluvii Drave existentium, presentiam citare, seu evocare, aut in causam atrahere valeret neque posset modo aliquali; sed si qui cum eisdem quitcunque actionis vel questionis haberent, id in presentia Bani ipsius Regni Nostri Sclavonie, vel vices eius gerentis, legitime exequi deberent; et si in Judicio ipsius Bani, vel vices eius gerentis, aliquis querulantium suspicatus foret, nec contentus esse vellet, extunc seriem Judicii per ipsum Banum, vel vices ejus gerentem, in Nostram, ac Prelatorum et Baronum Nostrorum presentiam, in Curiam Nostram pro deliberatione fienda transducere valeret atque posset super Judicio prenotato. Nunc autem ipsa libertate obmissa quamplures ex eisdem Nobilibus, immo fere omnes per extraneorum Capitulorum citationes, et evocationes, ac in Causam atractiones, et non per comprovincialium, clandestine, et furtive, ac nequitiose unus alium ad Curiam Nostram, et alias citare, evocare, in causam atrahere, et per terminorum completiones agravare, ac pnt . . . . e sepesepius procurarent, in quo facto multe ammissiones Possessionum, ac alia diversa genera malorum et gravaminum multoties orirentur, et evenirent, dictumque Regnum Nostrum Sclavonie per hoc maxime foret gravatum: Supplicantes Nostro Regio culmini prece humili et devota, ut eisdem super premissis de Regia benignitate dignaremur succurrere, et providere de remedio opportuno. Nos itaque supplicationibus eorundem Nobilium moti, benevole inclinati, nolentesque ipsos gravamina pati, hujusmodi dictam constitutionem et libertatem ipsis per dictum Dominum Lodovicum Regem datam et concessam, ratam et gratam habendo, una cum Prelatis et Baronibus Nostris matura deliberatione prehabita, sane decrevimus, ut nullus prorsus Hominum, seu Nobilium dicti Regni Sclavonie, alter alterum, nec aliquis alius Regnicolarum Nostrorum ipsos Nobiles Regni Nostri prescripti per extranea Capitula, nisi solum per Comprovincialia citare, evocare, aut in Causam atrahere in Nostram, aut in cujuscunque Regni Nostri Judicis presentiam, nec obmissa ipsa libertate in Curia Nostra aliquam litem suscitare, nisi prius in presentia Regni Nostri Bani predicti fuerit suscitata, possit nec valeat modo aliquali; in Casu autem, quo hujusmodi facta temporis in processu evenirent, et si que pars adversa hoc ipsum contra aliam partem efficaciter comprobare posset, extunc hujusmodi facta, seu quevis gravamina, que in premissis evenirent, nullius existant vigoris nec momenti, sed prorsus mortua et viribus caritura habeantur. Quocirca vobis viris Magnificis, Dominis Palatino et Judici Curie Nostre, vestrasque vices in Judicatu gerentibus, et generaliter cunctis Regni Nostri Judicibus, et Justitiariis, Ecclesiasticis videlicet et secularibus, presentibus et futuris, firmiter precipiendo mandamus, quatenus quantumcumque et quotiescunque premissa facta coram vobis emerserint seu evenerint, et modo prehabito approbata fuerint, eadem authoritate Nostra Regia cassare, revocare, annulare, mortificare, et prorsus annihilare debeatis, quibus et Nos derogamus praesentium Litterarum Nostrarum patrocinio mediante, quas, dum Nobis in specie fuerint reportate, in formam Nostri Privilegii redigi faciemus. Datum Bude Secundo die Festi Penthecostes Anno Domini Millesimo trecentesimo nonagesimo quinto. Nos itaque iustis et Juri consonis supplicationibus annotati Magistri Pauli, nobis

in sua, et nominibus quibus supra, subjective porrectis Regio cum favore inclinati, prefatas Litteras Nostras patentes presentibus Litteris Nostris patentibus de verbo ad verbum transcribi et transumpmi facientes, eidem Magistro Paulo duximus concedendas, Juris sui et dictorum Nobilium Regni Nostri Sclavonie antedicti uberiorem ad Cautelam. Datum Posonii die decimo proximo post festum beati Mathei Apostoli et Evangeliste. Anno Domini Millesimo quadringentesimo secundo.

(Locus sigilli Regii appressi.)

Orig. membr. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 7.

CXVIII.

Anno 1395. die 10. Octobris. Spalati.

Andreas, Archiepiscopus Spalatensis, cum Joanne Comite Neliptio de decimis ecclesiasticis amicam conventionem, praesente Vicebano Dalmatiae et Croatiae ac compluribus Nobilibus Croatiae, init.

In Christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem Millesimo trecentesimo nonagesimo quinto. Indictione III. Regnante Serenissimo Principe et Domino nostro naturali Domino Sigismundo, Dei gratia Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. Rege inclyto, et Marchione Brandenburgensi. Temporibus quidem Reverendissimi in Christo Patris et Domini Andree, Dei et Apostolice Sedis gratia Archiepiscopi Spalatensis et legum Doctoris; Magnifici et strenui viri Domini Nicolai de Gara, dictorum Regnorum Dalmatie et Croatie Bani, nec non civitatis Spalatensis Comitis plurimum honorandi, Nobiliumque et prudentium virorum Dominorum Dyonisii Helie, Nicole Zeri de Comis, et Antonii Joannis de Grisogonis, Rectorum et Judicum hon. Civitatis Spalatensis. Die undecima Octobris prefatus Reuerendissimus in Christo Pater et Dominus Andreas Spalatensis Archiepiscopus ibi presens, in presentia testium examinatus, et mei notarii infrascripti, dixit ac contentus et confessus fuit, quod omne compromissum, sub quacumque forma per ipsum ex una parte factum, et compromissum in conventione cum Magnifico et potente Domino Joanne Neliptio, Cetine Comite, super facto decimarum, per dominum Comitem Joannem debitarum eidem domino Spalatensi Archiepiscopo, et ipsi Spalatensi Ecclesie, in Reverendissimum in Christo patrem et Dominum Dominum Dei et Apostolice Sedis gratia Archiepiscopum Strigoniensem, et ipsius Domini Strigoniensis Archiepiscopi personam, et omnis sententia ex hoc et ex

dicto compromisso data, lata, promulgata vel emanata, vigore concordie de dictis decimis facte inter ipsum Comitem Joannem, prout de dicta concordia decimarum, inter eos facta, patet publico instrumento, scripto, publicato, rogato manus mei Notarii infrascripti, dictis Anno millesimo et indictione, et die decimo mensis octobris, sit cassum et cassa, irritum et irrita, et nullius valoris et efficacie vel momenti. Et hoc fecit et facit prefatus Dominus Andreas Spalatensis Archiepiscopus, requisitus et rogatus per dictum Dominum Comitem Joannem, et ad petitionem et requisitionem prefati Domini Joannis Comitis Cetine, ibidemque presentis et ipsum Dominum Archiepiscopum instanter requirentis. Qui dominus Archiepiscopus nunc et de presenti, quantum ad ipsum spectat et pertinet, cassat et irritat, annullat et annichilat. Promittens prefatus Dominus Archiepiscopus Andreas, per se et eius successores, praedicto Domino Comiti Joanni, pro se et eius heredibus et successoribus, recipienti et stipulanti, nunquam per se, vel alium sive alios, petere; super hoc arbitrari seu sententiari aliqua ratione vel causa, per dictum compromissum, seu aliquam sententiam, ex dicto compromisso emanatam, in judicio, nec extra, contra dictum Dominum Comitem Joannem producere, exhibere vel ostendere; et promisit quamdam sententiam a dicto compromisso latam et emanatam, ad omnem petitionem et requisitionem ipsius Comitis Joannis eidem Comiti Joanni dare et consignare omni gratia et vigore, supradicte concordie, etiam sub capitali sigillo Spalatensi vel Traguriensi. Promittens per se et suos Successores, solempni stipulatione interveniente, predicto Domino Joanni Comiti, pro se et eius heredibus et successoribus, recipienti et stipulanti, dictam suam confessionem et dictam suam promissionem perpetuo et omni tempore habere ratas et firmas; et omnia et singula supradicta facere, attendere et observare, et non contrafacere vel venire per se, vel alium, seu alios aliqua ratione vel causa, cum resarcione omnium dampnorum et expensarum, et sub obligatione omnium suorum et dicte sue Spalatensis Ecclesie bonorum. Actum Spalati super sala superiori Archiepiscopalis palatii: presentibus Magnificis et potentibus viris Domino Paulo Michaele, dictorum Regnorum Dalmatie et Croatie Vicebano, Domino Butcone Comite Corbavie, Comite Gevraio Butkovich et aliis.

Signum Notarii:

Ego Jacobus, filius quondam Ubertini de Pugliensibus de Placentia, publicus Imperiali auctoritate Notarius, de praemissis rogatus, scripsi fideliter et publicavi etc.

Ex Archivo Archi-Ep. Spalatensis. — Farlati Illyricum Sacrum. T. III. p. 337.

CXIX.

Anno 1396. 24. Junii. Nonae.

Sigismundus Rex insulam Pagum a dominatione Jadrensium liberam declarat.

Nos Joannes, apostolicae sedis gratia Zagrabiensis Episcopus, Decretorum Doctor, Serenissimi Principis et Domini Domini Sigismundi, eadem Dei gratia inclyti Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regnorum Regis, Marchionis Brandeburgensis etc. Secretarius etc. Cancellarius etc.; Nicolaus, Dei gratia Regnorum Dalmatiae et Croatiae Banus, per executionem regiam ad ipsas partes Dalmatiae et Croatiae pro inquirendis suis iuribus regalibus et vniuersis querulantibus iudicio et iustitia impendendis, nec non quibusuis defectibus et incommoditatibus ipsorum regnorum suorum et ciuitatum suarum, in regno Dalmatiae constitutarum et existentium, specialiter autem in factis et causis inter nobiles et prudentes viros rectores, consilium, et commune civitatis Jadrensis ab una parte, ex altera autem rectores, consilium, Commune insulae Pagensis vertentibus, iudicandis, disponendis et reformandis, cum pleno monument. potestate seu facultate, celsitudinis regiae Vicarii, seu delegati generales, notum facimus: Solum Deum habentes prae occulis, commisimus et iudicauimus, vt praefata insula Pagensis, omnesque habitantes eiusdem a modo deinceps temporibus futuris, vna cum singulis possessionibus saluis, de dictorum Jadertin rum manibus, potestate, dominio, libera, exempta, absoluta habeatur; ex causa et rationibus praeallegatis, ipsam insulam pagensem, dicta auctoritate praedicti Domini Nostri Regis, nobis in hac parte attributa, coetui vniuerso et consortio caeterarum ciuitatum regalium Dalmatinarum coadunantes et aggregantes, dictis Jadrensibus et ipsorum haeredibus et vniuersis posteritatibus eorumdem dicta auctoritate nobis concessa silentium perpetuum imponentes etc. Datum Nonae, die XXIV. Junii. Anno Domini MCCCXCVI.

Farlati T. V. p. 446.

CXX.

Anno 1397. 26. Octobris. Temesvarini.

Sigismundus Rex Dalmatinis civitatibus spondet, se Segniam venturum, ibique Diaetam generalem celebraturum esse.

Sigismundus etc. Fideles nostri dilecti. Gratum quippe Maiestati nostre non parum extitisset, ad hanc nostram congregationem Temisiensem oratores Ve-

stros, quos non ab re euocari feceramus, aduenisse; verum, quod actum non est, reformari iterum satis commode potest. Nos quidem Segnie, diuinitate fauente, in festivitate B. Katharinae Virginis proxima omnino esse decreuimus, quo denuo euocauimus Ambaxatores omnium Dalmatiae ciuitatum; illuc quoque suos cum pleno, largo et sufficienti mandato nobiscum tractandi communitatemque vestram obligandi fidelitas Vestra procul dubio transmittat. Sic omni ex causa legitima volumus et iubemus. Datum in Themisuar die XXVI. Octobris. Anno Domini MCCCXCVII.

Ex archivo civitat. Tragurii. Lucius. Memorie di Traù. In Venetia MDCLXXIV p. 365.

CXXI.

Anno 1397. Budae.

Sigismundus Rex insulas Chersum et Absarum, ab Elisabetha Regina magistro Joanni Saracheno datas, Nicolao Gara, Bano, donat.

Nos Sigismundus, Dei gratia Rex Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. ac Marchio Brandeburgensis etc. memorie commendamus per presentes: quod Magistris Blasio et Michaeli, filiis Magistri Joannis Saracheni de Meszthegenew, coram nobis personaliter constitutis, per eosdem propositum exstitit uniformiter pariter et relatum, quomodo ipsi quasdam litteras patentes quondam Serenissime Principis Domine Elisabeth Regine felicis reminiscentie Socrus nostre, factum Donationis cuiusdam Insule Kersi et Abseri nuncupate, ampnibus Pellagi vallate, in dicto Regno nostro Dalmatie situate, nunc Magnificis viris Nicolao de Gara, Dalmatie et Croatie ac Sclavonie Regnorum nostrorum Bano, et Johanni ejus Germano, filiis condam Nicolai Palatini, per nos perhempniter collate, clare concernentes, dudum preannotato Magistro Johanni Saracheni et suis fratribus vigorose emanatas, per ipsosque in laribus et scriniis paternis indilate requirendas, et quamprimum receptas in specie assignare ipsis Nicolao Bano, et Johanni Germano suo in solidum assumpsissent, una spoponderunt et assumpserunt coram Nobis presentium patrocinio, eorumque ultronea voluntate mediante. Datam Bude, feria secunda proxima ante festum Ascensionis Domini. Anno eiusdem Millesimo Tercentesimo Nonagesimo septimo.

Auth. Transsumptum in Archivo Regni Croatiae.

CXXII.

Anno 1398. In Diako.

Sigismundus Rex Nicolao de Gara, Bano, ejusque fratri Joannni insulas Absarum et Cherso una cum omnibus earundem proventibus donat.

Nos Sigismundus, Dei gratia rex Hungarie, Dalmacie, Croacie etc., Marchioque Brandeburgensis etc., notum facimus vniuersis, quibus incumbit, per presentes: Quod quia nos exigentibus, imo plurimum requirentibus fidelissimis obsequiis, gratissimis complacenciis, strenuosis actibus et gestis virtuosis, laude dignisque et preconio attollendis meritis viri magnifici Domini Nicolai de Gara, dictorum regnorum nostrorum Dalmacie et Croacie, nec non Sclauonie Bani, ac Johannis, fratris eiusdem vterini, filiorum scilicet condam Domini Nicolai Palatini Gara de predicta, per ipsos sacro diademati, et per consequens nostro regio culmini ac toti regno nostro, vti cunctis liquet, cum suprema fidelitatis constancia, temporibus et locis opportunis, intrepide exhibitis et impensis, eisdem ac eorumdem heredibus quandam insulam nostram regiam Absary et Kersy appellatam, in regno nostro Dalmacie infra ambitum maris existentem, cum quibusuis eiusdem vtilitatibus, integritatibus, aliis litteris exinde confectis mediantibus, nostre regie noue collacionis titulo perhempniter et in ewum perhibemus contulisse. Ideo eciam nos volentes eisdem fidelibus nostris pro eorumdem multimodis, plurimis et vberrimis fidelitatibus et fidelium obsequiorum eorumdem laude dignis meritis, in prefatis aliis litteris nostris seriosius et clarius explicatis, regio ampliori respondere donatiuo, tricesimam nostram insula in prefata exigi consvetam, nec non cameram salium nostrorum regalium maritimorum, in dicta insula vendi solitorum, simul cum obuencionibus et emolumentis ac iuribus vniuersis, ad prefatas tricesimam et cameram salium nostrorum rite pertinentibus, veluti de nostris regiis manibus memoratis Domino Nicolao Bano et Johanni fratri suo carnali, ipsorumque heredibus, heredumque cunctis sobolibus et successoribus vniuersis, premisso noue nostre donacionis titulo, auctoritate regia, ex certaque nostre Maiestatis sciencia, de Prelatorum et Baronum nostrorum consilio prematuro dedimus, donauimus et in euum contulimus, imo damus, donamus, perhemniter et effectiue conferimus, per ipsos, eorumque heredes et posteritates vniuersas perpetuo et irreuocabiliter possidendas, tenendas, pariter et habendas, pleno iure, patrocinio presencium mediante, sine duntaxat preiudicio iuris alieni. Presentes autem in specie, dum nobis fuerint reportate, easdem in nostri priui-

legii formam redigi faciemus pro eisdem. Datum in Dyako in Dominica Judica. Anni Domini M.CCC. nonagesimo octauo.

(L. S. a tergo impressi.)

Ex archivo Imp. Viennensi — Fejér G. Codex Dipl. Regni Hung. Anno 1399. T. X. p. 645.

CXXIII.

Anno 1398. In Gara (Gorjan).

Dioecesis Zagrabiensis ultra Muram fluvium extenditur.

Sigismundus, Dei gratia rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc., Marchioque Morauiae etc., suis fidelibus magnificis Stephano et Joanni, filiis condam Joannis Bani, nec non Ladislao, filio condam Stephani Bani, et Sigismundo, filio Ladislai de Lindua, vniuersis salutem et gratiam. Datur nostrae intelligi Maiestati, quomodo vos, quosdam Plebanos vestros, ad dioecesim Ecclesiae Zagrabiensis semper et ab antiquo pertinentes, ab eadem Ecclesia Zagrabiensi sequestrando, ad dioecesim Vesprimiensem conferre niteremini et velletis, in dispendium salutis animae vestrae valde magnum. Vnde nos ipsam Ecclesiam Zagrabiensem suis iuribus seu iudicialiter destitui non volumus. Igitur fidelitati Vestrae firmiter praecipiendo mandamus, quatenus praefatos Plebanos vestros Transmuranos, qui alias ad praedictam Dioecesim Zagrabiensem pertinuisse et spectasse debebant, vos a praelibata dioecesi Vesprimiensi penitus remouentes et sequestrantes, iustam ad obedientiam et debitam subiectionem praetitulatae Ecclesiae Zagrabiensi exhibendam compellatis et astringatis iustitia suadente; et aliunde sub graui animae Vestrae perditione non ausitis intermittere. Datum in Gara, feria quarta proxima post festum Pentecostes. Anno Domini M.CCC.XCVIII.

Ex autographo Kaprinai sub C. p. 10—11. — Fejér. Cod. Dipl. Reg. Hung. Anno 1399. T. X. p. 571.

CXXIV.

Anno 1398. In Gara.

Nicolaus de Gara, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Banus, Privilegium Regni de libera Protonotharii electione confirmat.

Nos Nicolaus de Gara, Regnorum Dalmatie, Croatie, Sclavonie Banus. Memorie commendamus, significantes, quibus expedit vniversis. Quod quia dicti Regni Sclavonie Nobiles nobis per suos speciales nuntios id querulose significare curarunt, quod alii nonnulli Bani, vel Vicecomites eorundem Regni predicti, ipsos de antiquis consuetudinibus et libertatum prerogativis ab antiquo approbatis, signanter vero in alienatione sigillorum, quibus ipsi in ipsorum officio fungerentur seu uterentur, et notario eorundem per ipsos electo. seu eligendo, facta excepissent et eosdem in eisdem minime tenere et conservare curarunt. Supplicantes Nobis per nuntios ipsorum prenotatos, ut ipsos in eisdem consuetudinibus et libertatum prerogatiuis, quibus ipsi tempore domini Lodovici olim Regis Hungarie, indelende memorie tenti fuissent et conservati, et prout etiam Serenissimus Princeps Dominus Sigismundus, Rex Hungarie ac Dalmatie, et Croatie predictorum, dominus noster gratiosus, easdem Libertates eorundem pridem in Temesvar de vnanimi sanctione et communi decreto totius Regni sui Baronum et Procerum, ymo vniversorum nobilium, literis suis mediantibus confirmasset et roborasset, prout in eisdem literis coram nobis specietenus exhibitis limpidius continetur, tenere et conseruare dignaremur. Nos igitur justis et legitimis eorundem nobilium supplicationibus et petitionibus sicuti dignum arbitramur aquiescentes, nihilominus prefatis literis ipsius domini nostri Regis contraire non valentes, eosdem nobiles ipsius Regni Sclavonie in eisdem consuetudinibus et libertatum prerogatiuis, quibus ipsi tempore dicti domini Lodovici Regis tenti fuissent et conseruati, ac etiam prout in eisdem literis ipsius domini nostri Regis Sigismundi per omnia continetur, a modo et deinceps illesos et indempnes volumus frui, permanere et potiri; eo modo videlicet, quod sepefati nobiles quemcumque Notarium eligere voluerint, liberam eligendi et deponendi, dandi, et removendi habeant facultatem; ac etiam Comites nostri predicti Regni pro nunc constituti, et in futurum constituendi, universa sigilla ipsorum Comitum, Judicia et causas ipsorum nobilium concernentia, teneantur dare et assignare Nothario prenotato, hoc etiam declarato, ut hujusmodi Notharius de sede Judiciaria eorundem sigilla antefata ad locum alienum minime assportare valeant atque possint (sic); et quod dicti Notarii ac Comites ejusdem Regni Sclavonie sine Judicibus nobilium causas nobilium predictorum nullatenus judicare,

vel literas ad possessionarias perpetuationes et causarum diffinitiones sigillare queant atque possint; id etiam adjecto, quod dicti Notarii et Comites ipsius Regni sub sigillo minori non plures literas nisi Inquisitorias, citatorias, prorogatorias, ac Judiciales dare possint et valent modo aliquali; sed nec hoc pretermisso, quod littere ad ipsas possessionarias perpetuationes et causarum qualiumcumque difinitiones, et expeditorie sub majori sigillo emanari queant atque possint, vna cum sigillis nobilium predictorum; et quod Comites supradicti litteras expeditorias super facto Birsagiorum non de pluribus nisi de duabus ....bus judiciorum predictorum dare possint et valeant, sed non de tertia parte dictorum nobilium judicibus proveniente. In cujus rei memoriam perpetuamque firmitatem pendentis sigilli nostri munimine fecimus .... atum in Gara feria tertia proxima post Dominicam Letare. Anno Domini Milesimo Trecentesimo Nonagesimo Octavo.

(Locus Sigilli pendentis.)

Originalis membr. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 9.

CXXV.

Anno 1399. In Šikloš.

Nicolaus et Joannes de Gara, Bani, Episcopatum Absarensem fratri Nicolao de Šikloš conferunt.

Nos Nicolaus et Johannes de Gara, Regnorum Dalmatie, Croatie, Sclauonieque Bani, omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presentem paginam inspecturis, salutem in omnium saluatore. Fauor et deuotio specialis nos inducunt, vt hos, quos opera sue virtutis dignos efficiunt, prosequamur prerogatiua, fauore, et gratia speciali; vt ipsorum remunerata deuotio ylare scat, et alij eorum exemplo ad virtutis speciem amplexius et forcius incitentur; nos etiam ex debito iuris cogimur iustas admittere preces, et vota supplicantium clementer exaudire. Cum igitur Episcopatus Absariensis, in Ecclesia Cathedrali B. Virginis in insula nostra Vzor vocata constructa, situs, per Serenissimum Principem Dominum nostrum, Dominum Sigismundum, Regem Hungarie etc., nobis sub noue donationis titulo simul cum patronatu ipsius Ecclesie et collatione dicti Episcopatus perpetuo donata, per decessum venerabilis in Christo Patris Domini Protyni, pye recordationis Episcopi predicte Ecclesie Absariensis, iam in dicta nostra insula de iure et de facto vacare contingat, cuius collatio seu presentatio ad nos, vt premittitur, pertinere dinoscitur; Nos itaque atten-

dentes morum honestatem, industriosa virtutum merita, et sufficientem litteraturam honorabilis et religiosi viri Domini fratris Nicolay, filij condam Magistri Pauli de Sokles, prouincialis fratrum Canonicorum regularium Ordinis B. Augustini per Hungariam, quibus idem nostre Magnificentie probali commendatur testimonio, predictum Episcopatum in predicta nostra Insula et ad eandem spectantibus existentem, modo premisso vacantem, cum omni plenitudine sui iuris eidem Domino Nicolao Prouinciali, vtili et proficuo, ymo simul cum vniuersis suis iuribus et pertintijs, veluti sui predecessores vsi et fruiti fuissent, duximus conferendum et prestandum, et de eodem eidem prouidendum, et in corporale eiusdem Episcopatus dominium introduci faciendo, decernentes testimonio litterarum nostrarum mediante. Datum in Soklos predicta feria quarta proxima in festo B. Gregorij Pape. Anno Domini Millesimo trecentesimo nonagesimo nono.

(L. S. duorum Sigillorum.)

Ex Archivo Imp. Viennen. — C. Fejér. Codex diplomaticus Hungariae ecclesiasticus ac civilis. Anno 1399. Tom. 10. Pag. 743.

CXXVI.

Anno 1401. die 22. Aprilis. In Pachech.

Comitatum Tininiensem in Regno Croatiae situm, ibique marturinas tributi nomine datas fuisse, hoc Sigismundi Regis privilegio fit manifestum.

Sigismundus Rex Vngarie, Dalmatie, Croatie etc. etc. Cum nos alias cum plerisque Prelatis et Baronibus nostris, ac proceribus et nobilibus Regni nostri ad Regnum nostrum Bulgarie, ubi immanissimorum Turcorum et aliarum barbararum nationum grandis casus pululabat, una cum valido nostro exercitu applicuissemus, et cum eisdem Turcis et aliis Paganis personaliter agrediendo ducentes in arca certaminis preliando, tandemque occulto Dei judicio permittente, et fortuna nobis proh dolor nostris viribus nostri exercitus deficientibus, et pluribus fidelibus nostris nostro lateri pro nunc adherentibus prostratis, prefatus q. Nicolaus sub vexillo fidelis nostri M. Viri D. Nicolai de Gara, Regnorum nostrorum Dalmatie et Croatie ac totius Sclavonie Bani, per eosdem Paganos succubuit et extitit interemptus. Quorum pretextu volentes ipsius Regio occurrere cum favore, quasdam possessiones, seu villas, Brusniche et Zacucchie vocatas, in Comitatu Tinniniensi in Regno nostro Croatie existentes, in quarum pacifico et quieto dominio ipse Blasco et Nicolaus frater suus, nec non progenitores eorum a tem-

pore q. D. Belle Regis, qui easdem villas ipsis progenitoribus eorum, uti idem Blasco ait, donasset et contulisset, extitissent forentque, et ipse Blasco nec non Marinus, Andreas et Petrus filii predicti q. Nicolai pacifice de presenti etc.

(Et infra:)

Nihilominus pro premissis eorum fidelitatibus et servitiis solutionem seu collectam Mardurinarum, de premissis possessionibus nobis et fisco nostro Regio pervenire debentem, eisdem Blasconi et filiis q. Nicolai ipsorum heredibus donando et perpetuo approbando premissa nostra Regia auctoritate remittimus et relaxamus, presentium nostrorum testimonio litterarum; quas dum nobis fuerint representate, in forma nostri Privilegii redigi faciemus. Datum in Pachech feria secunda proxima ante festum S. Georgii Martyris. Anno Domini 1401.

Lucius. Memorie di Traù pag. 397.

CXXVII.

Anno 1403. die 14. Augusti. Jadrae.

Vladislaus Rex privilegia, insulae Brachiae a prioribus regibus et principibus concessa, confirmat.

Vladislaus, Dei Gratia Hungariae, Jerusalem, Siciliae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galitiae, Lodomeriae, Romaniae, Bulgariaeque Rex, Provintiae et Folcaquerii, ac Pedemontis Comes. Universis praesentes Litteras inspecturis, tam praesentibus quam futuris. Petitiones supplices nostrorum fidelium libenter admittimus, et cum expedit ad exauditiones gratiam perducere libenti animo procuramus, ut nostra benignitas magis clareat et ad rei gestae cautelam robur abbundantior accedat. Sane pro parte Mixae de Petrullo et Michaelis da Baloe, Nuntiorum et Ambasciatorum, ad nos transmissorum pro parte Communitatis Universitatis et hominum Insulae Brachiae, nostrorum fidelium, fuit Majestati nostrae humiliter supplicatum: ut, cum antiqui Reges Hungariae, et praesertim bonae memoriae Rex Ludovicus, concesserint et fecerint eisdem Communitati, Universitati, et hominibus insulae Brachiae certa privilegia, libertates et gratias in favorem dictae Insulae, Statuta, Reformationes et Consuetudines, prout in Libris ipsorum Regum et dicti Ludovici plenius continetur; et subsequentur bonae memoriae Stephanus Tuarko, Rasciae, Bosnae et Maritimae Rex, tum dicta privilegia, gratias et libertates, ac Statuta, Reformationes et consuvetudines per suas patentes litteras duxerit confirmandas, et addiderit atque concesserit potestatem et licentiam eligendi eis Comitem, cum confirmatione tamen Regiae Majestatis;

et deinde Illustrissimus Princeps Stephanus Dabissa, dictorum Rasciae, Bosnae et Maritimae Rex, post scilicet mortem dicti Regis Stephani Tuarko, praedictas libertates, gratias et privilegia, Statuta, Reformationes et Consuetudines, ac potestatem electionis dictorum Comitum per suas patentes litteras ratificaverit et acceptaverit; postmodum vero Vir Magnificus Hervoja, summus Vojvoda Bosnensis, noster in Regno nostro Hungariae, et aliis Regnis sibi annexis, Vicarius generalis, jam dicta omnia per suas literas confirmaverit; postremoque Vir Magnificus Aloysius de Aldemarisco de Neapoli, Miles Regni nostri Siciliae, Marescialus ac Capitaneus Galearum nostraram, nosterque in dictis Regnis Vicarius generalis, praedicta omnia et singula per evidentes litteras acceptaverit et duxerit confirmanda; — Propterea ad majorem cautelam dignaremur praefatas gratias, libertates, privilegia, Statuta, Reformationes et Consuetudines ac litteras praedictas, exinde subsecutas, et potestatem, et electiones Comitum praedictorum per nostras litteras patentes confirmare. Nos autem devotis supplicationibus praedictorum praefatas gratias, libertates, privilegia, Statuta, Reformationes et Consuetudines eisdem, Communitati et hominibus praefatae Insulae Brachiae, ut praedicitur, factas, et facta, ac etiam confirmatas, et potestatem etiam electionis dictorum Comitum, qui sunt utique fideles nostri, cum confirmatione tamen nostra, juxta praedictarum omnium litterarum tenorem et continentias, harum seriarum, de certa nostra sententia, ac cum consensu praedictorum .... Magnatum et Baronum dicti Regni nostri Hungariae, nobis adstantium, confirmamus, ratificamus et approbamus, nostroque confirmationis, ratificationis et approbationis munimine roboramus, itaque quod nullum diminutionis vel infractus incomodum pertimescant. In cujus rei testimonium praesentes Litteras exinde fieri et magno nostro pendenti sigillo jussimus communiri. Datum Jadrae per Antonium de Poma, Secretarium familiarem et fidelem nostrum dilectum. Anno Domini 1403. die 14. Mensis Augusti, Indictione 11., Regnorum nostrorum Anno 17.

(L. S. N.)

Nicolò Wragnizan, Nodario Publico, ha fatto copiare da fida mano d' altra simile, esibita mi dal Sig. Don Andrea Cicarelli, sottoscritto e sigillato.

Cicarelli Andrea. Osservazioni sull' Isola della Brazza. Venezia 1802, p. 129.

CXXVIII.

Anno 1406—1470.

Privilegium Sigismundi Regis, de Decimis a Regnicolis Regni Slavoniae Episcopo Zagrabiensi secundam antiquam consvetudinem praestandis, anno 1406. exaratum et a Blasio Magyar, Regnorum Bosnae, Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bano, anno 1470. transsumptum.

Nos Blasius Magyar, Regnorum Bozne, Dalmatie, Croatie et Slavonie Banus etc. memorie commendamus: Quod Nobilis Johannes Viti de Korbawa, et Anthonius de Kopyncz, ad nostram venientes presentiam, in ipsorum ac totius vniversitatis Regni Slavonie nobilium nominibus et in personis exhibuerunt et presentarunt nobis quasdam litteras condam Domini Sigismundi Regis sigillo suo a tergo appressas communitas, patenter — ad relationem Magnifici Domini condam Johannis filii Henrici Wayvode Transylvaniensis emanatas, factum decimarum, libertatemque ipsorum Regnicolarum et consuetudinem antiquam in se denotantes et continentes, tangentes — petentes nos cum Instantia, ut easdem litteras presentibus litteris nostris transcribi et transumi facientes, eisdem dare et concedere dignaremur, Jurium ipsorum in cautellam. Quarum tenor talis est: Sigismundus dei gratia Rex Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. Marchioque Brandenburgensis etc., Sacri Romani Imperii Vicarius generalis, et Regni Bohemie Gubernator, fidelibus suis Spectabili et Magnifico Viro Domino Hermanno Comiti Cilie et Zagorie, Dalmatieque et Croatie, ac totius Slavonie Regnorum nostrorum Bano, nec non Gubernatori Episcopatus Zagrabiensis, ac Decimatoribus seu Exactoribus Decimarum Episcopatus ejusdem, nunc scilicet constitutis et in futurum constituendis, salutem et gratiam. Licet nos premissas Decimas, frugum scilicet et vinorum aliarumque rerum cujuslibet generis eidem Episcopatui, Episcopoque ecclesie loci ejusdem, ex parte Incolarum praefati Regni nostri Slavonie provenientes, certis causis nos urgentibus, in anno proxime evoluto a Reverendo in Christo patre domino Eberhardo Episcopo annotate Zagrabiensis ecclesie conductive recipientes, in specie et in colore, contra consuetudines et libertates antiquas ejusdem Regni nostri recipi et exigi faceremus. Tamen supplicationibus nobilium, Procerum, aliorumque Incolarum dicti Regni nostri Slavonie, nostre pro eorundem parte subjective oblatis Majestati, favorabiliter inclinati concessimus et annuimus: vt vniversi Regnicole nostri hujusmodi Decimas pretacto Episcopo provenientes, de quibuscunque rebus eorum, non in specie et colore sed modo ab antiquo consveto dare, solvere et amministrare teneantur, mandantes vestre fidelitati firmiter et districte per presentes, quatenus amodo deinceps in antea prescriptas Decimas a prefatis Incolis, sub Jurisdictione dicti Episcopatus

constitutis, provenire debentes non in specie et colore uti premissum, sed more alias ab antiquo scilicet consueto ab eisdem recipere et exigere debeatis, secus in premissis nullo modo facere presumentes; et hoc idem iniungimus futuris Decimatoribus et Dicatoribus, Exactoribusque Decimarum earundem firmiter observari; presentes quoque perlectas reddi jubemus presentanti. Datum Agrie Sabbato proximo ante Festum Beatorum Cosme et Damiani Martyrum. Anno Domini Millesimo Quadringentesimo sexto. Unde nos petitionibus prefatorum Johanis, Viti et Anthonii de Kwpyncz, in ipsorum et aliorum quorum supra nominibus et in Personis, nobis porrectis favorabiliter inclinati, prescriptas litteras domini Sigismundi Regis presentibus litteris nostris patentibus de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali transumi et transcribi facientes, eisdem Regni nobilibus duximus concedendas. Datum in Zenthghewrgh in festo Beatorum Cosme et Damiani Martyrum predicto Anno Domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo.

(Locus sigilli a tergo impressi.)

Orig. membrana in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 11.

CXXIX.

1412. 3. Februarii. Budae.

Sigismundus Rex modum solvendae Banis a civitate Tragurio tergovinae (tributi) determinat.

Sigismundus etc. fidelibus nostris Magnifico viro Petermanno de Medwe, Regnorum nostrorum Dalmatie et Croatie Bano, vel Vicebano eiusdem, nec non tributarijs eorundem, vel aliorum quorumcunque in tributis dicto Banatui peruenire debentibus constitutis; Item Banis vel Vicebanis constituendis, alijs etiam cuiusuis status, dignitatis seu conditionis hominibus, huiusmodi tributum tenentibus et habentibus, quibus presentia innotuerint, salutem et gratiam. Ex querela nobilis viri fidelis nostri sincere dilecti Nicolai Petri Micacij de Tragurio, Ambassadoris consilij, Rectoris et Communitatis dicte Ciuitatis nostre Tragurii, in persona eorundem nobis porrecta, intelleximus displicenter, quod vos tributum vulgo Tergovinam, vobis ratione dicti Banatus prouenire debens, contra antiquam consuetudinem et priuilegiatam libertatem dicte Ciuitatis nostre Tragurii, non ibi et in eo loco, vbi prius seu antea exigi et recipi solitum fuisset, sed in pertinentijs ipsius Ciuitatis Tragurii et quandoque in ea-

dem Ciuitate, vbi in exactione huiusmodi tributi plurima disconuenientia et frequenter orirentur, exigi facere, incessanter, in preiudicium prescripte priuilegiate libertatis et antique consuetudinis eorum valde magnum; et quia nos ipsam Ciuitatem nostram Tragurium in antiquis suis consuetudinibus et priuilegiatis libertatibus intendimus illibate conseruare, ideo fidelitati uestre firmo Regio damus sub edicto, mandantes, quatenus a modo in antea et deinceps dictum tributum non in dicta Ciuitate nostra Tragurio, nec in pertinentijs seu districtu eiusdem, sed ibi in eodem loco, vbi ab antiquo exigi fuit consuetum, recipi, exigi et extorqueri facientes, eandem Ciuitatem nostram in antiquis suis consuetudinibus et priuilegiatis libertatibus illibate conseruando, ab huiusmodi vexationibus et inconuenientijs, que in exactione dicti tributi quoquo modo oriri possent, precauere et custodire debeatis, aliud pro nostra gratia non facturi; presentes denique perlectas semper reddi edicimus presentanti. Datum Bude feria tertia proxima post festum Sancte Dorotee Virginis et Martyris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo duodecimo. Regni nostri Anno, Hungarie etc. vigesimo quinto, Romanorum vero secundo.

Lucius I. Memorie Istoriche di Tragurio p. 403.

CXXX.

Anno 1412. Kal. Novembris.

Sigismundus Rex Nicolao Vegliae Comiti possessionem Vegliae et minorum ad eam pertinentium insularum confirmat.

Sigismundus, dei gracia Romanorum Rex semper augustus, ac Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Galicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex, Marchio Brandenburgensis, nec non Bohemie et Lucenburgensis heres, vniuersis et singulis Christi fidelibus presentibus et futuris presencium noticiam habituris Salutem in salutis largitore. Ne transeant cum tempore, que in tempore aguntur, prouidencia adinuenit humana, vt rerum gestarum series sub litterarum testimonio perpetue memorie comendetur; proinde ad vniuersorum tam presencium quam futurorum noticiam harum serie volumus peruenire: Quod Magnificus vir dominus Nicolaus, Comes Vegle, Segne, Modrusce etc., ad nostre Maiestatis presenciam veniens, nobis porexerit priuilegiales patentes litteras predecessorum nostrorum Regum Illustrium Hungarie, progenitorum nostrorum, suplicans exinde nostre Celsitudini humiliter ac deuote, ut eas litteras regales Juraque sua ac omnia in ipsis continencia sibi heredibusque suis here-

dumque suorum successoribus aprobare, ratificare et nostro dignaremur patenti regalique priuilegio confirmare. Ideo nos ultra beneuolentiam nostram regiam, quam sibi pro suis meritis grata libertate gerimus, visis, auditis et diligenter intellectis Juribus suis, Inclinatique iustis requisicionibus suis, attendentesque fidelitates et seruiciorum merita graciosa, per eum nostro culmini exhibita, Insulam suam Veglensem, Civitatem, Castrum, villam, siluas, nemora, portus, maritimas salinas, scopulos, vocatos videlicet peruich, plasnich et almis, cum illorum pertinencijs, Juraque patronatus ecclesiarum, nostra Regia auctoritate perpetuo ipsi Magnifico viro Comiti Nicolao predicto, suisque heredibus ac heredum successoribus approbamus, ratificamus ac relinquimus pacifice possidere, habere et tenere pleno iure et cum omni Integritate. In cuius rei memoriam perpetuam presentes concessimus litteras has nostras priuilegiales, pendentis autentici sigilli nostri dupplicis, quo videlicet vt Rex hungarie utimur, munimine roboratas. Datum per manus Reuerendi in Christo Patris domini Eberhardi, Episcopi Zagrabiensis, aule nostre Maiestatis summi Cancellarij, fidelis nostri grate dilecti. Anno domini Millesimo Quadringentesimo duodecimo, Kalendis Nouembris, Regnorum autem nostrorum Anno, hungarie etc. XXVI., Romanorum vero tercio.

Orig. membrana in Archivo Regni Croatiae. Fasc. 1646. Nr. 4. — Habet quoque Kerčelić in „Notitiis Prael." pag. 209, sed erronee.

CXXXI.

Circa Annum 1416—1418.

Constitutiones Nobilium Regni Slavoniae, in generali Congregatione latae, a Hermano Comite Ciliae et Zagoriae Regni Slavoniae Bano, confirmantur.

Nos Hermanus, Cilye, Zegurieque Comes etc. et Regni Sclauonie Banus, Memorie comendamus, quod cum post recessum Serenissimi Principis domini nostri Regis Sigismundi de hoc Regno suo Hungarie facto, multe et diuerse rixe, discordie, discessiones, hominum interemptiones, spoliationes, latrocinia, furticinia, combustiones, depredationes, et occupationes possessionum indefinite quasi die noctuque, exclusiones etiam nobilium de eorum domibus propriis cum receptionibus bonorum ac rerum eorundem vniversarum, ac etiam litterarum Instrumentorum, confractiones et spoliationes ecclesiarum et claustrorum, ymmo etiam expugnationes et receptiones Castellorum, aliaque et diuersa multorum et quasi

dem Ciuitate, vbi in exactione huiusmodi tributi plurima disconuenientia et frequenter orirentur, exigi facere, incessanter, in preiudicium prescripte priuilegiate libertatis et antique consuetudinis eorum valde magnum; et quia nos ipsam Ciuitatem nostram Tragurium in antiquis suis consuetudinibus et priuilegiatis libertatibus intendimus illibate conseruare, ideo fidelitati uestre firmo Regio damus sub edicto, mandantes, quatenus a modo in antea et deinceps dictum tributum non in dicta Ciuitate nostra Tragurio, nec in pertinentijs seu districtu eiusdem, sed ibi in eodem loco, vbi ab antiquo exigi fuit consuetum, recipi, exigi et extorqueri facientes, eandem Ciuitatem nostram in antiquis suis consuetudinibus et priuilegiatis libertatibus illibate conseruando, ab huiusmodi vexationibus et inconuenientijs, que in exactione dicti tributi quoquo modo oriri possent, precauere et custodire debeatis, aliud pro nostra gratia non facturi; presentes denique perlectas semper reddi edicimus presentanti. Datum Bude feria tertia proxima post festum Sancte Dorotee Virginis et Martyris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo duodecimo. Regni nostri Anno, Hungarie etc. vigesimo quinto, Romanorum vero secundo.

Lucius I. Memorie Istoriche di Tragurio p. 403.

CXXX.

Anno 1412. Kal. Novembris.

Sigismundus Rex Nicolao Vegliae Comiti possessionem Vegliae et minorum ad eam pertinentium insularum confirmat.

Sigismundus, dei gracia Romanorum Rex semper augustus, ac Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Galicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex, Marchio Brandenburgensis, nec non Bohemie et Lucenburgensis heres, vniuersis et singulis Christi fidelibus presentibus et futuris presencium noticiam habituris Salutem in salutis largitore. Ne transeant cum tempore, que in tempore aguntur, prouidencia adinuenit humana, vt rerum gestarum series sub litterarum testimonio perpetue memorie comendetur; proinde ad vniuersorum tam presencium quam futurorum noticiam harum serie volumus peruenire: Quod Magnificus vir dominus Nicolaus, Comes Vegle, Segne, Modrusce etc., ad nostre Maiestatis presenciam veniens, nobis porexerit priuilegiales patentes litteras predecessorum nostrorum Regum Illustrium Hungarie, progenitorum nostrorum, suplicans exinde nostre Celsitudini humiliter ac deuote, ut eas litteras regales Juraque sua ac omnia in ipsis continencia sibi heredibusque suis here-

dumque suorum successoribus aprobare, ratificare et nostro dignaremur patenti regalique priuilegio confirmare. Ideo nos ultra beneuolentiam nostram regiam, quam sibi pro suis meritis grata libertate gerimus, visis, auditis et diligenter intellectis Juribus suis, Inclinatique iustis requisicionibus suis, attendentesque fidelitates et seruiciorum merita graciosa, per eum nostro culmini exhibita, Insulam suam Veglensem, Civitatem, Castrum, villam, siluas, nemora, portus, maritimas salinas, scopulos, vocatos videlicet peruich, plasnich et almis, cum illorum pertinencijs, Juraque patronatus ecclesiarum, nostra Regia auctoritate perpetuo ipsi Magnifico viro Comiti Nicolao predicto, suisque heredibus ac heredum successoribus approbamus, ratificamus ac relinquimus pacifice possidere, habere et tenere pleno iure et cum omni Integritate. In cuius rei memoriam perpetuam presentes concessimus litteras has nostras priuilegiales, pendentis autentici sigilli nostri dupplicis, quo videlicet vt Rex hungarie utimur, munimine roboratas. Datum per manus Reuerendi in Christo Patris domini Eberhardi, Episcopi Zagrabiensis, aule nostre Maiestatis summi Cancellarij, fidelis nostri grate dilecti. Anno domini Millesimo Quadringentesimo duodecimo, Kalendis Nouembris, Regnorum autem nostrorum Anno, hungarie etc. XXVI., Romanorum vero tercio.

Orig. membrana in Archivo Regni Croatiae. Fasc. 1648. Nr. 4. — Habet quoque Kerčelić in „Notitiis Prael." pag. 209, sat erronee.

CXXXI.

Circa Annum 1416—1418.

Constitutiones Nobilium Regni Slavoniae, in generali Congregatione latae, a Hermano Comite Ciliae et Zagoriae Regni Slavoniae Bano, confirmantur.

Nos Hermanus, Cilye, Zegurieque Comes etc. et Regni Sclauonie Banus, Memorie comendamus, quod cum post recessum Serenissimi Principis domini nostri Regis Sigismundi de hoc Regno suo Hungarie facto, multe et diuerse rixe, discordie, discessiones, hominum interemptiones, spoliationes, latrocinia, furticinia, combustiones, depredationes, et occupationes possessionum indefinite quasi die noctuque, exclusiones etiam nobilium de eorum domibus propriis cum receptionibus bonorum ac rerum eorundem vniversarum, ac etiam litterarum Instrumentorum, confractiones et spoliationes ecclesiarum et claustrorum, ymmo etiam expugnationes et receptiones Castellorum, aliaque et diuersa multorum et quasi

indicibilium diuersorum malorum genera exorta, suscitata, perpetrata, ymmo in tantum et adeo agregata, ac per quosdam potentes accumulata extiterant, ut ex his malis propter oppressionem pauperum Nobilium et aliorum possessionatorum hominum maxima guerra in hoc Regno Sclauonie oriri uidebatur, ymmo iam exorta extiterat, dictique Nobiles Regni hujus Sclauonie ne in infidelitatem contra Serenissimum principem dominum nostrum regem Sigismundum aliquomodo necessitate compulsi incurrissent, eorum fortalitia atque castella, domos, possessiones et hereditates ad manus et potestates nostras dare et assignare uolebant et conabantur; videntes igitur et considerantes, ut ubi super premissis de remedio oportuno prouisum non fuerit, et dicti actus nephandissimi et perniciosi potentiarii magis et magis augmentarentur, extunc per oppressionem potentum, eorumque sequaces ipsum Regnum Sclauonie quasi in nihilum redigeretur, et pauperes nobiles Regni huius eorum hereditatibus eradicarentur, et eorum rebus et bonis plenarie priuarentur, vna cum Prelatis, Baronibus, Regnique Sclauonie Proceribus, in Crisiensi, Zagrabiensi, Varasdinensi et de Verewcze Comitatibus constitutis, ad presentes octavas festi beati Georgii Martyris signanter et precise pro prosecutione infrascripte dispositionis huc ad nos confluentibus, vnanimi et concordi voluntate vsque felicem aduentum dicti domini nostri Regis in dictum Regnum suum Hungarie fiendum, hanc fecerunt et instituerunt dispositionem: Quod primo et principaliter annuatim non plures nisi quatuor octavas, videlicet festivitatum Sanctorum Georgii, Jacobi, Michaelis et Epiphaniarum Domini instituemus, in quibus vniversis nobilibus Regni Sclavonie in Crisiensi, Zagrabiensi, Varasdinensi et de Verewcze Comitatibus Judicium et justitiam juxta antiquam consuetudinem Regni, et presentis Institutionis stabilitatem debeant judicare, ita videlicet, vt semper ipse octaue inchoentur feria secunda proxima post octauum diem festorum predictorum, et birsagia distribuantur feria tertia, videlicet die sequenti; Item decretum proclamate Congregationis vsque felicem adventum Regie Majestatis ad Regnum suum Hungarie fiendum nullus emanari facere debeat, et in eo ulterius non procedat vsque terminum prefixum, sed omnino condescendat et sopiatur, sed super actibus potentiariis post recessum dicti domini Regis de hoc Regno factum quicunque Regni nobilis unus super alterum perpetrasset, vel alia nocumenta, dampna, iniurias, spolia, nouas possessionum seu terrarum occupationes, hominum interemptiones, aliorumque quorumuis malorum genera intulissent, aut vsque aduentum domini nostri Regis in Regnum suum Hungarie fiendum intulerint, talis, cui, vel super quem premissa perpetrata facta potentiaria, ac dampna et alia omnia intulissent, in eisdem octauis, in sedibus Crisiensi, Zagrabiensi, Varasdinensi et de Verewcze predictis, querimonia coram nobis et nostris Vicebanis et Comitibus ac Vicecomitibus Comitatuum predictorum, ceterisque probis viris et Judicibus nobilium, qui pro tunc in eisdem octauis aut in quacunque earundem octauarum in ipsa sede fuerint constituti, aut constituti, querimoniam promovere debeant et teneantur, ibique nos et prefati Vicebani nostri aut Comites vel Vicecomites ex dictis nobilibus ..ndem nobilium audita ipsa querimonia ipsius querulantis, si factum arduum extiterit, extunc octo vel sex, ubi minus factum fuerit, extunc quatuor, ex dictis autem Judicibus nobilium similiter si arduum factum fuerit, tunc omnes quatuor, ubi vero minus factum, tunc duo ad faciem possessionis facti perpetrati .... eaque ... investigandi et resciendi meram certitudinis ueritatem, scitaque mera ueritate juxta

fidem ipsorum, Deum et eius justitiam habendo pre oculis, odio, fauore, amore, timore et pretio postpositis, si premissa conquesta, et querimoniam suo modo in toto vel in parte investigaverint, factaque so .... otunc ad talem, contra quem ipsam querimoniam in ipsa sede coram judiciali curia nobis et dictis nostris Vicebanis, Comitibus vel Vicecomitibus, et dictis nobilibus ac Judicibus nobilium sepefatis porrecta fuerit, ad domum suam accedere, et eundem, aut ipso absente Dominam Consortem .... ayuodas ac aut uilicos, quos reperire potuerint, in eo amonere debeant, ut ipse talis facti potentia perpetrati, super dampnis, aut terris et novis possessionum occupationis dicti domini Regis factis, juxta adjudicationem, commissionem et deliberationem prefatorum Comitum .... dicum nobilium pro tunc inibi existentium ipsi querulanti et querimoniam promouenti omnimoda satisfactione coram eisdem impendere debeant et teneantur; qui si fecerint, bene quidem, alioquin iidem Comites et dicti nobiles Regni adminus qua .... octauis in sedem venientes se penes fidem eorum suo modo fateri et recitare debeant et teneantur, annotatum vero talem, qui prefata facta potentiaria perpetrasset, et suo modo juxta antedictorum commissionem Comitum ac nobilium Regni et Judicum nob .... potencie convictum facere, et agrauatum in ipsa sede denuncient, pronuncient et adjudicent. ac super huiusmodi adjudicatione nos vel Vicebani nostri, Comites vel Vicecomites litteras sententionales emanari facere, et parti .. lese .... non plus nisi vnum florenum aureum dare teneantur, de paribus autem primis dispositionis solum centum denarios recipere possint, et non plus; Nos quoque vel Vicebani nostri et Comites, ac .... que pronunciatus fuerit vniversas possessiones, et portiones possessionarias ipsum proprie concernentes, in dictis Comitatibus existentes, occupare et conservare, adjudicatoque leso, et querulanti prius .... ampnis, et rebus ablatis, mutilatoribus, sanguinis efusoribus, ac hominum interfectoribus, detentoribus, tormentatoribus, verberatoribus et quorumcunque malorum generis perpetratoribus, vel propter .... eisdem possessionibus et proventibus eorundem satisfactionem omnimodam impendere, possessiones autem et jura possessionaria ipsius conuicti cum consuetis prouentibus prout, et quemadmodum per ipsum .... Serenitate sibi de remedio, et gratia prouideret opportuno, hoc in premiss's adiecto, quod si annotati Vicebanus, Comites vel Vicecomites, nobiles Regni ac Judices nobilium .... repererint, extunc super illum, contra quem ipsa querimonia porrecta fuerit, tres marcas denariorum nouorum, ex quibus una Comiti et alia nobilibus Regni, ac tertia Judicibus nobilium, ubi autem premis .. .. nominatos perpetrata fore non repererint, extunc super talem querulantem ipsas tres marcas extorquere ualeant atque possint, et ubi annotati nobiles Regni in ipsa sede in dictis octauis ex .... ac satisfactionis complementum deputati cum dicto Comite, et Judicibus nobilium ad premissa perficienda accedere noluerit vel noluerint, dempto casu, si alter ipsorum quibusdam aliis suis negotiis arduis, ac infirmitate occupatus .... aut fienda sibi credibiliorem aut propinquiorem ad premissa deputare et destinare sit obligatus, et si premissa adimplere seu perficere recusaret, extunc talis ex dictis nobilibus in viginti quin-

que marcis convincatur easdem .... ad tres partes supranominatas dividantur; ubi vero in executione dictorum octo proborum uirorum aliqua contentio oriretur, extunc eosdem tales probos viros, qui pro tunc in sede extiterint et ad ea eligerentur, per se et distinctim .... et ad vnum pilium imponendo nomina quorumcunque octo proborum virorum promans(?)et antea seriatim de ipso pilio excerpta fuerint, iidem tales octo probi viri per dictum modum sortis electi ad prosecutionem hujusmodi factorum previe, et ....antur, ipseque talis nobilis nec litteris regalibus, nec nostris aut aliis quibusuis occasionibus de talibus octauis, in quibus ipsa fassio predicte amonitionis facta fuerit, possit probare, et huiusmodi littere casse, vane, viribusque cariture .... ipsasque viginti quatuor marcas prefati Vicebanus, Comites, Vicecomites, nobiles Regni ac Judices nobilium super prefatos nobiles talem, vel tales, qui de premissa sede judiciaria ad premissam satisfactionem et ammonitionem deputatus, vel deputati fuissent, recusarunt vel noluerunt, usque quindecimum diem super possessionibus talium, vel talis, extorquere valeant atque possint, in tres partes similiter inter se dividendas. Ceterum post pululationem et multiplicationem malefactorum et nocivorum hominum taliter extitit determinatum: ut in bienni termino, per nos ad id deputando, quilibet nobilis et homo possessionatus in facie possessionis sue coram mentionatis Judicibus nobilium, ac duobus nobilibus Regni ad id specialiter exigendis et deputandis, inter Jobagiones suos juratos Assessores eliget; qui scilicet jurati Assessores vniversos et quoslibet fures, latrones, predones, intoxicatores, fironissas, incantatores, specialiter incendiarios et interfectores hominum, spoliatores viatorum, de medio ipsorum nominare facere, proscribi et extradare debeant; quos proscriptos et criminales malefactores per ipsos juratos extradatos, ipsi nobiles, vel alter eorum coram eisdem juxta eorum demerita interficere debeat et teneatur ibidem in facie sue possesssionis prenotate, dictique Vicecomes et prenominati nobiles Regni, ac Judices nobilium, de rebus ac bonis huiusmodi proscripti non plus nisi unam marcam denariorum de propriis rebus ipsius interfecti habere et similiter inter se ad tres partes diuidere debeant; et si res et bona ipsius interfecti se ad ipsam unam marcam non extenderent, extunc ipsa una marca careant; in casu vero, quo huiusmodi nobilis premissa facere recusaret, tunc nos una cum nobilibus Regni vniversis possessiones et jura possessionaria ubilibet in dictis Comitatibus existentia, occupare possimus atque valeamus, easdem tamdiu conseruandi, quousque a Regia Serenitate sibi de remedio seu gratia prouisum fuerit opportuno, hoc specialiter declarato, quod si aliquis nobilium talem proscriptum coram eisdem juxta sua demerita interfici et pena debita plecti non faceret, et eundem absque scitu et sua voluntate abire seu salire retulerit et asseruerit, extunc talis nobilis sexto se nobilibus id asseverare mediante juramento debeat et teneatur, vbi juramentum non deposuerit, tunc viginti marcas denariorum super eundem Judices antedicti extorquere, quas similiter ad tres partes dividere inter se valeant atque possint. Extitit etiam determinatum, quod nos vel Vicebani nostri, Comitesque vel Vicecomites, ac Judices nobilium occupationes possessionum nobilium in dictis Comitatibus existentes per litteras Regias, et nostras preceptorias et consuetas ac sub quacunque forma verborum emanatas facere et juxta vigorem earundem procedere non valeant, neque possint, nisi per formam et deliberationem seu dispositionem superius stabilitam seu specificatam. Preterea instituimus, quod si

Vicebanus, Comites vel Vicecomites, ac Judices nobilium dictorum Comitatuum, quibuspiam Regnicolis in dictis Comitatibus existentibus, post recessum domini nostri Regis de regno Hungarie factum, aliqua facta potentiaria, dampnaque, et rerum ablationes, mutilationes, verberationes, sanguinum efusiones, hominum interfectiones, possessionum et terrarum occupationes, aliaque malorum genera et nocumenta minus juste et indebite perpetrassent vel perpetrarunt, intulissent vel intulerunt, extunc nos specialem hominem nostrum vna cum dictis octo vel sex nobilibus, vel adminus quatuor, ac Judicibus nobilium similiter quatuor, aut duobus, ad faciem possessionis facti perpetrati ad ammonendum et satisfactionis complementum impendendum et premissa investigandum destinemus, qui prefatus homo noster, et dicti nobiles ac Judices nobilium, rescita premissorum mera veritate, si per annotatos Vicebanum, Comitem ac Vicecomitem, nec non familiam eorundem, eo modo facta fore compererint, extunc facta ammonitione ex parte talium vel talis perpetratorum vel perpetratoris ad plenariam satisfactionem et solutionem astringant, et si premissam satisfactionem et solutionem facere recusaret vel recusarent, extunc possessiones habentes per occupationes possessionum eorundem, si vero impossessionati extiterint, per ablationes bonorum et rerum suarum, ymo si necesse fuerit cum detentione personarum ipsi leso et querulanti satisfactionem valeant atque possint; insuper huiusmodi possessiones occupatas tamdiu, quousque a Regia Majestate sibi de remedio gratioso provisum fuerit, idem querulans conservare valeat atque possit; e converso autem, quicunque nobilis premissa facta potentiaria ipsis Vicebanis, Comitibus ac Judicibus nobilium consimiliter perpetrarunt aut perpetrauerint, consimilem penam consequantur. Ceterum extitit determinatum, quod Prelati et Barones, ac proceres et nobiles regni in ipsas sedes judiciarias tempore octauarum predictarum confluentes, non pluribus nisi quatraginta equitibus... facta eorum prosequentes ad Judicium progredientes venire valeant, ita videlicet, quod vniversi et singuli cuiuscunque status et conditionis homines existant, ad sedem Judiciariam tempore predicto in Judicium accedentes inermes, videlicet sine loricis, clipeis, gladiis, sagitis ac aliis quibusuis armorum generibus, demptis duntaxat bicellis, venire debeant et teneantur, aliudque non sint ausi facere modo aliquali. Et si quis ausu temerario contra hanc previam dispositionem processerit vel fecerit, talis in persona captiuetur, ac armis, et rebus et bonis circa ipsum habitis per Vicebanum et Comites predictos priuetur et desumatur; hoc non pretermisso, quod idem nobiles nobis propter fidelitatem domino nostro Regi observandam, et quoad defensionem et tuitionem dictorum Comitatuum et vniversorum premissorum pro perfectione et impletione totis viribus juxta posse ipsorum fidelia servitia exhibere assumpserunt, quos et nos serie presentium protegere spopondimus, ubi nos talem, vel tales, qui in premissis persistere nollent, et se premissis opponere attemptarent aut rebellizarent, huiusmodique dispositioni et ordinationi aquiescere nollent, vel contra premissa ausu temerario et rebellione procederent, cum nostris viribus ad premissa facienda et complenda astringere et vincere non valeremus aut non possemus, et dictis nobilibus regni insurgere mandaremus, extunc vniversi vniversaliter, et singuli singulariter, videlicet cum equitibus et peditibus, demptis orphanis, viduis, infirmis et viribus destitutis insurgere, et contra talem vel tales procedere, et eosdem juxta eorum dem..... per occupationes possessionum suarum punire valeamus, atque possi... ita tamen, quod fratres

indiuisi unus cum alio et Pater cum filiis indiuisis in huiusmodi processu se expedire possit. Que omnia premissa et premissorum singula usque felicem aduentum ipsius domini nostri Regis in suum regnum Hungarie fiendum in suo statu ..oluimus, et voluerunt remanere. Deliberatum etiam extitit, vt vbi aliquis potentior premisse dispositioni consentire nollet, huic repugnare machinando, extunc facta ammonitione per Judices nobilium vniversi nobiles famuli ...... potentum infra octo dies ipsius ammonitionis ipsius potentis relinquere teneantur, qui si fecerint, bene quidem, alioquin nos aut Vicebani nostri et Comites predicti eosdem tales ... rebelles in person......... talium possessionatorum vniversa occupare, et tamdiu, quousque a Regia Majestate sibi ipsis gratiam obtinere poterunt, tenere, possidere, ignobiles vero familiares talium potentum tam nos et Vicebani nostri .... nobilis quilibet seu homo possessionatus captiuare, captiuosque ad spinam tanquam latrones pertrahere valeant, teneantur atque possint. Conclusum etiam est, ut et ex parte Emerici et Johannis filii Vaynoch de Marchaly, Comitis Comitatus de Verewcze predicti, eisdem Emerico et Johanne presentibus et benigne acceptantibus, ac etiam ex parte Vicecomitum ipsorum, seu familia, super omnibus actibus in superioribus declaratis modo simili vniversis nobilibus in eodem Comitatu de Verewcze existentibus, et conuenientibus, contra eosdem iterum exurgentibus juxta suprascriptam dispositionem presente homine nostro, prius ad id deputando, consimiliter octo probi et nobiles viri dicti Comitatus cum Judicibus nobilium in dicta sede Verewcze eligendi totiens quotiens necesse et opportunum fuerit, vti in superioribus declaratur, facere, perficere et efectui mancipare suo modo teneantur. In quorum premissorum testimonium et firmitatem presentes litteras nostras patentes sigillo nostro authentico consignatas, penesque sigilla reverendi in Christo Patris domini et domini Johannis Episcopi ecclesie Tyninyensis, Magnificorumque virorum Alberti Prioris Aurane, ac Emerici et Johannis filiorum Vaynoch de Marchaly, prescriptorum Comitum de Verewcze, prescripta.

(*Locus Sigilli Banalis, et quinque aliorum Sigillorum in inferiori Margine appressorum*)

Orig. membr. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 12.

CXXXII.

Anno 1418.

Transsumptum Davidis Laczk de Zantho, Regni Slavoniae Bani, anno 1418 factum, continensque: 1. Statutum Sigismundi Regis, anno 1414 Nobilibus Comitatuum Crisiensis et Zagrabiensis exaratum, quo vi generalis Decreti toti Regno dati constituitur, ut solummodo tempore Generalium Congregationum in jus vocari possint. 2. Alterum ejusdem Regis, anno 1417 exaratum statutum, quo quantas Capitula in obeundis publicis muniis taxas exigere possint, constituitur. 3. Bullam a Benedicto XII. anno 1334. exaratam, et a Sigismundo Rege anno 1417. transsumptam, qua abusus circa suicidarum sepulturam tolluntur.

Nos Dauid Laczk de Zantho, Regni Sclauonie Banus, Memorie commendantes tenore presentium significamus quibus expedit vniuersis: Quod nobis feria secunda proxima post octauas festi beati Georgii martyris, vna cum regni Nobilibus pro faciendo moderatiuo Judicio causantibus in sede nostra Judiciaria sedentibus, Michael Litteratus filius Johannis dicti Kazmer de Rawen, vnus ex Judicibus Nobilium Comitatus Crisiensis, in nostram ueniendo presentiam quasdam tres litteras domini nostri Sigismundi, Dei gratia Romanorum ac Hungarie etc. Regis etc., vnam ad propriam commissionem eiusdem sub Imperiali, et secundam ad commissionem Baronum sub maiori, nec non tertiam sub mediocri sigillis eiusdem, super libertatibus dicti Regni Sclauonie omnino patenter emanatas, nobis demonstrauit, nosque series earundem coram vniuersitate nobilium dicti Comitatus Crisiensis suo modo perlegi et exponi fecissemus. Mox Egregius vir Emericus filius quondam Ladislai de Gordowa, alias dicti Regni Sclauonie bani, ... in sua ac Bartholomei et Ladislai fratrum suorum carnalium personis allegauit eo modo: Quomodo ipsi tenoribus dictarum trium litterarum regalium sumpme indigerent, petens nos suo et aliorum predictorum nominibus, vt tenorem earundem litterarum in litteras nostras transcribi facere ipsisque dare dignaremur, vberiori pro cautela. Quarum vnius tenor is est: Nos Sigismundus, Dei gracia Romanorum Rex semper Augustus ac Hungarie etc. Rex, Memorie commendantes tenore presentium significamus, quibus expedit vniuersis. Quod quamuis uigentibus in dicto regno nostro Hungarie quampluribus indebitis et illicitis artibus, per

quosdam nostros Regnicolas calumpniose excogitatis et adinuentis, quibus nostri Regnicole in rebus et bonis, nec non iuribus ipsorum possessionariis per Banos, Vicebanos, Comites et Vicecomites Comitatuum et Regnorum, sub iurisdictione nostra et sacre nostre regni Hungarie corone existentium, assidue et continue uexabantur, infestabantur et affligebantur, alias vna cum Prelatis, Baronibus et Proceribus dicti regni nostri pari et vnanimi arbitrio pro bono communi et reformatione status reipublice in eo videlicet, ne falsitas equitati, sed equitas et Justitia predominari videretur falsitati, huiusmodi actibus, in detrimentum et desolationem regni nostri exquisitis, de ipso regno nostro radicitus extirpatis; vniuersalis caterva Regnicolarum nostrorum perpetue pacis et quietis tranquilitate quiret gratulari, matura deliberatione id decreuerimus, et vbique in regno nostro singulis successivis temporibus firmiter obseruandum statuerimus, vt nullus Banorum, Vicebanorum, Comitum et Vicecomitum quorumcunque regnorum et Comitatuum sub nostra et nostre sacre corone regni Hungarie iurisdictione existentium quospiam nobiles et alterius cuiusuis status et conditionis possessionatos homines, sub iurisdictione honoris ipsorum constitutos et commorantes, in ipsorum presentias in causam attrahere, uel aduersus eosdem aliquas litium materias, tamdiu donec ipsi Bani, Vicebani, Comites et Vicecomites huiusmodi honoris fungerentur dignitate, suscitare; vniuersa etiam Judicia et queuis Judiciorum grauamina, in quibus quipiam dictorum Nobilium in presentiis prefatorum Banorum, Vicebanorum, Comitum et Vicecomitum contra quoscunque ordine iudiciario conuincerentur, non alias, nisi tempore generalis congregationis in huiusmodi Regno aut Comitatu, per quempiam aut quoscunque nostros fideles, ex nostra speciali commissione celebranda, super ipsos nobiles et alios possessionatos homines mediante condigna estimatione extorquere deberent seu ualerent. Tamen vti ex querela in personis vniuersorum Nobilium et alterius cuiusuis status et conditionis possessionatorum hominum Zagrabiensis et Crisiensis Comitatuum nostra intellexit Serenitas, Banus, Vicebanus, Comes et Vicecomes dictorum Comitatuum, ipso nostro decreto minime obseruato, mandatisque nostris in hac parte parum pensis, ipsos Nobiles ad nullius alicuius actoris uel causidici Instantiam aut Requisitionem, nisi contra semet ipsos, excogitatis contra eosdem Nobiles diuersis cautelis et calumpniis, Judices et actores simul esse volentes, in ipsorum presentias, in sedem iudiciariam dictorum Zagrabiensis et Crisiensis Comitatuum euocari et citari faciendo, diuersis Judiciorum oneribus aggrauarent, et tam prescripta Judicia, quam etiam alia, in quibus iidem Nobiles successu temporum contra alios quoscunque causidicos in presentiis dictorum Bani, Vicebani, ac Comitis uel Vice-Comitis convincerentur, non iuxta prescriptum nostrum decretum, tempore alicuius Congregationis Generalis, sed secundum uoluntatis ipsorum libitum temporibus quibuslibet supra prescriptos Nobiles exigerent et extorqueri facerent, incessanter ipsos et eorum quemlibet immaniter depredando et spoliando, in preiudicium dictorum Nobilium et dampnum contemptumque dicti nostri decreti valde magnum. Supplicatum itaque extitit in eorundem Nobilium nostre maiestati humili prece et devota, ut eis circa premissa de remedio prouidere dignaremur oportuno. Nos enim, qui ex suscepti nostri Regii Regiminis officio quorumlibet nostre ditioni subjectorum incommoda et successus asperos in finem reducere solemus concupitum, volentes prefatos Nobiles et possessionatos homines dictorum Zagrabiensis et Crisiensis Comitatuum precipuis libertatibus secundum formam

dicti nostri Generalis Decreti frui et gaudere illibate de nouo et denuo in dictis Comitatibus temporibus quibuslibet firmiter obseruandis, statuimus et committimus, vt a modo inposterum nullus quipiam Banorum, Vicebanorum, ac Comitum et Vicecomitum dictorum Zagrabiensis et Crisiensis Comitatuum pro tempore constituti, uel alter eorundem, quovsque eosdem huiusmodi honoris officio fungi contigerit, prescriptos Nobiles uel alterum eorum in ipsorum presentias in sedem dictorum Comitatuum pro quibuscunque factis contra se in causam attrahere, uel contra eosdem in dicta sede aliquam litis materiam suscitare (andeat). Vniuersa etiam iudicia seu iudiciorum grauamina, in quibus prefati Nobiles dictorum Comitatuum, uel alter earundem contra quoscunque coram eisdem conuicti extitissent, aut eosdem conuinci contigerit, non alias, nisi tempore Congregationis Generalis, per quoscunque fideles nostros ex nostra speciali commissione in medio dictorum Nobilium celebrande, extorquere debeat atque possit. Quocirca uobis fidelibus nostris, Bano uel Vicebano, ac Comiti et Vicecomiti dictorum Comitatuum ad presens constitutis et in futurum constituendis, firmo nostro Regio damus sub edicto, omnino uolentes, quatenus a modo in posterum prescriptos Nobiles et alterius cuiusuis status et conditionis possessionatos homines Comitatuum prescriptorum, contra formam prescripti nostri generalis decreti, modo quo supra, contra nosmet ipsos uestri in presentiam pro quibuscunque factis euocare, citare ac in causam attrahere, dictaque iudicia aliis temporibus, preter quam in dicta Congregatione Generali, in dictis Comitatibus celebranda, super eisdem extorquere, aut eosdem Nobiles ratione premissorum in personis, possessionibus, ac rebus et bonis eorundem impedire, molestare quouis modo, uel dampnificare nullatenus presumatis, nec sitis ausi modo aliquali, aliud facere non ausuri, gratie nostre sub obtentu. Presentes perlecte semper reddantur presentanti. Datum Cremone in festo Conversionis Beati Pauli Apostoli. Anno Domini Millesimo Quadringentesimo quarto decimo, Regnorum nostrorum Anno Hungarie etc. vigesimo septimo, Romanorum vero quarto. Alterius uero Continentia sequitur esse talis: Nos Sigismundus, Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. Rex, Memorie commendamus: Quod in presentibus tractatibus et colloquiis (cum) Prelatis et Baronibus nostris, vna cum potioribus quorumlibet huius regni nostri Hungarie Comitatuum proceribus, ex speciali nostre maiestatis commissione pro faciendis certis dispositionibus, vtilitatem et commodum ipsius regni nostri regnicolarumque nostrorum continentibus, congregatis et constitutis, inter cetera ex eorundem procerum nostrorum querulosis relatibus ad nostram ipsorumque Prelatorum et Baronum nostrorum audientiam latius est deductum, quod ipsi Proceres et Nobiles regni nostri per Capitula et Conuentus in ipso regno nostro habita, et existentes, in superfluis redemptionibus litterarum eorum super diuersis ipsorum nobilium negotiis qu . . que excipiendarum, per hominesque ipsorum Capitulorum et Conuentuum pro faciendis inquisitionibus, euocationibus, statutionibus et reambulationibus possessionariis, ac ceteris ipsorum nobilium factis iuxta regni nostri consvetudinem exequendis, pro testimoniis deputandos ratione laborum ipsorum adeo taxarentur et uexarentur, vt nonnullos ex eisdem pauperiores, ab eorum iuribus ab ipsis alienatis, et iniuriis a potentioribus eis illatis, prosequendis cessare oporteret, et supersedere, nec litem seu motionem aliquam superinde ualeret suscitare; et quod dicatores lucri Camere nostre tempore dicationis ipsius a singulis uillicis ipsorum nobilium vnam pintam uini, nouitate ad-

inuenta, ui recipere consveuissent et extorquere, in ipsorum iuris grande derogamen, oppressionemque non modicam. Supplicantes exinde sibi per nos ac dictos Prelatos et Barones nostros certam limitationem et dispositionem fieri condecentem. Ipsi itaque Prelati et Barones nostri, simul cum dictis regni nostri nobilibus, habito superinde deliberatiuo consilio et tractatu, taliter duxerunt ordinandum, et ordinarunt vnanimi uoluntate, vt dicta Capitula et prefati Conuentus de singulis litteris euocatoriis, proclamatoriis, statutoriis et reambulatoriis, in quibus scilicet contradictio secuta fuerit, item expeditoriis, prohibitoriis et fassionalibus, super facto uidelicet possessionarie impignorationis, et huiusmodi patenter vtputa emanandis, singulos uiginti quatuor denarios nouos, de simplicibus uero inquisitoriis et aliis consimilibus clause dandis singulos duodecim denarios, de priuilegialibus quoque et super perpetuitate possessionaria constituendis centum denarios, homo autem ipsius Capituli uel Conuentus, qui ad faciendas inquisitiones, euocationes, statutiones et reambulationes possessionarias, ac ad alia quecunque facta peragenda pro testimonio ducitur, si in equo proprio ierit, tunc pro singulis diebus singulos uiginti quatuor denarios, si uero in equo illius, cuius factum exequitur, ductus fuerit, pro quolibet die duodecim denarios et non vltra recipere ualeant atque possint; dicatores etiam prefati lucri Camere nostre dictam pintam uini a uillicis ipsorum nobilium recipere non presumant, nisi redemptionem dicarum tantummodo tollere debeant. Ceterum quia plerique falsificatores et falsarum monetarum cusores, pecuniarumque abrasores in diuersis locis ipsius regni nostri existere perhibentur, ex quo tam nobis et fisco nostro regio in nostris quam dictis Prelatis, Baronibus, Nobilibusque et possessionatis dicti Regni nostri hominibus in eorum prouentibus, decimarumque, collectarum et dacionum solutionibus maxima dampna, defectusque non modicos creberrime euenisse, et de die in diem euenire dignoscuntur. Ideo iidem Barones cum dictis Proceribus statuerunt, vt predicta falsa moneta pecunie abrase apud quemcunque habita, et existens, infra quindecimum diem festi Epiphaniarum Domini nunc uenturum penitus suffocetur, depereat et aboleatur, nec quispiam hominum ipsam secum portare et cum ea forisare audeat. Si quis uero cuiuscunque status et conditionis homo, ausu temerario, huiusmodi falsam monetam pecuniam circumcisam post tempus premissum secum portare, aut cum ipsa emptiones et forisationes quasuis facere presumpserit, et erga quempiam in quibuscunque locis et foris huiusmodi pecunie inuente fuerint, talis procul dubio comburetur. Et hec uolumus per fora et loca publica, vbiuis in dicto regno nostro palam facere proclamari, presentesque sigillo nostro maiori, quo vt Rex Hungarie vtimur, fecimus consignari. Datum in festo Beate Marie Virginis Anno Domini Millesimo Quadringentesimo decimo septimo, regnorum nostrorum Anno Hungarie etc. Trigesimo primo, Romanorum uero Septimo. Tertie uero series sequitur in hec uerba: Nos Sigismundus, Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungarie etc. Rex, Memorie commendamus: Quod fideles nostri Thomas Litteratus de Mindzenth et Stephanus dictus .... ad nostram ueniendo presentiam exhibuerunt nobis quamdam Copiam Bulle seu littere Sedis Apostolice, tempore Sanctissimi in Christo Patris domini Benedicti Pape emanate, cum quadam additione et nostra subinscriptione in margine eiusdem facta, sigilloque nostro minori abolito consignatam, tenorum subsequentium, supplicantes nobis humili prece ac deuote ..... eiusdem Copie cum ipsa additione uerbotenus transcribi, et

transcriptum sub consignatione sigilli nostri mediocris, ipsis dari facere dignaremur. Cuius quidem Copie continentia talis est: Benedictus Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabili Fratri Archiepiscopo Strigoniensi Salutem et Apostolicam benedictionem. Contingit interdum aliquam consvetudinem reperiri, que recto rationis obuiet, mortalitatis venustati repugnet et sacris presertim Canonibus contradicat, illa ueluti corruptella est Principis auctoritate sonora extirpanda radicitus, penitus abolenda et omnino a vulgarium errorum obseruantia precidenda, talisque circa id debet cautelle prouisio adhiberi, scripturis authenticis et perpetuis Codicibus commitenda, quo in parte deriuetur in posteros, et in illis memoriter propagetur, ne in recidiue contagium per obliuionis rubricam demergatur, fiatque propterea eius detestabilis, iamque dampnate obseruantia rediuiua. Nuper siquidem, ex insinuatione charissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Hungarie illustris ad Apostolicum nostrum peruenit auditum, quod in regno suo Hungarie quedam abusio detestabilis inoleuit, uidelicet, quod cum contigit aliquem quocunque modo interfici hominem, ipse interfectus etiam, si testatus decedat, ad Ecclesiasticam nullatenus dimittitur sepulturam, nisi pro eo, vltra omnia funeralia et alia in talibus alicubi consuetudinem vna marca argenti seu marce vsualis monete, illius terre Archidiacono uel uices gerenti eius, in cuius Archidiaconatu idem interfectus sepeliri debet, pro ecclesiastica sepultura plenarie persoluatur. Quod si bona interfecti uel interfectoris ad hoc non suppettant, et propterea restet dicte marce solutio facienda per Archidiaconum uel ipsius uices gerentem, prefatos omnes de parochia ecclesie, vbi talis interfectus sepeliri debet, supponuntur ecclesiastico interdicto, donec de huiusmodi marce dicto Archidiacono uel suo uices gerenti predicto extitit satisfactum. Quare nobis idem Rex humiliter supplicauit, vt de tollenda prorsus abvsione prefata et iniusta exactione predicte marce pro huiusmodi sepultura effectualiter prohibenda, prouidere, de circumspecta Apostolice Sedis Clementia dignaremur. Nos igitur iustum et rationabile merito reputantes, pro sanctionibus etiam canonicis obseruandis fore per Apostolici fauoris presidium in hac parte solide et perpetue prouisionis remedium opponendo, piis et honestis super hoc ipsius Regis uotis efficaciter annuendo, fraternitati tue per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si premissa inueneris ita esse, cum pretacta consvetudo euidenter appareat exorbitare a matris tramite, nec non ab honestatis debito discrepare, prefatam consuetudinem, tamquam iniquam et labem Simoniacam continentem, dum modo aliud Canonicum non obsistat, authoritate Apostolica patenter detesteris et tollas, eamque facias omnino cessare, ac eandem authoritate generaliter prohibeas, ne aliqui presumant in posterum illam aliqualiter obseruare, nec ex causa dicte sepulture vlterius marcam exigere uel recipere memoratam, contradictores per censuram ecclesiasticam sublato Appellationis obstaculo compescendo, non obstantibus abvsu longeuo consuetudinis antedicte, seu proscriptione, qui possent forsan in contrarium cauillose ab aliquibus allegari, siue aliquibus his, per que tradite tibi super hoc potestatis exercitio minus rationabiliter posset quomodolibet impediri, aut si aliquibus communiter uel diuisim ab eadem sit sede indultum, quod excommunicari, suspendi uel interdici non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam, et de uerbo ad uerbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum apud pontem Sergie An.. ensis Dioecesis. Idus Augusti Pontificatus nostri Anno primo. Istius uero Additionis series hec est:

Nos Sigismundus, Dei gratia Rex Hungarie, Dalmatie, Croatie etc., Marchioque Brandeburgensis etc., Sacri Romani Imperii Vicarius generalis et Regni Bohemie Gubernator, Memorie commendamus per presentes. Quod littera Apostolica Sanctissimi in Christo Patris condam domini Benedicti Pape tenoris suprascripti cum Bulla Cannapina appensa, coram nobis producta exstitit, quam in specie omni suspicione carentem conspeximus, et nostro conseruatorio seu Thesaurario commisimus reponi, presenti uero transscripto pro testimonio sigillum nostrum apponi mandauimus euidentiori transscripta. Bude decimo octauo die May. Anno Domini Millesimo Quadringentesimo quinto. Nos itaque iustis supplicationibus prefatorum fidelium nostrorum Thome Litterati et Stephani per eosdem nostre humiliter porrectis maiestati, pie exauditis, tenorem ipsius Copie ipsis sub cum eadem Additione transscribi et transscriptam eiusdem de verbo ad verbum consignatione dicti sigilli nostri mediocris dari fecimus vberiorem ad cautellam. Datum Bude, Sabbatho proximo ante festum beati Jacobi Apostoli, Anno Domini Millesimo Quadringentesimo decimo septimo. Vnde nos petitionibus annotati Emerici in sua .... fratrum suorum personis nobis porrectis inclinati, tenores predictarum trium litterarum de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali presentibus litteris nostris patentibus transscribi et transumpmi faciendo eisdem filijs ladislai Bani duximus concedendas. Datum Crisii sexto die termini prenotati Anno Domini Millesimo quadringentesimo decimo octauo.

(Locus Sigilli appressi.)

Orig. membr. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 13.

CXXXIII.

Anno 1432.

Statutum Sigismundi Regis, de Marturinis in Regno Slavoniae secundam antiquam consvetudinem ejusdem Regni dicandis et exigendis, anno 1432. exaratum.

Commissio propria Domini Regis.

Sigismundus .... Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex. Spectabili et Magnifico Hermano Cilie, Zagorieque Comiti, nec non Regn .... dilecto Salutem et gratiam. Pro parte vniuersitatis fidelium nostrorum Nobilium

regni nostri Sclauonie nostre extitit Cels .... et Jobagiones propter illegitimas mardurinarum dicationes et exactiones, ac intollerabiles, inconsvetosque et indebitos descensus .... et varias calumpniarum impositiones, horrendas etiam et inauditas patrationes ac iniustorum birsagiorum exactiones ...... panibus, pullis et cera extorsione, quas Annis singulis uestri in dicatione et exactione mardurinarum .... temporibus condam Serenissimi Patris et Soceri nostri carissimi domini ..... misericorditer .... super quibus .... querulose porrexissent, et taliter iam paupertatis oneribus essent oppressi .... persistere possent debit .... Domini per huiusmodi depauperationem suorum Jobagionum, et etiam per calumpniosas ..... innouatione mediante .... desuper Maiestati; propter quod nostro culmini humiliter supplicarunt, vt dignaremur per opportuna remedia prouidere, ne .... dicator ... pro tempore constituti premissa et premissorum aliquod contra et supra consvetudinem eorundem ab antiquo obseruatam possent aut valerent facere, vel quouis ..... huiusmodi iniustas et insolitas exactiones et vexationes permittere introduci et (in) consvetudinem trahi, quarum grauedines (sic) ...... streme pauperum clamoribus eiulatissimis penetraretur celum, et deus, qui cunctorum adiutor et releuator oppressorum flectere .... ad faciend ..... debitam vlteriorem, nobisque nutu diuino regno prefato presidentibus, et vobis, qui nostras in eodem regno vices geritis, non gloria, nec vtilitas, nec honoris ..... tantummodo culpe omnigena accumulatio esset, exinde, nisi remediaretur, indubitanter prouentura, cum nulla possit subsistere ignorantie excusatio, aut .... Magnificus Nicolaus de Gara, regni nostri Hungarie predicti Palatinus, viuuntque et alii, a quibus certitudinaliter de consuetudine in premissis prelibati regni .... Sclauonie litteratorie, aut vocaliter edoceri poteritis, qui honore Banatus memorati regni nostri Sclauonie functi in premissis et circa premissa omnia nec per se, nec ..... mardurinarum dicatores vllo tempore limites equitatis et consuetudinis dicti regni nostri Sclauonie fuere transgressi. Quorum reuera temporibus nulla super talibus ...... nostre clementie aures fatigauit. Cum autem nostre et vestre indicet etas vite, nos proximiores iuuenibus fore debitum soluere nature, minus ergo nobis et vobis ..... e iuuenibus liceat vltionem super nos iustissimi dei prouocare. Sed conuenit ex debito in omnibus equitatem obseruare. Quapropter vestre fidelitatis grati ..... hortamur affectibus, atque eidem regio sub edicto seriosius precipimus, quatenus statim receptis presentibus, in et super omnibus premissis ..... prescripto domino .... alis, si qui nunc premissorum notitiam habent, informatione habita, pretermissis aliis vestris agendis, personaliter ad id vocare, et assumptis ad vos nobilibus ...... oribus ipsius regni nostri Sclauonie, fide et probitate laudabiliter famatis, disponatis et omnino ordinetis .... fiat dicatio et exactio mard ... nec non et descensuum ac victualium, presertim auene, panum, pullorum et cere dacio secundum antiquam et limitatam consuetudinem ab antiq .... quondam Regis Ludouici in talibus obseruatam, et ita fixam in premissis et circa premissa ordinationem, dispositionem et limitationem faciat .... liter quoad auenam, panem, pullos et ceram, vt successu temporis nec nos aut nostros successores, nec etiam vos .... at de necessitate ..... in his subire labores. Quoniam nolumus, vt per detrimenta nostre anime et .... secus ergo nullatenus facere presumatis in premissis .... etiam post earum .... prima post festum purificationis Beate Marie Virginis gloriose Anno Domini Millesimo quadringen-

tesimo trigesimo secundo, regnorum nostrorum Anno Hungarie etc. quadragesimo quinto, Romanorum uigesimo primo et Bohemie duodecimo.

(Locus Sigilli Regii appressi.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 15.

CXXXIV.

Anno 1434.

Edictum, a Sigismundo Rege anno 1434 datum, de tributis exigendis, militibusque contra Haereticos et Turcas cogendis, in quo juris liberae electionis Regni Capitanei prima mentio occurrit.

Commissio propria Domini Imperatoris.

Sigismundus, Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex, fidelibus nostris grate dilectis vniversis et singulis Baronibus, Nobilibus et quibusuis possessionatis hominibus regni nostri Sclauonie in Comitatu Crisiensi constitutis et commorantibus, salutem et gratiam. Quia Sacrum Basiliense Concilium ad exstirpationem et destructionem hereticorum Hussitarum de regno nostro Bohemie specialiter intendens, inter ceteras prouidas ordinationes pro huiusmodi salubri negotio feliciter exequendo statuit et conclusit, vt per totam Christianitatem semidecime, id est vigesima pars decimarum, et similiter omnium aliorum certorum prouentuum annualium, ab omni clero, cuiusuis ordinis et libertatis existat, tam exempto, quam non exempto, ab vniuersis uero Principibus, Comitibus, Baronibus, proceribus, militibus, clientibus, ciuibus, ciuissis, familiaribus, mancipiis, diuitibus et pauperibus, qui annuales prouentus et census habent, siue tales prouentus existant in prompta pecunia, siue in vino, blado, vel aliis quibuscunque rebus, estimari et preciari possibilibus, quinquagesima pars seu quinquagesima, denarius vtputa de quinquaginta florenis vnus, de aliis vero rebus mobilibus in prompto repositis, vtputa Thesauris aut pecuniis ad debita mutuatis, ad valorem iustum estimatis, de mille florenis vnus, aut vbi mille floreni minus vel magis existerent, secundum estimationem condecentem, exceptis tamen equis, armis et ad ea spectantibus argenteriis, ornatibus et vestibus, que ad personas eorum spectant; item a qualibet persona, nullos certos prouentus habente, sex denarii vsuales exigantur: ad congregandum et stipendiandum gentes armatas et ad alia opportuna remedia destruendi, elimi-

nandi et exstirpandi hereticos memoratos. Nosque aduertentes et oculis nostris visibiliter conspicientes oratores, ambasciatores et legatos omnium Principum et Regnorum fere totius Christianitatis in ipso Sacro Concilio constitutos, preattactam ipsius Sacri Concilii ordinationem nominibus Principum et Regnorum, a quibus missi sunt, affectuosis voluntatibus acceptasse, considerantes nihilominus ipsum regnum nostrum Hungarie vicinius grauiusque insultibus, non solum ipsorum hereticorum, verum etiam Turcorum et aliorum emulorum nostrorum perturbari et lacerari, quam alia regna remotiora, que ad eorundem hereticorum destructionem et diminationem anhelantium, predictam impositionem et ordinationem nedum acceptare, verum magis fieri procurare cupierunt, vna cum fidelibus nostris Consiliariis nobiscum hic existentibus mature superinde deliberantes decreuimus, eandem dispositionem nostro et regni nostri Hungarie et aliorum Regnorum nostrorum nominibus rationabiliter acceptandam, nec aliqua causa honesta refutare debendam; cum in hoc negotio, presertim ipsius regni nostri Hungarie, cuius magna pars per insultus dictorum Turcorum iam deuastata est, in hac parte specialiter defensionis causa tractari videatur, idcirco fidelitati vestre et vestrum cuiuslibet firmissimo damus sub edicto, quatenus statim visis presentibus, dilationibus et subterfugiis procul motis, ad preattactam impositionem ipsius quinquagesime et aliarum impositionum superius declaratarum, vel si considerata magnitudine guerrarum regno nostro ex parte ipsorum Hussitarum et Turcorum ac aliorum emulorum ingruentium predicta impositio parua fore visa fuerit, extunc maiores impositiones secundum deliberationem Prelatorum, Baronum et regnicolarum nostrorum limitande, ex medio vestre vniuersitatis certas et idoneas personas fidedignas, Nobiles notabiles, et super premissis rationem dandi facultatem habentes, qui vobis visi fuerint, eligere et deputare debeatis, qui videlicet dictas impositiones ab vniuersis et singulis prenotatis cuiusuis status et conditionis hominibus in predicto Comitatu possessiones Seculari iure habentibus et tenentibus, quoad Seculares personas duntaxat, dicent, exigant et congregent, et de eisdem secundum vnanimem et concordem ordinationem et commissionem vicariorum nostrorum, et vestram, ceterorumque fidelium regnicolarum nostrorum gentes et homines exercituales, in rebus bellicis bene peritos, vna cum Spectabili et Magnifico Hermanno, Cilie et Zagorie Comite, Regnique nostri Sclauonie Bano, socero nostro charissimo et fideli sincere dilecto, vel eius Vicebano seu Vicecomite Comitatus predicti ..... adiuncto sibi aliquo de vestri medio per vos eligendo ipsis gentibus exercitualibus pro Capitaneo .... similiter de vestri medio stipendietis et appromptuetis taliter ... cum ..... ligencia, vt in estate presenti tempore debito aduersus dictos Turcos aut hereticos, seu alios emulos, ad quascunque partes magis necesse fuerit, vna cum eisdem procedere ualeant, et nos p......... in breui proposuimus cum auxiliis earundem gentium ad destructionem dictorum Turcorum ac hereticorum, seu aliorum emulorum prompti esse valeamus, prouidentes tamen, vt ipsi per uos deputati predictas collectas pecuniales superfluis expensis super eos fiendis non minuant, neque grauent eos, a quibus erunt exigende. Quidcunque vero ex huiusmodi pecuniis a stipendiatione et promptuatione gentium exercitualium forsitan residuum fuerit, apud manus dictorum collectorum seu aliorum fideles manus, provt vobis visum fuerit, pro vlterioribus vtilitatibus et defensionibus dicti Regni nostri Hungarie disponatis conseruandum. Ceterum cum ex causis animum nostrum inducentibus sigilla nostra

regia penes nostram Maiestatem reseruanda duximus; fidelitati vestre et cuiuslibet vestrum firmissime mandamus, quatenus vniuersis et singulis nostris litteris preceptoriis, nomine nostro Imperiali et Regali scribendis, sigilloque Reuerendissimi in Christo Patris Domini Georgii Archiepiscopi Strigoniensis Vicarii nostre maiestatis, cui ad id faciendum cum plena nostra auctoritate mandatum dedimus speciale, consignandis, tanquam proprio sigillo nostro sigillatis, omnimodam obedientiam adhibere debeatis, fidelibus nostris prefatis Comiti Cilie et Bano, eiusdemque Vicebanis. nec non Vicecomitibus ac Judicibus Nobilium Comitatus prenotati hoc idem firmis nostris damus in mandatis. Et aliud in premissis nullo modo facere presumatis. Datum Basilee feria quinta proxima post festum Beati Ambrosii Episcopi et Confessoris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quarto, regnorum nostrorum Anno Hungarie etc. XLVIII^vo., Romanorum XXIIII^to., Bohemie XIIII^to., Imperii uero primo.

(*Locus Sigilli Regii appressi.*)

Originale in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 16.

CXXXV.

Anno 1435. die 4. Aprilis. Posonii.

Insulam Vegliam ad Coronam et Regnum Croatiae pertinuisse, hoc Documento probatur.

Nos Capitulum ecclesie Zagrabiensis memorie commendantes tenore presentium significamus quibus expedit vniuersis. Quod nos litteras Serenissimi principis domini Sigismundi, dei gratia Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Regis, domini nostri naturalis, Introductorias, Statutorias et Restatutorias. nobis preceptorie loquentes, obediencia, qua decuit, recepimus, in hec verba: Sigismundus dei gracia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex, fidelibus nostris Capitulo ecclesie Zagrabiensis Salutem et graciam. Noveritis, quod nobis tempore date presenciarum, vna cum Prelatis et Baronibus ac dicti regni nostri Hungarie proceribus pro prenominatis regni nostri negociis expediendis, hic Posonij constitutis, Spectabilis et Magnificus Vlricus Comes Cilie, filius Spectabilis Friderici similiter Comitis Cilie ex Magnifica domina Elizabeth vocata, filia olim Magnifici Stephani, Segnie, Wegle et Modrusse Comitis, natus, presentibus et audientibus Spectabili ac Magnificis Johanne et Stephano, Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie predictorum Banis, Item Nicolao, Bartholomeo, Dionysio, Sigismundo, Andrea et Ivano, filiis quondam Nicolai, similiter Segne,

Wegle, Modrussie Comitis, proposuit eo modo: Quod quamuis olim Magnificus Joannes Comes Segnie, Wegle et Modrussie, avus videlicet ipsorum Banorum et Comitum, mediantibus literis et instrumentis efficacibus, superinde confectis, et coram nostra maiestate in specie productis, inter cetera, in eisdem litteris et instrumentis plenius contenta, triginta duo Millia florenorum auri puri et iusti ponderis in dotem et ratione dotis predicte quondam domine Elizabeth, matris ipsius Comitis Vlrici, sponte et liberaliter ordinasset, disposuisset et promisisset, pro quibus quidem triginta duobus Millibus florenorum auri medietatem insule Wegle, nec non Castra Tersath, Bukarij et Berberij vocata, cum omnibus iuribus et proventibus eorum, nec non villam Birchopag, ac vineam in Vinodolio, penes mare, prope villam dictam Selca sitam, ad habendum et vsufruendum, quemadmodum predictus quondam Comes Stephanus, pater eiusdem domine Elisabeth possedisset et tenuisset, nomine et titulo pignoris obligasset, eademque domina Elizabeth, mater ipsius Comitis Vlrici, ipsam medietatem insule simul cum predictis Castris et eorum pertinentijs, ratione sue dotis, titulo iusti pignoris, vsque vite sue tempora pacifice et absque contradictione tenuisset, possedisset, et vtilitates, emolumenta et proventus eorum percepisset et percipi fecisset. Tamen eadem domina Elizabeth, provt domino placuisset, ab hac vita sublata, mox prefatus quondam Comes Nicolaus, pater videlicet predictorum Banorum et Comitum Johannis, Stephani, Nicolai, Bartholomei, Dwymi, Sigismundi, Andree, Ivani, antefatam medietatem insule Wegle, nec non Castra prenominata, villamque Birchopagh ac vineam supradictas, a manibus ipsius Comitis Vlrici, suorumque officialium, nulla sibi et predictis triginta duobus Millibus florenorum auri, in eum iure materno devolutis, satisfactione impensa, potentialiter occupasset, et occupatas per nonnulla tempora detinuisset. Nuncque prenominati Bani et Comites, filii ipsius quondam Comitis Nicolai, huiusmodi medietatem ipsius insule Wegle, supradictam, simul cum certa parte aliorum Jurium suorum maternorum occupatiue et indebite detinerent, prouentusque et vtilitates ac obuenciones ad summam adminus usque decem Millium florenorum ipsi Comiti Vlrico prouenire debencium se extendentes, a principio occupacionis vsque in presens tempus de eisdem extrahendo et percipiendo; supplican.. idem Comes Vlricus, super premissis ex parte prefatorum Banorum et Comitum Segnie de iuris et iusticie remedio prouideri; cumque nos hijs auditis et perceptis, per prefatos Johannem et Stephanum Banos ac alios Comites fratres eorum prenotatos, vna cum dictis Prelatis et Baronibus nostris, racioni huiusmodi occupacionis et detencionis dicte medietatis insule Wegle aliorumque premissorum, in nostra ac dictorum Prelatorum ac Baronum nostrorum presencia proponi et allegari petiuissemus et audire voluissemus, ipsis siquidem Banis et Comitibus Segnie premissa non abnegantibus, diuersisque inter partes vtrasque per certos Prelatos et Barones nostros, per Maiestatem nostram ad id deputatos, colloquiis seu interlocucionibus prehabitis, tandem prefati Comes Vlricus personaliter hinc, inde uero prenominati Johannes et Stephanus Bani, Comitesque Nicolaus, Bartholomeus, Dwymus, Sigismundus, Andreas et Iwanus, pro se similiter personaliter et pro Martino absente fratre eorum vterino, totum omus et grauamen eiusdem in omnibus et singulis supra et infra scriptis in se ipsos assumpmendo, se vtrumque sponte et voluntarie uiue uocis ipsorum confessione oretenus facta, in et cum totali causa premissa, omnibusque et singulis eiusdem cause dependencijs, con-

nexis et sequelis quibuscunque, et eadem et eius quibusuis articulis rationabiliter deriuari et oriri possibilibus, nostre maiestatis manibus, arbitrio, determinacioni et declaracioni omnimode submiserunt, assignarunt et ex vtraque parte manu tradiderunt. Nos itaque ex innata nobis indicione benignitatis, qua cunctorum nobis subiectorum paci et tranquillitati jugiter indefessum affectum solemus adhibere, cupientes partes inter predictas sanguinis et affinitatis uinculum, iure geniture affectum, concordij et mutui amoris indissolubilitate perpetua combinare, vna cum prenominatis Prelatis et Baronibus nostris vtriusque parcium premissarum allegationibus, responsionibus, probacionibus, iuribus, litteris, instrumentis auditis, uisis, intellectis et debita maturitate compensatis, predictis eciam ambabus partibus uolentibus, consentientibus et acceptantibus, ac infrascripta se presentialiter oretenus obligantibus, pro bono pacis et fraterni ac mutui amoris obseruacione, inter ipsas partes perpetuanda et iugiter seruanda, postergatis, remotis et amputatis omnibus iuris rigoribus, grauaminibus et censuris, que secundum Regni nostri legem et consvetudinem occasione premissorum ordinarie et iudicialiter persecutorum et deductorum oriri, sentenciari et pronuntiari potuissent, commisimus, ac arbitrarie sententialiter commisimus, composuimus et conclusimus in hunc modum: Quod licet prefatus Comes Vlricus predicta iura sua materna modo antelato primum per olim antefatum quondam Comitem Nicolaum totaliter, et tandem per supranominatos filios ipsius parcialiter indebite occupata et detenta fore, nuncque per eosdem similiter detineri mediante potentia, in quorum omnium vsufructuum et prouentui percepcione predicta decem Millia florenorum auri, dampni percepisse in sui preiudicium allegauerit; tamen ex nostra dictorumque Prelatorum et Baronum nostrorum tranquilla et amicabili compositione presenti, ipse Comes Vlricus de predicto facto potencie, in occupacione et detencione huiusmodi quomodolibet commisse, simul cum dictis decem Millibus florenorum auri, omnibusque aliis prouentibus, ex predictis iuribus suis maternis occupatis, per predictos Banos et alios Comites Segnie etc, et ad eos pertinentes hucvsque perceptis, extractis, condescendendo, eosdem Johannem et Stephanum Banos, nec non Comites Segnie, fratres eorum prenotatos, eorundemque heredes, familiares et quoslibet ad eos pertinentes, pure et simpliciter liberos, expeditos et absolutos, reddere et committere, ipsi uero Johannes et Stephanus Bani ceterique Comites prenotati predictum Comitem Vlricum in pacificum dominium et realem possessionem sepetacte medietatis insule Wegle ac omnium suarum pertinentiarum, nec non villa Birchopagh et ipsius vinee in Vinodolio, penes mare prope villam dictam Selce habita, per memoratum quondam Comitem Johannem auum ipsorum olim domine Katharine, auo ipsius Comitis Vlrici, mediantibus suis litteris priuilegialibus, coram nobis productis, imperpetuate, omnique et singularum tenutarum pertinencium et contractorum Castrorum Cersach (sic), Bwcharij et Berberij, si quas fortassis ab eisdem retraxissent, occupassent seu impediuissent, absque qualibet vlteriori resistencia et contradiccione intromittere et imponere ac in eisdem et eorum dominio, et pacifica ac reali possessione, vsufructuacione, prouentuum et omnium vtilitatum integra percepcione, sub titulo et nomine ueri et iusti pignoris predictis triginta duobus Millibus florenorum auri permittere et possetenus manutenere et defendere teneantur tamdiu, donec easdem medietatem insule nec non Castra et villam supranominatas cum earum pertinencijs, iuxta contenta literarum et instrumentorum, superinde conscriptorum et confectorum, simul

aut successiue, ipsi uel eorum heredes, potuerint uel uoluerint, legitima redempcione mediante, ab ipso Comite Vlrico uel eius successoribus eximere et liberare, tali obligaminis uinculo interserto: quod in casu, quo ipsi Bani Johannes et Stephanus et ceteri Comites Segnie fratres eorum sepius nominati, seu ipsorum aliqui uel aliquis, per se uel per alios subordinatos, premissam composicionem, in toto uel in parte irritando aut infringendo, memoratum Comitem Vlricum in plenum et pacificum dominium, omni in premissa composicione conscriptorum absque contradiccione non intromitterent, uel ipsius et eius heredes successu temporis in eisdem et eorum vtilitate et prouentibus non conseruarent, seu ante tempus prenominate legitime redempcionis inquietarent, perturbarent aut dampnificarent, extunc ipsi in facto potencie eo facto conuincantur, ipsi autem Comiti Vlrico, seu eius heredibus, omne ius, interesse et actio predictorum decem Millium florenorum et omnium aliorum de dictis suis iuribus maternis occupatiue et minus licite perceptorum et percipiendorum, remanere debeat semper saluum. Ad que omnia et singula premissa firmiter et inmutabiliter adimplenda partes predicte se astrinxerunt et obligauerunt personaliter, ac nostro in conspectu; uerum quia ad restitucionem omnium et singulorum premissorum noster et uester homines necessario sunt transmittendi, ideo fidelitati uestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus uestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo presente Ladislaus de Zenche uel Georgius de Bykzad, aut alter Georgius de Greben siue Stephanus Rwhyngus de Bathyna, siue Stephanus filius Andree filii Henrici de Rohonch, alijs absentibus, homo noster per nos ad id specialiter deputatus, octauo die festi beati Georgij martyris proxime uenturi, et alijs diebus, ad id aptis et sufficientibus, ad facies prescripte medietatis insule Wegle, nec non prenominatorum Castrorum, uille et uinee ac vniuersarum pertinenciarum et vtilitatum earundem, accedendo, introducat prefatum Comitem Wlricum in dominium earundem, eidem et suis heredibus premisso titulo pignoris possidenda; predictorum Johannis et Stephani Banorum ac aliorum fratrum ipsorum Comitum Segnie supranominatorum contradiccione non obstante. Et post hec huiusmodi introduccionis et statucionis seriem, vt fuerit expediens, nobis fideliter rescribatis. Datum Posonii in festo beati Ambrosij Episcopi et confessoris Anno domini Millesimo quadringentesimo tricesimo quinto. Regnorum nostrorum Anno Hungarie etc. quadragesimo octauo, Romanorum uigesimo quinto, Bohemie quintodecimo, Imperij uero secundo. Vnde nos mandatis ipsius domini nostri Imperatoris et Regis semper obedire cupientes, vt tenemur, vna cum prefato Stephano Rwhyng de Bathina, homine sue maiestatis, ad id specialiter deputato, nostrum hominem, uidelicet honorabilem uirum Magistrum Fabianum de Rowycha, socium et concanonicum nostrum ad premissa fideliter peragenda nostro pro testimonio transmisimus fidedignum, qui tandem exinde ad nos reuersi, nobis vniformiter retulerunt, quod prefatus homo ipsius Serenitatis, presente dicto nostro testimonio, pretacto octauo die predicti festi beati Georgii martyris proxime preteriti, et alijs diebus ad id aptis et sufficientibus, ad facies prescripte medietatis insule Wegle, nec non prenominatorum Castrorum, uille, uinee, ac vniuersarum pertinenciarum et vtilitatum earundem accedendo, introduxisset prefatum Comitem Vlricum earundem in dominium, statuissetque et restatuisset easdem eidem et suis heredibus premisso titulo pignoris possidendas, predictorum Johannis et Stephani Banorum ac aliorum fratrum ipsorum Comitum Segnie prenominatorum contradiccione non

obstante. In cuius rei memoriam presentibus sigillum nostrum duximus appendendum. Datum uigesimo secundo die diei introduccionis, statucionis et restatucionis predictarum. Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo quinto supradicto.

Orig. in c. r. aulico Archivo Vienensi.

CXXXVI.

Anno 1435. 7. Aprilis Tinninii.

Sedem judiciariam Tiniensem in Regno Croatiae fuisse in eaque juxta consvetudinem Regni Croatiae justitiam administratam fuisse, hoccc documento docetur.

Nos Capitulum ecclesie Tiniensis memorie commendantes significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis: Quod in nostram personaliter veniens presenciam vir nobilis Andreas Woksich de Starauaz, legitimus procurator spectabilis et magnifici domini Nicolai de Frangepanibus, Wegle, Segnye, Modrusieque etc. Comitis. Idem Andreas nobis exhibuit quamdam litteram honeste sedis Tiniensis, petens nos debita cum instantia, vt eandem transscribi et acopiari dignaremur. Cuius quidem litere tenor per omnia talis est: Nos Iwan Wladkonis Milinich, locum tenens Dalmacie et Croacie Vicebanatus, Nicolaus Mendesich de genere Bucichiorum, Symon Budoyessich de genere Vhnachac et Wok Berislauich de genere Ciprianorum, iudices iurati nobilium Coruatorum sedis Tiniensis, memorie commendantes tenore presencium significamus quibus expedit per presentes. quod cum nos vna cum Nobilibus Regni Crouacie nonnullis consedissemus, ad ius reddendum vnicuique postulantibus eam, tunc de medio aliorum causidicorum exurgens coram nobis vir nobilis Andreas Wksich de Starawaz de Bussan, legitimus procurator viri magnifici domini Nicolay filii quondam Nicolay de Frangepanibus, Wegle, Segnye, Modrusie etc. Comitis, nomine et in persona ipsius Magnifici Comitis, nos de consuetudine Regni Crouacie tali modo interogasset, dicens: Quod licet predictus Magnificus quondam Nicolaus de Frangepanibus, Wegle, Segnye, Modrussie etc. Comes, Regnorum Dalmacie et Croacie Banus, pater prenominati moderni domini Nicolay de Frangepanibus, eorundem Wegle, Segnye, Modrusie etc. Comitis, quasdam possessiones seu Comitatuum Bussane uocatas a Serenissimo principe domino Sigismundo, dei gracia Rege Hungarie etc. pro pignore habuisset: nunc autem date nobis consuetudinem Regni Crouacie; si idem quondam magnificus dominus Nicolaus Comes et Banus easdem possessiones seu Comitatum Bussane dictum, sibi pignori obligacione proueniens. filio suo prenominato moderno magnifico do-

mino Nicolao, aut vxori eiusdem, vel aliquibus aliis dare, alienare, vendere vel impignorare potuisset vel non. Nos ... eo prenominati Iwan locumtenens vicebanatus, ac Judices, vna cum nonnullis Nobilibus Regni Crouacie, nobiscum in Judicio consedentibus, habito inter nos maturo consilio et deliberatione, secundum consuetudinem Regni Coruacie (sic) inuenimus et deliberauimus ac consuetudinem Regni Crouacie dedimus: Quod prenominatus quondam Magnificus dominus Nicolaus de Frangepanibus, Wegle, Segnye, Modrussie etc. Comes, Regnorum Dalmacie et Crouacie Banus, possessiones in Comitatu Bussan, sibi pignori obligatas, filio suo moderno Nicolao, vel eiusdem filii sui, seu aliis quibusuis (et) quibuscunque voluisset, liberam habuisset facultatem dandi, vendendi, alienandi et pignori obligandi. In cuius rei testimonium atque robur presentes, cum appressione sigilli nostri, duximus roborandas. Datum Tininij feria secunda proxima post festum Epiphaniarum domini, anno eiusdem domini Millesimo CCCC° Tricesimo quinto. Nos itaque predicti Andree, suis iustis et legitimis peticionibus annuere cupientes, predictas litteras sanas et integras reperiendo, ipsius Iwani et Judicum Nobilium eorum autentico sigillo consignatas inuenimus. Quas transscribi et accopiare fecimus, nil hadendo nec diminuendo, nostroque sigillo Capitulari in locum ueritatis (?) sibi exhibendo cum appensione duximus roborandas. Datum in predicta nostra ecclesia Cathedrali in die sancti Dyonisi. Anno Domini quibus vt supra.

(Sigillum Capitulare pendens)

Orig. membr. in Archivo Regni Croatiae. N. R. A. Fasc. 1593. N. 20.

CXXXVII.

Anno 1439.

Matko de Thalovec, Regni Dalmatiae, Croatiae et totius Slavoniae Banus, jus Statuum et Ordinum Regni Slavoniae Prothonotharium eligendi confirmat.

Nos Matko de Talloucz, Regnorum Dalmacie, Croacie ac tocius Sclauonie Banus, memorie commendamus, tenore presencium significantes, quibus expedit vniuersis. Quod nobis feria secunda proxima ante diem diei medie Quadragesime, Crisii vna cum Regni Nobilibus existentibus, iidem Nobiles inter alias dispositiones per nos cum ipsis ibidem pro communi bono factas, nobis studuerunt declarare: Quod nempe ipsis multorum Regum Hungarie Dominorum ipsorum naturalium, et Banorum eiusdem Regni Sclauonie, nostrorum scilicet predeces-

sorum temporibus, Protonotarios seu Conseruatores sigillorum Banorum in ipso regno pro tempore constitutorum pro iusticia comuni ministranda elegerint, et eligere consueuerint; tamen a quibusdam paucis retroactis annorum curiculis .... Bani ipsius regni eosdem nobiles de huiusmodi eorum consuetudine in electione Protonotariorum predictorum modo preuio obseruato excepissent, et ipsimet huiusmodi Prothonotarios seu sigillorum eorum conseruatores, in dicta sede Crisiensi elegissent; ex quorum quidem Protonotariorum per ipsos Banos electorum fauorosis processibus sepenumero sub confidentia ..... eorum .... ipsi Nobiles premissa eorum consuetudine priuati et orbati, ipsos Prothonotarios culpis suis requiren ..., de huiusmodi eorum officiis more alias consueto remouendi habuissent facultatem; in discussione causarum ipsorum non modica scandala euenissent, et multi pauperes Nobiles ipsius regni Sclauonie dampna et precipue iurium eorum alien ... percepissent, cum si per amplius prefata eorum antiqua consuetudine in electione ipsorum Prothonotariorum vt predicitur obseruata priuarentur, formidarentur multis ex eis maiora scandala, peiora prioribus, in futurum in suis iuribus posse euenire. Quibus sic vt prefertur declaratis, iidem Nobiles nobis tanquam personam Serenissimi principis domini nostri Alberti, Dei gracia Romanorum Regis semper augusti, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Regis domini nostri naturalis representantem, supplicarunt, vt ipsis circa premissa de remedio iuri consono dignaremur prouidere. Nos itaque, qui inter alias ipsius Regie Maiestatis solicitudines, curas et curarum peruigiles instantias, per nos de ipsius Regie Maiestatis commissione et annuentia speciali expedientes, ad huiusmodi rempublicam commune bonum concernentes, curam sollicitam tenemur adhibere. Eorundem Nobilium declarationibus premisso ordine factis, auditis et intellectis, pro eo, vt huiusmodi Protonotarii seu Conseruatores sigillorum timore priuationis huiusmodi officiorum suorum percussi in eorundem Nobilium causarum processibus communi et mera iustitia ministran... magis .... eisdem Nobilibus Comitatus Crisiensis duximus annuen... et conceden..., imo annuimus et concedimus, vt uidelicet amodo et in posterum futuris temporibus vniuersis iuxta eorum antiquam consuetudinem, qua per quosdam ipsius Regni Sclauonie Banos vt prefertur a quibusdam precedentibus temporibus priuati et destituti fore perhibentur, Prothonotarios seu Conseruatores sigillorum pro discussione causarum ipsorum eis per nos et futuros eiusdem Regni Sclauonie Banos assignatorum et assignandorum, eligendi, et tandem culpis huiusmodi Prothonotariorum exigentibus eosdem de eiusmodi eorum offciis remouendi liberam habeant facultatem. In cuius rei memoriam presentes litteras nostras sigillo nostro in pendenti communitas, eisdem Nobilibus duximus concedendas. Datum Crisii predicta tertia die termini prenotati. Anno Domini Millesimo Quadringentesimo trigesimo nono.

(Signum Sigilli pendentis.)

Orig. membr. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 14.

CXXXVIII.

Anno 1442. Die festo Corporis Christi. Clissae.

Petrus de Talovec, Dalmatiae et Croatiae Banus, suis Castellanis et Vice-Castellanis, in Comitatibus Cethinae et Clissae existentibus, mandat, ut decimas, propter quamdam inter Coronam Hungariae et Regnum Dalmatiae exortam differentiam ab Ecclesia Spalatensi abalienatas, eidem Ecclesiae imposterum reddant.

Nos Petrus de Talouez, Cethine ac Clissie Comes, Regnorum Dalmacie et Croacie Banus etc. memorie commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit vniuersis, quod nos tam considerantes afflictionem, qua populi Christiani deuotioni Sacri Regni Hungarie Corone per seuissimos paganos aliosque dicte Sacre Corone inimicos iusto Dei iudicio affliguntur, per manus secularium personarum minus iuste usurpantur, quam etiam piis supplicationibus Reuerendissimi in Christo patris et domini Jacobini Baduarij Archiepiscopi Ecclesie Metropolitane Spalatensis attentis, volentes etiam supradictam Ecclesiam et eius ministros in omnibus melius adiuuare et subleuare, quam deprimere vel damnificare, vt tenemur iuxta morem bonorum Christianorum, decreuimus, et nostrorum habito maturo consilio, deliberauimus, vt vniuersas decimas aliaque iura ecclesiastica, que a multis retroactis temporibus per nonnullos Reges Sacri Regni Hungarie Corone, et Banos dicti Regni Croatie propter quandam differentiam inter Sacram Coronam et Regnum Dalmatie exortam, pro dicto Archiepiscopatu Spalatensi fuerunt alienata, et ad substentationem castrorum Sacre Corone in suprascripto Regno Croatie habitorum comutata. Tum propter prefatam afflictionem populi Christiani, ne forte Deus omnipotens oculos sue misericordie uelit super nos dirigere, et uidens nos legem suam adimplentes iuxta dictum suum Euangelicum: Reddite, que sunt Cesaris Cesari, et que sunt Dei Deo, nos a manibus seuissimorum paganorum aliorumque Sacre Corone inimicorum suo benigno auxilio dignaretur liberare. Tum etiam uolentes piis supplicationibus dicti domini Archiepiscopi annuere suprascriptas decimas aliaque iura ecclesiastica, que, vt supra, pro sustentatione Castrorum Sacre Corone in Regno Croacie habitorum, exigebantur, ad prefatam Ecclesiam S. Duymi Spalatensem de iure spectantia, et in Comitatibus nostris Cethine uidelicet et Clisse existentia, remittendas et prefate Ecclesie assignandas, imo remittimus et resignamus presencium per uigorem. Quapropter vniuersis et singulis Castellanis et Vicecastellanis aliisque quibusuis Officialibus et Comissariis nostris in dictis Comitatibus Cethine et Clissie existentibus, firmiter precipiendo mandamus, quatenus dictas decimas et alia iura ecclesiastica ad prefatam Ecclesiam Spalatensem de iure

spectantia, a modo in posterum non exigatis, nec exigere sitis ausi modo aliquali, sicut nostram graciam cupitis obtinere. Ad cuius rei propter maiorem memorie firmitatemque perpetuam has nostras litteras priuilegiales sigillo nostro pendenti iussimus roborari. Datum in Castro nostro Clissie in die Sacra Corporis Christi de Anno Domini 1442.

Lucius I. Memorie Istoriche di Tragurio ora detto Trau p. 458.

CXXXIX.

Anno 1457. die 24. Februarii. Budae.

Decretum Ladislai Regis de proventibus mardurinalibus in Regno Slavoniae eodem modo dicandis et exigendis, quo proventus lucri camerae in Regno Hungariae dicantur et exiguntur.

Commissio propria Domini Regis.

Nos Ladislaus, Dei gracia Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex, Austrieque et Styrie Dux, nec non Marchio Morauie etc., significamus tenore presencium, quibus expedit vniuersis: Quod inter ceteros nuncios regni nostri Sclauonie ad nos missos, nostre Celsitudinis uenientes in conspectum Egregii et Nobiles, fideles nostri dilecti Heningus miles de Zumzedwar et Petrus filius Georgii de Byzad, Nuncii vniuersitatis Nobilium ac aliorum possessionatorum hominum Comitatus Zagrabiensis, in ipsorum ac eiusdem vniuersitatis nominibus et in personis, nobis ac Prelatis, Baronibus et Consiliariis nostris exposuerunt in hunc modum: Quod preteritis temporibus Vicebani dicti regni nostri Sclauonie, nec non Comites ac Vicecomites et Judices Nobilium Comitatuum eiusdem regni, item dicatores et exactores collectarum seu prouentuum mardurinalium, nobis ex eodem regno de antiqua consuetudine prouenientium circa dicationem et exactionem eorundem prouentuum, plures nouitates ipsis Nobilibus et possessionatis hominibus ac Jobagionibus eorundem, non solum onerosas, verum etiam plurimum damnosas adinueniendo induxissent, et a multis iam temporibus preteritis incolas eiusdem Regni nostri diuersimode grauassent. Inter quas precipue hee essent: Quod vnumquemque villicum, qui ab huiusmodi collecta mardurinali omnino supportatus esse deberet, in vno floreno auri dicare, nec non de singulis dicis sex denarios Soldinos. Item de vnoquoque sigillo similiter sex denarios, et de quittancia seu expeditoria duodecim denarios extorquere. Item per portarium seu hostiarium ipsorum exactorum mardurinalium a quolibet villico intrante vnus denarius, et de singulis dicis similiter vnus denarius exigeretur et reciperetur. Preterea inquilini seu seruitores ipsorum Nobilium et possessionatorum hominum

apud curias eorundem residentes, quibus, sed et coniugibus et liberis ipsorum uictus cottidianos (sic) per dominos eorum ministraretur, qui ad solutionem huiusmodi collecte mardurinalis minime tenerentur, provt etiam nec ab antiquo tempore dicati exstitissent, in medium aliorum ad soluendum dictos prouentus arctarentur et compellerentur. Et vltra hec tempore exactionis huiusmodi mardurinarum diuersa victualia hominibus et equis necessaria, per villas in rebus ac in pecuniis vltra debitum exigerentur, multisque aliis diuersis adinuentionibus incole dicti Regni nostri Sclauonie et Comitatus specialiter Zagrabiensis prefati grauarentur et opprimerentur. Quod in maximum preiudicium ipsorum Nobilium et possessionatorum hominum cederet, oppressionemque pauperum atque dampnum. Supplicuerunt itaque prefati Nuncii suis et aliorum quorum supra nominibus nostre Maiestati humilli precum instantia, vt eisdem circa premissa regali subleuamine prouideremus. Vnde nos, qui cunctorum nostrorum subditorum nobis fidelium ex officio nostri regiminis casus nociuos per consueta remedia reformare, ac iniuste grauatis et oppressis regia prouidentia solemus subuenire. Supplicationibus predictis regali pietate exauditis et clementer admissis, volumus, vt amodo deinceps et inposterum huiusmodi prouentus mardurinales in dicto regno Sclauonie et Comitatu Zagrabiensi iuxta dispositionem quondam Serenissimi principis domini Sigismundi Imperatoris et Regis Hungarie, Aui nostri, eodem modo, quo prouentus lucri Camere nostre in hoc regno nostro Hungarie dicantur et exiguntur, vt porro de singulis quoque portis vnus florenus auri aut valor eiusdem sine aliqua nouitatis inductione consueto tempore exigatur. Quocirca vobis fidelibus nostris dicatoribus et exactoribus predictorum prouentuum mardurinalium in prefato Regno nostro Sclauonie, ac in dicto Comitatu Zagrabiensi nunc constitutis et in futurum constituendis, harum serie firmiter precipientes, mandamus, quatenus amodo in posterum omnibus affuturis temporibus prescriptos prouentus mardurinales secundum predictam dispositionem seu ordinationem tempore consueto a populis et Jobagionibus iam fatorum Nobilium et hominum possessionatorum dicti regni nostri Sclauonie et signanter Comitatus Zagrabiensis exigere et leuare debeatis, nec quidquam amplius pro dica, uel sigillo aut quittancia, uel etiam portario seu hostiario vestro petere, seu vltra debitum aliqua victualia in rebus aut in pecuniis a villanis et villicis predictis exigere seu extorquere aliquatenus presumatis. Volumus etiam, vt villici et inquilini seu seruitores predicti contra antiquam dicti Regni nostri Sclauonie consuetudinem in huiusmodi dicatione non connumerentur, sed a talium prouentuum solutione iuxta priorem consuetudinem omnino liberi sint, et supportati habeantur, secus facere non ausuri in premissis. Presentes autem post lecturam semper reddi iubemus presentanti. Datum Bude in festo Beati Mathie Apostoli. Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo. Regnorum nostrorum Anno Hungarie etc. decimoseptimo, Bohemie vero quarto.

(Locus Sigilli Regii impressi.)

Orig. membr. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 22.

CXL.

Anno 1458. 2. die festi Penthecostes. Albae Regiae.

Decretum antecedens Regis Ladislai de proventibus Mardurinalibus solvendis a Mathia Rege anno 1458. confirmatur.

Nos Mathias, Dei gracia Rex Hungarie, Dalmacie. Croacie etc. Memorie commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit vniuersis. Quod nostre Maiestatis venientes in presenciam fideles nostri vniuersi Nobiles Regni nostri Sclauonie exhibuerunt et presentauerunt nobis quasdam litteras Serenissimi principis domini Ladislai similiter Regis Hungarie etc. predecessoris nostri suo secreto sigillo, quo vt Rex Hungarie vtebatur, super limitatione solutionis prouentuum mardurinalium e medio populorum et Jobagionum eorundem Nobilium fisco Regio prouenire debentium, modo et ordine inferius in tenore earundem litterarum dicti quondam Ladislai Regis specificata impressione consignatas, tenoris infrascripti, supplicaruntque iidem Nobiles Maiestati nostre humili precum cum instantia, vt easdem litteras prefati quondam domini Ladislai Regis ratas, gratas et acceptas habendo, litterisque nostris priuilegialibus verbotenus inseri et inscribi faciendo, pro ipsis Nobilibus dicti regni nostri Sclauonie presentibus et futuris innouantes, perpetuo ualituras confirmare dignaremur, quarum quidem litterarum tenor is est: Nos Ladislaus Dei gracia Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex, Austrieque et Stirie Dux, nec non Marchio Morauie etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit vniuersis, quod nostre Maiestatis venientes in conspectum fideles nostri Egregii Nicolaus de Dombo, Turbeltus de Bersthyanovcz, Stephanus Byczkele de Zelin, Nicolaus de Zenthlylek, Nobiles et Nuncii vniuersitatis Nobilium ac possessionatorum hominum Regni nostri Sclauonie, in ipsorum ac eiusdem vniuersitatis nominibus et personis, nobis ac Prelatis, Baronibus et Consiliariis nostris exposuerunt in hunc modum: Quomodo preteritis temporibus Vicebani dicti Regni nostri Sclauonie nec non Comites et Vicecomites et Judices Nobilium Comitatuum eiusdem Regni, item dicatores et exactores collectarum seu prouentuum mardurinalium nobis ex eodem Regno de antiqua consuetudine prouenientium circa dicationem et exactionem eorundem non solum onerosas, verum etiam plurimum dampnosas consuetudines induxissent, quibus multis iam temporibus preteritis incolas eiusdem Regni nostri diuersimode grauassent, inter quas precipue hee essent: quod vnumquemque villicum, qui ab huiusmodi collecta mardurinali omnino supportatus esse debet, in vno floreno auri dicare, nec non de singulis dicis sex denariorum Soldinos, item de vnoquoque sigillo similiter sex denarios, et quittancia seu expeditoria duodecim denarios extorquerent, item per portarium seu hostiarium ipsorum exactorum mardurinalium a quolibet villico intrante vnus denarius et de singulis dicis simi-

liter vnus denarius exigeretur et reciperetur, preterea inquilini seu seruitores ipsorum Nobilium et possessionatorum hominum apud curias eorundem residentes, quibus, sed et coniugibus et liberis ipsorum victus quotidianos per dominos eorum ministraretur, qui ad solutionem huiusmodi collecte mardurinalis minime tenerentur, provt etiam nec ab antiquo tempore dicati exstitissent, in medium aliorum ad soluendum dictos prouentus arctarentur et compellerentur, et vltra hec tempore exactionis huiusmdi mardurinarum diuersa victualia hominibus et equis necessaria per villas in rebus ac in pecuniis vltra debitum exigerentur, multisque aliis diuersis adinuentionibus incole dicti Regni nostri Sclauonie grauarentur et opprimerentur, quod in maximum preiudicium ipsorum Nobilium possessionatorum hominum cederet oppressionemque pauperum atque dampnum, supplicarunt itaque nuncii suis et aliorum, quorum supra nominibus nostre Maiestati humili precum instantia, vt eisdem circa premissa regali sub leuamine prouideremus, vnde nos, qui cunctorum nostrorum subditorum nobis fidelium ex officio nostri regiminis casus nociuos per consueta remedia reformare, ac iniuste grauatis et oppressis regia prouidentia solemus subuenire, supplicationibus predictis regali pietate exauditis et clementer admissis volumus ... modo deinceps et inposterum huiusmodi prouentus mardurinales in dicto Regno nostro Sclauonie iuxta dispositionem quondam Serenissimi principis domini Sigismundi Imperatoris et Regis Hungarie, aui nostri eodem modo, quo prouentus lucri Camere nostre in hoc Regno nostro Hungarie dicantur et exiguntur, vt puta de singulis quinque portis vnus florenus auri aut valor eiusdem sine aliqua nouitatis inductione consueto tempore exigatur. Quocirca vobis fidelibus nostris dicatoribus et exactoribus predictorum prouentuum mardurinalium in prefato Regno nostro Sclauonie nunc constitutis et in futurum constituendis, harum serie firmiter precipientes mandamus, quatenus amodo inposterum omnibus affuturis temporibus prescriptos prouentus Mardurinales secundum predictam dispositionem seu ordinationem tempore consueto a populis et Jobagionibus iam fatorum Nobilium et hominum possessionatorum dicti regni nostri Sclauonie exigere et leuare debeatis, nec quidcunque amplius pro dica vel sigillo aut quittancia vel etiam portario seu hostiario vestro petere, seu vltra debitum aliqua victualia in rebus aut in pecuniis a villanis et villicis predictis exigere seu extorquere aliquatenus presummatis, volumus etiam, vt villici et inquilini seu seruitores predicti contra antiquam dicti regni nostri Sclauonie consuetudinem in huiusmodi dicatione non connumerentur; sed a talium prouentuum solutione iuxta priorem consuetudinem omnino liberi sint et supportati habeantur, secus facere non ausuri in premissis, presentes tandem post lecturam semper reddi iubemus presentanti. Datum Bude Sabbato proximo ante festum Cathedre beati Petri Apostoli. Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo. Bohemie vero .... Nos itaque humillimis et deuotis supplicationibus prefatorum Nobilium Regni nostri Sclauonie regia benignitate exauditis et clementer admissis, prescriptas litteras dicti quondam domini Ladislai Regis non abrasas non ...... aliqua sui parte suspectas, immo mere et sincere veritatis integritate prepollentes, presentibusque litteris nostris de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas, quoad omnes earum .... et articulos .... approbamus et ratificamus, easque ex certa nostre Maiestatis sciencia et animo deliberato Prelatorum etiam et Baronum nostrorum ad id accedente consilio pro prefatis Nobilibus Regni nostri Sclauonie presentibus et fu-

turis .... confirmamus, presentis scripti nostri patrocinio mediante. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes concessimus litteras nostras pendentis et authentici secreti sigilli nostri, quo vt Rex Hungarie vtimur, munimine roboratas. Datum in Alba Regali secundo die festi Penthecostes Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo octauo.

Locus Sigilli ex zona sericea coloris albi, rubri et viridis pendentis.

Originale ie Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 23.

CXLI.

Anno 1462. Sabatho proximo post festum Ascensionis Domini. Budae.

Cautela Statuum et Ordinum Regni Hungariae et foederatorum Regnorum anno 1462. consignata de nulla contributione praestanda.

Nos Dyonisius. Cardinalis Archiepiscopus Ecclesie Strigoniensis, Summus Cancellarius Regius, Stephanus Archiepiscopus Colocensis, locique eiusdem Comes perpetuus, Ladislaus Agriensis, Joannes Varadiensis, Albertus Veszprimiensis. locique eiusdem Comes perpetuus, Augustinus Jauriensis, locique eiusdem Comes perpetuus, Johannes Quinqueecclesiensis et Vrbanus Syrmiensis Ecclesiarum Episcopi, Nicolaus Bodo Prepositus Ecclesie Albensis, Secretarius Cancellarius Regius. Item Michael Orszagh de Gwth, Regni Hungarie Palatinus, Nicolaus de Wjlak Wayuoda Transyluaniensis ac Machouiensis, et regni Sclauonie Banus, Comes Ladislaus de Palocz Judex Curie Regie, Johannes de Rozgon Thauernicorum Regalium, Emericus de Hederwara Janitorum Regalium Magistri, Ladislaus de Kanisa pridem Wajwoda Transyluaniensis, Emericus de Zapolja Sumpmus Thezaurarius Regie Maiestatis, Nicolaus de Dombo, Regnorum Dalmacie et Croacie Banus, Stephanus de Peren et Ladislaus de Bathor Dapiferorum, Simon de Homonna et Andreas Pangraczy de Dengelegh Pincernarum Regalium Magistri, Paulus de Dombo Agazonum Regalium Magister, Jacobus Czwdar de Olnod, Nicolaus Pethew de Gerse Comes Comitatus Zaladiensis, Paulus et Nicolaus Hercegh de Zentgero, Andreas de Bathor et Emericus de Kanisa notum facimus tenore presencium significantes quibus expedit vniuersis: Quod quia nos pro redemptione Sacre eiusdem regni Corone in hac Congregatione nostra generali vnanimi omnium Nobilium Regnicolarum voluntate contributionem vnius floreni auri pro hac vice exoluendam disposuimus, promisitque propterea nobis et omnibus Regnicolis huius Regni Serenis-

simus princeps dominus Mathias Dei gracia Rex Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. Dominus noster graciosissimus, vt nullo vnquam tempore ad solucionem alicuius contribucionis nos et ipsos Regnicolas coarctabit, nec adstringet, nec irrapiet, sed neque petet. Sed magis in omnibus antiquis libertatibus et graciis, quibus scilicet predecessores sui Reges nos et dictum Regnum tenuerunt, realiter tenebit. Ideo nos vnanimi omnium voluntate pro prefato domino nostro Mathia Rege fideiubemus et promittimus in verbo veritatis ac bona fide Christiana nostra penes prefatum dominum nostrum Regem, vt ipse a modo deinceps nullo vnquam tempore nos et dictos Regnicolas ad solucionem alicuius contribucionis compellet, nec adstringet, sed omnia premissa effectiue obseruabit. Nos vero nunquam dabimus aliquam contribucionem, nec irrapere permittemus, harum nostrarum uigore et testimonio literarum mediante. Datum Bude Sabbatho proximo post festum Ascensionis Domini Anno eiusdem Millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo.

(Locus Sigillorum impressorum. et quidem in cera rubra numero nouem. in cera viridi numero septem.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 25.

CXLII.

Anno 1462. Feria 2. post festum Ascensionis Domini. Budae.

Mathiae Regis promissum de non exigenda a Nobilibus Regni Hungariae contributione anno 1462. factum, atque speciatim Regno Slavoniae exaratum.

Commissio propria Domini Regis.

Nos Mathias, Dei gracia Rex Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. Memorie commendamus tenore presencium significantes quibus expedit vniuersis. Quod, quia fideles nostri Prelati, Barones et Nobiles huius regni nostri Hungarie vniuersi pro recuperacione Sacre Corone huius Regni nostri in hac Congregatione generali eorum vnanimi omnium voluntate contributionem vnius floreni auri pro hac vice exoluendam disposuerunt: Ideo nos in verbo nostro Regio, ac fide nostra christiana mediante, promittimus, ipsos Prelatos et Barones ac Nobiles huius Regni nostri Hungarie ad solutionem alicuius contributionis nullo vnquam tempore coarctabimus, nec adstringemus eosdem quoquo modo, et neque petemus ab eis aliquam contributionem, sed magis ipsos et quemlibet eorum in antiquis

eorum libertatibus, quibus temporibus diuorum Regum vsi sunt, tenebimus. Harum nostrarum vigore et testimonio litterarum mediante. Datum Bude feria secunda proxima post festum Ascensionis Domini. Anno eiusdem Millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo.

(*Locus Sigilli Regii appressi.*)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 26.

CXLIII.

Anno 1467. In Korneuburg.

Mathias Rex SS. et OO. Regni Slavoniae jus eligendi Regni Capitaneum confert.

Commissio propria Domini Regis.

Mathias Dei gracia Rex Hungarie, Bohemie etc. Fidelibus nostris Magnificis, Egregiis et Nobilibus ac alterius cuiusuis status et condicionis possessionatis hominibus in Regno nostro Sclauonie constitutis, salutem et graciam. Cum per hos dies fideles nostros Egregios Nicolaum de Dombo, Ladislaum Hermani de Gereben et Petrum Bykzadi, vestro nomine ad nos misissetis, declarantibus ipsis intelleximus tribulationes, angustias et calamitates vestras, quas per Turcorum incursum nouissime percepistis. De quibus licet maxime doluerimus et tanto maiorem conceperimus animo molestiam, quanto vestrum incommodum Maiestati nostre magis quam alteri cuipiam iure dolendum sit. Tamen id nobis graue inprimis et molestius est, quod ad alia maxime urgentia Regni nostri negocia occupati et distracti, defensioni vestre personaliter non possumus, provt maxime optaremus, succurrere, et nos ipsos iuxta desiderium nostrum exponere in protectionem vestram. Nec dubitetis, quod vbi Deus hisce Belli occupationibus, ad quod hostilis insultus et maxime Regni nostri defensio nos excitauit, provt spes nobis optima est, liberaverit, non parcemus laboribus, non expensis, sed et personam et vires nostras pro vestra defensione et statu illius Regni nostri recuperando libentissime exponemus. Verum ne nobis interea ad alia intentis et occupatis, Regnum illud et vos (ex negligentia) maiora suscipiatis dampna et iacturas, prouidendum duximus, vt ad communem Regni illius defensionem communia omnium vestrum auxilia concurrant, vt collatis inuicem viribus facilitas Regnum incursandi infidelibus eripiatur. Commissimus itaque fidelibus nostris Magnificis Johanni Thuz de Lak et Ladislao Egervara, Regnorum nostrorum Sclauonie et Croacie Bano, vt vobis vnam generalem Congregationem in-

dicant, et ad vnum diem, per ipsos prefigendum, vniuersitatem vestram, nemine penitus excepto personaliter conuocent. Requirimus igitur fidelitates vestras et mandamus vobis et vnicuique vestrum harum serie strictissime, quatenus habita presencium noticia, iuxta requisicionem et informacionem prefatorum Johannis Thuz de Lak et Ladislai Bani, ad diem et locum, quem ipsi vobis prefixerint, conuenire, et Congregatione habita, vos ipsi vnumquemque tam Magnatem quam Nobilem cuiusuis status et condicionis possessionatum hominem connumerare, et quot quisque homines ad defensionem et conseruationem eius Regni nostri pro facultate disponere possit, fideliter computare et estimare debeatis, decernatis quoque sub pena debita, vt iuxta connumerationem et disposicionem vestram eo numero, quo vos in ea Congregatione indixeritis, quotiens pro defensione eius Regni nostri opportunum fuerit, vnusquisque personaliter insurgere debeat et teneatur. Volumus autem, vt in eadem Congregatione vestra pari voluntate et communi consilio penes Banum nostrum vnum eligatis Capitaneum specialem, qui vobis magis idoneus videbitur; qui vna cum ipso Bano nostro defensioni vestre assidue inuigilare, et quotiens opportunum foret, iuxta disposicionem vestram omnes ad insurgendum compellere, vosque et Regnum illud ab hostium incursionibus precauere debeat et defensare. Interea vero, vt vos et vniuersi Regnicole eius Regni nostri vires eo facilius resumere et defensioni communi eo feruentius intendere possitis et valeant, id ex speciali gracia nostra duximus vobis annuendum, vt hinc ad quatuor annorum spacium ab omni solucione taxe exempti sitis et penitus supportati. Datum in ciuitate nostra Corneuburgh in festo beati Luce Euangeliste, Anno Domini Millesimo ....agesimo septimo, Regnorum nostrorum Hungarie etc. anno vigesimo, Bohemie ve......

(Sigillum Regium cerae rubrae impressum.)

Originale in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 45.

CXLIV.

Anno 1468. Sabbatho prox. post festum S. Francisci Confessoris. Posonii.

Mathias Rex omnibus Regni sui Slavoniae possessionatis hominibus praecipit, ut decimas, Episcopo Zagrabiensi debitas, praestent.

Commissio propria Domini Regis.

Mathias, Dei gracia Rex Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. Fidelibus nostris vniuersis et singulis Nobilibus et alterius cuiusuis status possessionatis

hominibus Regni nostri Sclauonie salutem et graciam. Intelleximus, quod nonnulli essent ex vobis, qui decimas vniuersarum frugum, bladorum et aliarum rerum decimari solitarum de bonis vestris fideli nostro Reuerendo in Christo Patri domino Osualdo Episcopo Ecclesie Zagrabiensis prouenire debentes, eo modo, provt antiqua priuilegia dicte Ecclesie continerent, et quemadmodum nos superinde vna cum Prelatis et Baronibus nostris alias Crisii deliberaueramus, soluere et extradare recusarent; in quo ipsi domino Osualdo Episcopo ac Ecclesie sue non modica preiudicia et dampna fuissent hactenus causata. Vnde nos volentes vnumquemque subditorum nostrorum et signanter Prelatos Ecclesiarum Regni nostri, qui cultui diuino continue insistere debent, in eorum antiquis iuribus illibate conseruare, fidelitati vestre harum serie firmiter committimus et mandamus, quatenus receptis presentibus, omnes decimas de bonis vestris eo modo, provt alias Crisii superinde cum Prelatis et Baronibus nostris deliberaueramus, et quemadmodum antiqua priuilegia ipsius Ecclesie Zagrabiensis continent, prefato domino Osualdo Episcopo aut hominibus suis per eum ad id deputatis, sine omni recusa persoluere et persolui facere debeatis. Vbi autem quipiam e vobis secus in premissis facere attentarent, commissimus et presencium serie strictius committimus fidelibus nostris Banis et Vicebanis predicti Regni nostri Sclauonie, vt ipsi vos et quemlibet vestrum ad solutionem huiusmodi decimarum modo premisso faciendam, iuxta contenta Decreti condam domini Sigismundi Imperatoris superinde editi, cum birsagiis trium marcarum ac etiam alia oportuna remedia arctius compellant et adstringant, auctoritate nostra Regia ipsis presentibus in hac parte attributa et iusticia mediante; secus ergo non facturi. Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Posonii Sabbatho proximo post festum Beati Francisci Confessoris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo octauo, Regni nostri Anno undecimo, Coronacionis vero quinto.

(*Locus Sigilli Regii appressi.*)

Orig. membr. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 33.

CXLV.

Anno 1474. In festo Beatae Margarethae. Budae.

Amica inter Regni Slavoniae Nobiles et Zagrabiensem Episcopum Osvaldum de praestandis decimis Conventio a Mathia Rege a. 1474. confirmatur.

Nos Mathias, Dei gracia Rex Hungarie, Bohemie etc. Memorie commendamus per presentes: Quod Reuerendus in Christo Pater dominus Osualdus Episcopus Ecclesie Zagrabiensis personaliter nostre Maiestatis veniens in conspectum, quasdam litteras nostras super dispositione et concordia inter ipsum dominum Osualdum Episcopum ex vna, ac Nobiles et incolas Regni nostri Sclauonie ex altera partibus, pretextu solucionis decimarum, coram nostra Maiestate ac Prelatis et Baronibus factis et conclusis, sub nostro secreto ac eorundem, Prelatorum et Baronum sigillis pendentibus confectas, eidem nostre Maiestati exhiberi curauit, supplicans eidem nostre Maiestati cum instantia, vt paria earundem litterarum nostrarum sibi dare dignaremur. Quarum tenor is est: Nos Mathias Dei gracia Rex Hungarie, Bohemie etc. memorie commendamus tenore presencium significantes quibus expedit vniuersis: Quod licet nos visis iam sepius et examinatis iuribus et priuilegiis Ecclesie Zagrabiensis super limitatione solucionis decimarum, vna cum Prelatis et Baronibus nostris ipsa iura eiusdem Ecclesie vigori suo iudicialiter relinquerimus, litterisque nostris mediantibus roborauerimus. Nouissime tamen orta iterato differentia aliquali super solutione ipsarum decimarum inter fideles nostros Reuerendum in Christo Patrem dominum Osualdum Episcopum dicte Ecclesie Zagrabiensis Nobilesque et incolas Regni nostri Sclauonie. Cum pridem vna cum Prelatis et Baronibus nostris hic Bude nobiscum existentibus, visis de nouo et examinatis litteris et iuribus Ecclesie memorate finalem limitationem decisionemque iuxta continentiam priuilegiorum diuorum Regum predecessorum nostrorum et etiam nostram prius factam fecissemus, datis et confectis litteris nostris super premissa limitacione et adiudicatione per nos, vti premittitur, de consilio dictorum Prelatorum et Baronum nostrorum facta, penes sigillum nostrum et ipsorum etiam dominorum nobiscum tunc in examine huiusmodi cause existencium, sigilla apponi, et paria litterarum partibus dari mandassemus, superuenerunt iterato ad nos fideles nostri Nobiles Petrus de Bykzad, Andreas Capitanffy de Desznicze et Johannes Viti de Korboua, nomine et in persona vniuersorum Nobilium ceterorumque incolarum tocius dicti Regni nostri Sclauonie, ac supplicantes nobis, quod quia ipsis decimarum solucio nimis hoc tempore onerosa esset, ita, vt nequirent simul et seruicia Maiestati nostre exhibere, et Turcorum insultibus, quorum crebro et frequenti incursu vastarentur,

resistere, et commode debitas decimas persoluere, partes nostras interponere dignaremur, vt in exigendis huiusmodi decimis, et presertim in solucione capeciarum Millii aliquod illis alleuiamen fieret. Nos autem supplicationibus prefatorum Nobilium et incolarum tocius Regni nostri Sclauonie benigne exauditis, cupientes necessitati et grauedini ipsorum in hac parte consulere, eosque in hac condicione temporis inter tot eorum molestias, quibus urgentur, cum aliquali etiam ipsius domini Osualdi Episcopi et Ecclesie sue grauamina aliquantulum in hoc onere ad tempus releuare, et presertim pro quietiori ambarum partium statu, conmiseramus fidelibus nostris Reuerendissimo, Reuerendisque in Christo Patribus dominis Gabrieli Colocensis et Bacsiensis Ecclesiarum canonice vnitarum Archi-Episcopo, alteri Gabrieli Alben Transyluaniensis, Sigismundo electo et confirmato Quinqueecclesiensis, Alberto Vesprimiensis et Johanni Csanadiensis Ecclesiarum Episcopis; item Magnificis Emerico de Zapolya Comiti perpetuo terre Scepusiensis, Comiti Stephano de Bathor Judici Curie nostre Regie, Johanni Ernsth Thesaurario nostro et Bano Regni Sclauonie, et Emerico de Palocz Agazonum nostrorum Regalium Magistro, vt nomine nostro cum prefato domino Osualdo Episcopo Zagrabiensi super his tractarent disponerentque, vt consideratis necessitatibus prefati Regni nostri ipse dominus Episcopus pro mutua eorum pace in solucione prefatarum decimarum aliquam illis faceret alleuiacionem. Qui quidem Prelati et Barones memorati ad nostram Maiestatem accedentes, presentibus eciam partibus antefatis, retulerunt, prefatum dominum Osualdum Episcopum Nobilesque prefatos in persona tocius Regni nostri Sclauonie deputatos ad talem intelligenciam, concordiam siue disposicionem reduxisse, quod quamuis ipsi vniuersi incole tocius Regni nostri prefati inter alias res decimales de singulis capeciis Millii sex denarios iuxta antiquam diuorum Regum et etiam nostram limitacionem prefato domino Osualdo Episcopo et Ecclesie sue de iure soluere deberent, tamen deinceps pro singulis capeciis Milliorum quatuor denarios tantummodo soluere teneantur. In aliis autem solucionibus rerum decimalium antiqua Priuilegia dicte Ecclesie iuxta limitacionem diuorum Regum et nostram omnino obseruentur. Interpositis etiam condicionibus infra memorandis, primo, quod per istam intelligenciam, disposicionem siue concordiam antiquis iuribus ipsius Ecclesie Zagrabiensis et etiam partis alterius, nec non limitationibus diuorum Regum et etiam nostris non preiudicetur. Quodque huiusmodi disposicio in intelligencia siue concordia viuente duntaxat ipso domino Osualdo Episcopo Zagrabiensi perduret. Ad quod se ambe partes sponte obligarunt. Tali etiam firmitate adiecta, quod si prefati Nobiles et incole Regni nostri Sclauonie, uel aliqui ex eis temporum in successu in soluendis huiusmodi decimis prefato domino Osualdo Episcopo tergiuersacione exquisita contumaces essent, prefatasque decimas soluere nollent, vel occasione earum coram nobis, vel alias vbicunque locorum lamentarentur, vel lites suscitarent, rursus et iterato ad solucionem sex denariorum, quos de singulis capeciis Milliorum iuxta limitacionem antiquam et etiam nostram de iure soluere debent, reincidant eo facto. Ad quam quidem solucionem sex denariorum nos eos compellere tenebimur, aut Bani vel Vicebani prefati Regni nostri pro tempore constituti, solum vigore presencium, non exspectato alio superinde mandato. Extunc per grauamina opportuna compellere eos et astringere debeant et teneantur; auctoritate nostra presentibus ipsis in hac parte attributa mediante. Super qua quidem disposicione siue concordia litteras fassionales sub

sigillo palatinali premissa omnia ratificantes et adprobantes quintodecimo die datarum presencium vniuersi Nobiles et incole tocius Regni nostri Sclauonie ipsi domino Episcopo dare debebunt et tenebuntur. Ad quod se prefati Petrus de Bykzad, Andreas Capitanfy de Desnyze et Johannes Viti de Korboua in persona tocius vniuersitatis Nobilium obligauerunt, coram nobis ac Prelatis et Baronibus nostris predictis. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes litteras nostras secreto sigillo nostro in pendenti communitas et penes sigillum nostrum vberiorem ad cautelam etiam sigillis prefatorum dominorum Prelatorum et Baronum nostrorum in huiusmodi disposicione et concordia nobiscum existencium roboratas, vtrisque partibus in simili forma decreuimus concedendas. Datum Bude in festo Inuencionis Sancte Crucis. Anno Domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, Regnorum autem nostrorum Anno Hungarie etc. decimo septimo, Bohemie vero sexto. Nos itaque supplicacione prefati domini Osualdi Episcopi nostre modo premisso porrecta Maiestati exaudita, prescriptas litteras nostras composicionales de verbo ad verbum sine diminucione et augmento aliquali transscribi et transumpmi, presentibusque litteris nostris patentibus inseri facientes, paria, seu tenorem earundem eidem domino Osualdo Episcopo duximus concedenda. Datum Bude predicta in festo Beate Margarethe Virginis et Martiris Anno Domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto supradicto.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. membrana in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 40.

CXLVI.

Anno 1477. die 18. Novembris. In Korneuburg.

Mathias Rex universos Regni Slavoniae Nobiles, de defendendo Regno acturos, ad generalem a Bano indicendam Congregationem venire jubet.

Commissio propria Domini Regis.

Mathias, Dei Gracia Rex Hungarie, Bohemie etc. Fidelibus nostris vniuersis, et singulis Nobilibus, et alterius cuiusuis status possessionatis hominibus Comitatus Crisiensis salutem et graciam. Cum per hos dies Fideles nostros Egregios Nicolaum de Dombo, Ladislaum Hermany de Gereben et Petrum Bykzady vniuersitas Nobilium illius Regni nostri Sclauonie ad nos misisset, decla-

rantibus ipsis intelleximus tribulationes, angustias et calamitates ipsius Regni, quas per Turcorum incursum nouissime percepit; de quibus licet maxime doluerimus et tanto maiorem receperimus animo molestiam, quanto ipsius Regni nostri incommodum Maiestati nostre magis quam alteri iure dolendum sit. Tamen id nobis graue imprimis et molestum est, quod ad alia maxime urgencia Regni nostri negocia occupati et distracti defensioni illius Regni personaliter non possimus, provt maxime optaremus, succurrere, et nos ipsos iuxta desiderium nostrum exponere in protectionem ipsius Regni nostri. Verum ne nobis hisce belli occupacionibus, ad quod hostilis insultus et maxime Regni nostri defensio nos excitauit, intentis, interea Regnum illud, ex negligencia, maiora suscipiat dampna et iacturas, prouidendum duximus, vt ad communem Regni illius defensionem, tam maiorum quam minorum auxilia concurrant; vt collatis inuicem viribus facilitas Regnum incursandi infidelibus eripiatur. Commisimus igitur fidelibus nostris Magnificis Johanni Thuz de Lak, et Ladislao de Egervara Regnorum nostrorum Sclauonie et Croatie Bano, vt ipsi vniuersitati illius Regni nostri et omnibus vobis vnam generalem Congregacionem indicant, et ad vnum diem per ipsos prefigendum vniuersitatem illius Regni nostri et vos omnes, nemine penitus excepto, personaliter conuocent. Mandamus itaque fidelitati vestre et vestrum cuiuslibet sub debita fidelitatis obediencia, quatenus receptis presentibus, iuxta requisicionem et informacionem prefatorum Johannis Thuz et Ladislai Bani ad diem et locum, quem ipsi vobis prefixerint, inter alios fideles nostros, quibus similia scripta misimus, conuenire, et id, quod illic circa defensionem illius Regni per vniuersitatem Nobilium, et per vos omnes pari voluntate conclusum et ordinatum fuerit, obseruare debeatis, et aliud, provt bonum illius Regni desideratis, et mandata nostra obseruare vultis, facere non debeatis. Datum in Oppido nostro Korneuburg in festo sancti Luce Euangeliste. Anno Domini Millesimo Quadringentesimo septuagesimo septimo, Regnorum nostrorum Hungarie etc. vigesimo, Bohemie vero nono.

(*Sigillum Regium rubra cera impressum.*)

Originale in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 44. *)

---

*) Huc pertinet Documentum superius sub Nro. CXLIII. erronee ad annum 1467. positum.

CXLVII.

Anno 1480. die 28. Novembris. Crisii.

Nobiles Regni Slavoniae in generali sua Congregatione in Zdenc celebrata cum Episcopo Zagrabiensi Osvaldo de decimis conveniunt.

Nos Ladislaus de Egeruara Regnorum Croacie et Sclauonie Banus memorie commendamus, quod nobis feria secunda proxima post octauas festi beati Georgii Martiris vna .... in sede nostra Crisiensi constitutis et littere nostre super facto solucionis decimarum per Egregium Magistrum Petrum de Gudovcz V................ ipsius Regni Sclauonie coram nobis exhibite fuissent, hunc tenorem continentes: Nos Ladislaus de Egeruara, Regnorum Dalmacie, Croacie, ...us Sclauonie Banus, memorie commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit vniuersis. Quod cum de mandato Serenissimi Principis Domini Mathie, Dei gracia Regis Hungarie, Bohemie ec. Domini nostri naturalis atque graciosissimi, in presenti festo beatorum Fabiani et Sebastiani Martyrum hic in oppido Zdencz vna cum certis Magnatibus Proceribusque et Nobilibus dicti Regni Sclauonie pro excogitandis et adinueniendis viis, modis, atque remediis, quibus predictum Regnum seua rabie seuissimorum Turcorum iam fere in parte maiori lacessitum et conculcatum ab eorundem Thurcorum vlterioribus insultibus et perturbacionibus eripi et defensari possit, congregati fuissemus, certosque exinde tractatus peregissemus, tunc inter ceteros in Christo Pater dominus Osualdus Episcopus Ecclesie Zagrabiensis personaliter ab vna, item Egregii et Nobiles domini Nicolaus de Dombo, Ladislaus Hermani de Gereben, alter Ladislaus de Zenche, Petrus Bochkay de Raszinakerezthur, Nicolaus Posegay de Garignicza, Gregorius Horvath de Gay, Johannes de Gepew, Ladislaus Byczkelew de Zelnawar, Ladislaus, Stephanus et Johannes filii Poch de Decche, Andreas Capitan de Desnicze, Magister Petrus de Gudowcz, Ladislaus et Stanislaus de Szerenche, Magister Johannes Viti de Corbowa, Nicolaus de Kamarcza, Antonius de Kopincz, Blasius Briga de Jakozerdahely, Michael de Zenth-Iwan, Nicolaus Fanchy de Gordowa, Blasius Budor de Budrovcz, Nicolaus filius Michaelis de Peker, alter Nicolaus filius Laurentii de eadem, Georgius de Ztobicza, Gregorius de eadem, Nicolaus Borothwa de Terzthenicze, Joannes de Kamarya, Georgius Lazovetz, Joannes, Andreas et Thomas filii Wytez de Kamarcza, Johannes de Cherzthweczzenth-Peter, Ladislaus Simonouich de Miletincz, Stanislaus de Buthkafeld, Mathias Sos de Gothalowcz, Emericus Zebene de Zebenowcz, Petrus de Bykzad, Nicolaus filius Petri Erdeli de Hachko, Petrus Saffar de Gothalowcz, Janko de Chazmafew, Nicolaus Vitez de Kamarcza, Petrus Kerhen de Bellossowcz et Stephanus Peres de Gerecz in suis ac vni-

uersorum Nobilium et incolarum preattacti Regni Sclauonie possessiones habentium nominibus, et in personis, parte ex altera, coram nobis constituti, sponte dixerint et exstiterint confessi in hunc modum: Quod licet super facto et modo solucionis decimarum vini inter decimatores prefati domini Osualdi Episcopi ex vna, et prescriptam vniuersitatem Nobilium seu regnicolarum, eorumque officiales parte de altera, fere singulis annis frequentes et assidue differencie et discrepaciones oriebantur et suscitabantur, quod parti utrique satis tedio exstitit. Tamen ipse partes saluti pari commodo et quieti consulere cupientes, vt et diuino et humano iuri satisfieret, nullaque proin dispendium pateretur in hac parte, super modo et facto solucionis decimarum vini prescriptarum, sic et taliter concordassent et inter se ordinassent; imo concordarunt et ordinarunt nostri in conspectu, vt tam vbertatis, quam sterilitatis tempore, vita iam fato domino Osualdo Episcopo duntaxat comite, singulis annis in quolibet decimacionis cutelo decimatores ipsius domini Episcopi pro quolibet decimo cubulo, pro et de singulis duabus pintis vini semper vnum solidum vel denarium, quorum denariorum centum vnum florenum auri pro tempore facient et valebunt, a populis et Jobagionibus dictorum Nobilium exigere et recipere debeant. In quo prefati domini Nicolaus de Dombo, Ladislaus de Gereben, alter Ladislaus de Zenche, et Petrus Bochkay, aliique predicti se ipsos, nec non prescriptos vniuersos Nobiles Regni, fide eorum Christiana mediante persistere velle, et id ipsum firmiter tenere et obseruare assumpserunt. E conuerso autem prenominatus dominus Osualdus Episcopus ad peticionem preattactorum Regni Nobilum eisdem id annuit, quamuis ipsi de bonis et possessionibus eorum annis singulis vsque festum beati Martini Episcopi et Confessoris decimas bladi et vini et omnium aliarum rerum decimari solitarum iuxta Jura et Priuilegia ipsius domini Episcopi et Ecclesie sue integraliter persoluere tenerentur, vt a die dicacionis ipsarum decimarum vsque festum Purificacionis Beate Marie Virginis, in vita prelibati domini Episcopi, ipsa solucio decimarum bladi, et vini, et aliarum rerum successiue integraliter fieri et perfici debeat, quodque ipse dominus Episcopus et decimatores sui vsque vigesimum diem festi Natiuitatis Domini dictis Regnicolis, vel eorum alteri, racione non solutionis ipsarum decimarum ecclesiasticum interdictum imponere non valeant neque possint, sed eodem vigesimo die elapso quoslibet soluere recusantes huiusmodi ecclesiastico possint et valeant interdicto innodare, quod quidem interdictum semper vsque festum Purificacionis predictum ac vel mediate vsque plenariam huiusmodi decimarum exactionem et persolucionem debeat perdurare, nichilominusque eciam transacto dicto Purificacionis festo interdicto ecclesiastico prenotato non obstante, Bani Regni Sclauonie predicti aut eorum Vicebani et Comites Crisiensis ac Zagrabiensis pro tempore constituti, singulos rebelles et soluere recusantes in trium marcarum birsagio ad solucionem earundem decimarum compellere et astringere valeant atque possint. Ad que omnia premissa firmiter obseruanda partes predicte sese, nec non prenominati domini Nicolaus de Dombo, Ladislaus de Gereben, et alter Ladislaus de Zenche et Petrus Bochkay cum eorum complicibus prenarratis, predictos vniuersos Regni Nobiles vltronea obligarunt voluntate coram nobis. In cuius rei testimonium presentes litteras nostras sigillis Vicebanorum et Comitum nostrorum Crisiensium consignatas sepefato domino Osualdo Episcopo duximus concedendas, quas dum nobis in specie reportate fuerint, sub sigillo nostro Banali, et autenthico confici et emanari fa-

ciemus. Datum Crisii die Dominico proximo ante festum beatorum Simeonis et Jude Apostolorum. Anno Domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo octauo. Mox Egregius Andreas Capitan de Desnicze Vicebanus et Comes noster Crisiensis nostram exsurgens in presenciam paria earundem litterarum per nos sibi dari postulauit, que eidem duximus concedenda communi iustitia suadente, presentes autem sigillo Egregii Petri Bochkay de Razinakerezthur Vicebani et Comitis nostri Crisiensis fecimus consignari. Datum Crisii feria secunda prenotata Anno Domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo.

(Locus Sigilli in exteriori facie appressi.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 47.

CXLVIII.

Anno 1481. Crisii.

Banus Ladislaus de Egervara una cum Nobilibus Regni Slavoniae, quanta telonia et vectigalia in Regno solvenda sint, in Regni Congregatione, prope Zagrabiam servata, determinat.

Nos Ladislaus de Egervara, Regnorum Dalmacie, Croacie et tocius Sclauonie Banus, memorie commendamus, quod cum feria tercia proxima ante festum Purificacionis Beate Marie Virginis Serenissimus princeps dominus Mathias Rex, dominus noster graciosus, per Magnificos dominos Michaelem Orzag de Gwth dicti Regni Hungarie Palatinum, et Comitem Stephanum de Bathor Judicem Curie Sue Maiestatis, prope ciuitatem Zagrabiensem, pro reformatione status Regni Sclauonie exstirpandisque malefactoribus et nociuis hominibus, cunctis etiam maleficiis ac prauitatibus et malis abolendis, vniuersis Nobilibus eiusdem Regni Sclauonie Crisiensis, Zagrabiensis, Varasdiensis et Werewcze Comitatuum Congregacionem celebrare fecisset generalem, et in eadem inter alia, que pro dicti Regni commodo et iusticie augmento acta fuere, non mediocres de et super tributis in hoc Regno vbique habitis et erectis tractatus et labores facti exstiterint, vbi comperto, agnitoque et intellecto, quod in quibusdam tributorum predictorum valde iniuste inconuenientesque et superflue exactiones a pretergredientibus cum mercantiis et aliis questoribus habite fuere, ex eisdem quedam iusta et recta, quedam vero iniusta et superflua, et proscriptione Comitum et Judlium, Juratorumque Assessorum ipsius Congregacionis condempnata exstitere, quamuis expost

prefatus Dominus noster Rex ad dictorum vniuersorum Nobilium Regni Sclauonie supplicacionem, propterea Sue Maiestati porrectam, eisdem prescriptis iniustis et superfluis tributis graciam fecerit, et in deposita esse promiserit ea condicione, vt ipsa tributa amodo et in antea in dampnum et iniuriam quorumcunque tam mercatorum, quam questorum et ceterorum cuiusuis status et condicionis hominum non fiant, sed eorum possessores et officiales, atque amministratores vt tributarii, iustis duntaxat, rectisque et conuenientibus exactionibus vti et eis contenti esse debeant, idem Dominus noster Rex nobis firmius dederat in mandato, vt exactiones huiusmodi tributorum seu Theloniorum quorumcunque Nobilium et possessionatorum hominum huius Regni et in quibusuis Comitatibus et locis in hoc Regno Sclauonie existencium, et exigi solitorum, in octauis festi beati Georgii Martyris vnacum Regni Nobilibus ordine debito limitare et moderare deberemus. Ipsis itaque octauis occurentibus, nos vna cum vniuersitate Nobilium dictorum Comitatuum ipsius Regni Sclauonie in exactionibus et solucionibus tributorum seu theloniorum quorumcunque, de mandato et voluntate eiusdem Domini nostri Regis limitationem infra declarandam cunctis futuris perpetuis successiuis temporibus duraturam, Comitatibus prescriptis duximus imponendam atque statuendam eo modo: Primo videlicet de singulis curribus balarum ligatarum florenus vnus exigatur, item de curru onerato cum pannis more balarum non ligatis florenus medius, item de pannis sericeis et aliis pannis preciosis Italicis. speciebus, oleo, ficubus et aliis rebus maritimis de Italia deferendis, a quolibet pondere soluantur denarii quatuor, iidem de pomis naranchet pamagranatis de pondere denarii duo, item de curru onerato cutibus ligatis florenus medius, item de curru onerato salibus lapideis, si fuerint centum, vel vltra, denarii quatuor et lapis vnus, et si non fuerint sales centum, denarii duntaxat quatuor, item de salibus maritimis de quolibet curru onerato medietas vnius metrete wlgariter chetherth mensure ciuitatis Montis Grecensis de iisdem salibus et denarii quatuor recipiantur, item de curru onerato velleribus denarii quatuor, item de curru onerato ferro denarii quatuor, item de curru onerato piscibus recentibus denarii quatuor, item de medio curru piscibus onerato denarii duo, item de curru onerato piscibus salsis denarii sex, item de curru onerato piscibus siccis denarii sex, item de curru onerato tritico et aliis bladis denarii quatuor, item de medio curru onerato cum eisdem bladis denarii duo, item de curru onerato vino vel ceruisia denarii quatuor, item de curru onerato laridis et arinuis denarii quatuor, item de curru onerato cera denarii quatuor, item de curru onerato pellibus pellificum, denarii quatuor, item de curru onerato subbis et aliis pellicis denarii quatuor, item de curru onerato lino denarii quatuor, item de curru tela onerato denarii quatuor, item de curru panno albo wlgariter Darowch onerato denarii quatuor, item de curru onerato melle denarii quatuor, item de curru onerato cordis seu funiculis denarii quatuor, item de curru onerato ollis et quibuscunque aliis linifigulorum artificiis denarii quatuor, item de curru e mercibus sutorum onerato denarii quatuor, item de curru maluasia onerato denarii duodecim, item de vno equo onerato de rebus cuiuscunque generis denarii duo, item de bigis oneratis quibusuis rebus denarii duo, item de vno boue denarius vnus, item de porcis et vaccis denarius medius, item de equis minoribus non babatatis et cabellis denarius vnus, item de equis sellatis magnis denarii quatuor, item de quinque ouibus denarius vnus, item de caseis, ouis et aliis similibus, que mulieres solent super capita por-

tare, recipiatur denarius medius, minus autem decem caseis, quinquaginta ovis nil soluatur, item de pullis et antis infra valorem decem denariorum nil soluatur, et si fuerint ad valorem decem denarius medius, item de pedite ponderato denarius vnus, item de pedite vacuo denarius medius, item de viginti capris denarius vnus, item de viginti porcellis seu suellis denarius vnus, item de duobus vasis vacuis venalibus denarius vnus, item de tribus doleis denarius vnus, item de Matt .... fistellis Zathor ad pondus humanum denarius vnus, item de ocreis et aliis calceis vsque quinque paria ocrearum et decem paria calceorum denarius medius, de minori vero numero nil soluatur, item de duabus cutibus dispositis denarius vnus, item de quatuor cutibus indispositis denarius vnus, item de curru nouo denarius vnus, item de duabus rotis nouis denarius medius, item de tinis et idreis quantumcunque in dorso portare poterit, denarius medius, item de vomeribus, securibus, ligonibus, palis, terebellis, falcibus iuxta pondus denarius medius, item de fructibus cuiuscunque generis portio modesta recipiatur, item carnifices si ibidem vendere potuerint carnes et cutem denarius vnus, si autem vendere non potuerint, denarius medius, item de capriolo vel agnello vno, vel duobus, de quinque pullis, suello vno vel duobus, lapide salis vno, et lepore vno, tributum non recipiatur, ita tamen, quod si horum aliqua vendi non potuerint denariis duodecim, et si vendentur, recipiatur medius denarius, item emptores salium infra duodecim denarios non teneantur soluere tributum, item venditores olei vnius lagene, denarium vnum, item de arcubus denarium medium, item de gladiis denarium medium, item de sagittis denarium medium, item de clypeis denarium medium, item de vno vehiculo onerato quatuor vel sex animalibus trahendo, dedenarii quatuor, item de vehiculo parvo duobus animalibus trahendo denarii duo, item de vehiculo per vnum hominem trahendo denarius vnus, item artifices soluant sicut alii pedites, item de curribus nuptialibus et hominibus nichil exigatur, item de bladis Nobilium et ignobilium ad molendina deducendis et deportandis nil exigatur, item a deductoribus Jobagionum nil exigatur, in vadis autem quorumlibet fluviorum eadem moderatio vel solutio obseruetur, item de porcis, qui depelluntur ad syluas glandinosas ad impinguandum, de centum porcis denarii sex, de quinquaginta denarii tres et infra viginti denarius vnus, item de rebus Nobilium de vna possessione ad aliam deducendis et deportandis, ac etiam pro sustentacione domorum ipsorum comparatis nichil exigatur. Ne igitur temporum in processu in exactione et solucione ipsorum tributorum et nauigiorum inter tributarios, nautas, ac mercatores et questores differencie oriantur, ideo iuxta prescriptam limitacionem tales denarii per tributarios exigantur, quorum centenarius numerus facit vnum florenum auri, aut valor denariorum eorundem declarato, quod vbicunque in principalibus et capitalibus tributis solucio facta fuerit, ibi in filialibus tributis nichil exigatur, et e conuerso, et quod tributarii in possessionibus et terris aliorum Nobilium neque tributa tollere, neque progredientes et proficiscentes cum rebus venalibus quoquo modo impedire et infestare audeant. Cum itaque ipsa moderacione seu limitacione facta et peracta, eam preattactorum Comitatuum Nobilibus in publicum videndam prebuissemus, et coram eis legi et in omnibus ipsius particulis, clausulis et articulis exponi fecissemus, omnibus congrua, competens, vtilis et accomoda visa exstitit, agnita et probata, quam in litteras nostras redigi et in scripto pro memoria et firmitate sempiterna per nos sibi concedi, dari, accuratius optarunt atque petierunt; nos vero de huiusmodi eorundem

vniuersorum Nobilium tam placito, quam voluntate, vt ipsa semper pro communi bono in suo vigore permaneat, statuimus et sanximus, ac auctoritate a dicto domino nostro Rege nobis attributa decreuimus, vt quicunque Nobilium regnicolarum tributa habentium, hanc nostram disposicionem, ordinacionem, limitacionem et moderacionem pro vniuersali commodo, et vtilitate, iusticiaque communi per nos modo premisso factas, superfluis, ineptis, illicitisque et iniustis tributorum exactionibus transgressi fuerint, infringerint seu violauerint, et hoc contra tales vel talem attestacione veridica vicinorum et commetaneorum ac Nobilium comprovincialium legitime comprobari poterit, mox tales et talis transgressores seu transgressor in perpetua amissione huiusmodi sui tributi vel tributorum sint vel sit conuicti seu conuictus, et eisdem, iuribusque tributorum eorum in evum priuati ac destituti habeantur. In cuius rei testimonium presentes litteras nostras ipsis Nobilibus Regni Sclauonie et Comitatibus predictis duximus concedendas. Datum Crisii duodecimo die octauarum festi beati Georgii Martyris predictarum Anno Domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo primo.

(*Locus Sigilli in exteriori facie appressi.*)

Orig. charta in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 50.

CXLIX.

Anno 1481. 13. Julii. Budae.

Mathias Rex incolis Slavoniae jus salem vendendi tribuit.

Nos Mathias, Dei gracia Rex Hungarie, Bohemie etc., memorie commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit vniuersis: Quod nos tum ad nonnullorum supplicacionem Maiestati nostre pro parte et in personis fidelium nostrorum vniuersorum regnicolarum Regni nostri Sclauonie propterea factam, tum etenim pro commodo et vtilitate eorundem id ipsis graciose duximus annuendum et concedendum, vt iidem vniuersos illos sales, quos ipsi de quibuscunque Cameris salium nostrorum, precio, vel alias qualitercunque gracia questus aut alia de causa leuauerint vel leuassent, extra loca seu cursus Camerarum nostrarum, vbique libere vendicioni exponere valeant atque possint. Imo annuimus et concedimus presencium per vigorem. Quocirca vobis fidelibus nostris vniuersis et singulis Camerariis et Vicecamerariis predictorum salium nostrorum vbiuis in dicto Regno nostro Sclauonie constitutis et existentibus, presencium noticiam habituris, harum serie firmiter precipientes committimus et mandamus, quatenus prescriptos sales per dictos regnicolas nostros de ipsis Cameris nostris leuatos, eisdem vbique libere et sine aliqua contradictione vendere et

vendicioni exponere permittere et permitti facere debeatis et teneamini; nec ipsos contra formam presentis nostre annuentie in personis, rebusque et bonis eorum quibuscunque propter vendicionem huiusmodi salium impedire, turbare, molestare, seu quouis modo dampnificare presumatis gracie nostre sub obtentu. Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Bude in festo Beate Margarethe Virginis. Anno Domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo primo. Regnorum nostrorum Hungarie etc. Anno vigesimo quarto, Bohemie vero tredecimo.

(Sigillum Regium impressum)

In dextro inferiori margine:

Ad Relationem Vrbani Electi Jauriensis, Thesaurarii.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 52.

CL.

Anno 1484. die 30. Augusti. Budae.

Mathias Rex priora sua decreta de decimis Episcopatus Zagrabiensis hoc novo confirmat.

Commissio propria Domini Regis.

Mathias Dei gracia Rex Hungarie, Bohemie etc. Fideli nostro Magnifico Mathie Gereb de Wyngarth, Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Bano, eiusque Vicebanis prefati Regni nostri Sclauonie, salutem et graciam. Etsi superioribus annis factum dicacionis et solucionis decimarum, qualiter videlicet regnicole nostri Sclauonie de frugibus, bladis, vinis, milliis, hedis, porcis et aliis rebus decimari solitis, Reuerendo domino Osualdo Episcopo Ecclesie Zagrabiensis successoribusque suis decimas annuatim soluere deberent, visis eotunc et examinatis antiquis iuribus et priuilegiis prefate Ecclesie Zagrabiensis, per diuos Reges Hungarie eidem Ecclesie exinde concessis, vna cum Prelatis et Baronibus nostris, ad hoc specialiter conuocatis, debito modo limitauerimus et sententialiter concluserimus, provt in litteris nostris adiudicatoriis, exinde confectis, late continetur; oblati tamen fuerant certi articuli per ipsos regnicolas nostros Maiestati nostre, quibus querebantur, ipsum dominum Episcopum, sed et decimatores eiusdem, huiusmodi limitationes et decisiones nostras excessisse et ad ampliorem solucionem faciendam eos coarctare, propterea supplicabant nobis, exinde

ipsis de remedio prouidere opportuno. Nos autem volentes et prefate Ecclesie commoditati et dictorum Regnicolarum nostrorum quieti equo dispensacionis moderamine prouidere, volumus igitur et fidelitati vestre harum serie firmissime committimus, aliud in omnem euentum habere nolentes, quatenus habitis presentibus, prefatas decimas frugum, bladorum, vinorum, milliorum, aliarumque omnium rerum, decimari hactenus solitarum, per prefatos decimatores annotati domini Osualdi Episcopi et successorum suorum, iuxta moderacionem et limitacionem diuorum Regum Hungarie, nostrorum scilicet predecessorum, in priuilegiis eorundem contentam, et adiudicacionem nostram cum Prelatis et Baronibus Regni nostri superioribus annis, imprimis in oppido nostro Crisiensi in Anno Domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto, et deinde Bude in Millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, superinde factam, semper temporibus debitis et congruis, videlicet fruges statim post messem, vinum vero et millium post vindemiam dicare, dicatasque per ipsos regnicolas nostros ipsi domino Osualdo Episcopo et suis successoribus, ipsorumque decimatoribus infra terminum, in ipsis litteris nostris declaratum, per omnia remedia opportuna et grauamina, in talibus fieri solita, exoluere et reddi facere debeatis et teneamini. Qui quidem Regnicole, si huiusmodi decimas vsque terminum, in ipsis litteris nostris adiudicatoriis expressum, soluere recusarent. vel eorum aliqui recusauerint, extunc ipsos ad soluendum easdem iuxta tenorem et continencias earundem litterarum nostrarum adiudicatoriarum, similiter per omnia onera et remedia opportuna compellere modis omnibus debeatis; volumus tamen et fidelitati vestre rursus committimus, quod si forte prefatus dominus Episcopus aut eius decimatores contra huiusmodi nostram adiudicacionem, limitacionem et decisionem ipsos Regnicolas nostros ad aliquas superfluas aut maiores exactiones siue per censuras, siue aliter cogere et compellere niterentur, eisdem regnicolis nostris assistere et eosdem in hac parte contra ipsum dominum Episcopum et suos dicatores defendere debeatis, atque decimas huiusmodi non aliter, quam in dictis litteris nostris adiudicatoriis continetur, exigere permittatis, auctoritate nostra presentibus vobis in hac parte attributa, et iusticia mediante, secus non facturi, presentibus perlectis, exhibenti restitutis. Datum Bude feria sexta proxima post festum beati Bartholomei Apostoli Anno Domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, Regnorum nostrorum Hungarie etc. Anno vigesimo septimo, Bohemie vero sexto decimo.

(Locus Sigilli Regii in inferiori margine appressi)

Orig. charta in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 54.

CLI.

Anno 1490. In Castris prope villam Farkashyda.

Diploma inaugurale Vladislai Regis, Regno Croatiae separatim datum.

Nos Wladislaus Dei gracia Hungarie Bohemieque Rex ac Marchio Morauie etc. Recognoscimus et tenore presencium notum facimus, quibus expedit vniuersis: Quod cum his diebus superioribus Serenissimus Princeps condam dominus Mathias Rex Hungarie et Bohemie etc. predecessor noster bone memorie ab hac luce absque heredis legitimi solacio decessisset, Domini Prelati et Barones, ceterique Primores et vniuersi Incole Regni eiusdem, ad quos scilicet ius eligendi novum Regem ex vetustissima Regni ipsius libertate et consuetudine deuolutum exstiterat, animaduertentes, se principe orbatos esse, nec posse commode et sine Regni graui detrimento diutius capite carere: Post plures tractatus de nouo Rege eligendo et preficiendo inter se habitos, oculos mentis ipsorum in nos conijecerunt et ceteris omnibus principibus christianis, competitoribus scilicet nostris, qui videlicet Regnum ipsum similiter ambiebant, nos pretulerunt, sibique cum infrascriptis condicionibus, pactis et articulis in Regem dominumque et principem elegerunt et solenniter pronunciauerunt. Ac tandem missis nobis obuiam de eorum medio nonnullis Prelatis et Baronibus in ipsum Regnum Hungarie feliciter coronandos introduxerunt. Quorum quidem articulorum primus est. Quod Regnum Hungarie cum ceteris Regnis et prouinciis sibi subiectis, dominosque Prelatos et Barones, omnes ecclesias ecclesiasticasque personas, ac Nobiles et ciuitates, nec non ceteros Incolas et Inhabitatores eiusdem Regni conseruabimus in antiquis Juribus, Priuilegiis, Immunitatibus, Libertatibus et Consuetudinibus approbatis, in quibus scilicet per diuos quondam Reges conseruati, quibusque gauisi et vsi fuerunt, ita, quod nullas prorsus Nouitates, quemadmodum prefatus quondam dominus Mathias Rex fecerat, in eorundem detrimentum et oppressionem, ac contra huiuscemodi antiquas libertates ipsorum sub aliquo quesito colore introducamus, introductas vero per ipsum Serenissimum condam dominum Mathiam Regem aboleamus, contribucionem autem seu taxam vnius floreni nulla racione exigamus, sed antiquis iustis, ordinariis et consuetis prouentibus regalibus contenti esse debeamus, item quod bona et alia quecunque Jura aliorum, per prefatum condam dominum Mathiam Regem et Reginalem Maiestatem, ac etiam per alios quoscunque male et preter viam Juris occupata, visis et examinatis Juribus talium, remittamus et faciamus etiam per alios remitti his, quorum exstiterunt. Item, quod Coronam Regni de manibus dominorum Prelatorum et Baronum nulla ex causa, vel quesito colore, nulla etiam industria

vel arte auferamus, sed permittamus et patiamur. Quod iuxta veterem consuetudinem ac libertatem ipsorum certi de eorum medio per ipsos vnanimiter ad hoc eligendi et deputandi illam teneant et conseruent. Quodque castrum Wyssegradiense pro conseruacione ipsius Corone ab antiquo deputatum, ad manus ipsorum conseruatorum eiusdem Corone dari et assignari faciamus. Item promittamus, quod Morauiam, nec non Slesiam et Lusaciam vtrasque a Corona et Regno Hungarie non alienabimus, sed infra tempus redempcionis iuxta inscripciones et obligaciones alias in dieta Olomucensi factas, ad ipsam Coronam Hungarie semper tenebimus, et si nos forte absque herede legittimo decedere contingeret, ita prouidebimus in uita, quod etiam post obitum nostrum ab eadem Corona et Regno infra tempus redempcionis sub aliquo colore vel via non alienentur. Et insuper elaborabimus et efficiemus, quod sex ciuitates, iuxta pacta et disposicionem in predicta dieta factam, instar illarum aliarum Prouinciarum se eidem Regno et Corone Hungarie inscribent et obligabunt, et superinde litteras eorum dabunt et emanari facient, illasque ad domum Thauernicalem Corone Hungarie reponi et assignari faciamus; si vero successu temporum prefata dominia a Corona et Regno Hungarie per illos, quibus iuxta inscripciones et obligaciones superinde factas, competit, redimerentur, extunc illam totam summam pecunie ad manus conseruatorum Corone ad Wyssegrad penes Coronam pro Regni necessitate conseruandam assignemus, tandemque ad defensionem et vtilitatem Regni iuxta voluntatem et Consilium dominorum Prelatorum et Baronum exponamus et conuertamus, et de ipsa pecunia preter voluntatem ac consilium et liberum expressumque consensum eorundem dominorum Prelatorum et Baronum nulla racione disponamus quidpiam vel agamus. Item, quod ex quo prefatus condam dominus Rex Austriam et nonnulla castra et ciuitates in Stiria, Carinthia et Carniolia thesauro Regni Hungarie acquisiuit et obtinuit, ob hoc promittamus et nos obligemus, quod Austriam ipsam et cetera loca Cesaree Maiestati aut Serenissimo domino Romanorum Regi vel eorum heredibus absque speciali et expresso consensu et libera voluntate dominorum Prelatorum et Baronum nunquam restituamus, sed teneamus ad Coronam Hungarie defendamusque et tueamur contra prefatas Maiestates, nec aliqua mundi via ab Hungaria alienemus. Item quod cum dictis Maiestatibus absque consilio, consensu et libera expressaque voluntate eorundem dominorum Prelatorum et Baronum superinde non concordemus, et si forte contingeret, quod de eorum voluntate, consilio et annuencia concordia sequeretur, id totum, quod ex huiuscemodi concordia nostra veniret et cederet, si id terra aut dominium aliquod fieret, perpetuo ad Hungariam et eius Coronam annectamus, applicemus et inscribamus, si vero parata seu numerata pecunia fieret, illam totam summam ad manus conseruatorum Corone ad Wyssegrad penes Coronam pro Regni necessitate conseruandam, assignemus, tandemque ad defensionem et vtilitatem Regni eiusdem iuxta voluntatem et consilium eorundem dominorum Prelatorum et Baronum exponamus et conuertamus, de ipsa autem pecunia preter voluntatem et consilium, ac liberum et expressum consensum eorundem dominorum Prelatorum et Baronum aliter nulla racione disponamus. Item quod pro maiori parte in Hungaria maneamus, ut commodius faciliusque Regni necessitatibus consulere et prouidere possimus; cum autem causa requirente exire voluerimus, Regnum illud bono (in) ordine atque disposicione relinquamus vsque ad felicem nostrum reditum. Item quod dum in Hungaria manebimus

Consiliarios, Cancellarios, Thesaurarium, Cubicularios, Dapiferum, Pincernam, Comites Camararum et generaliter omnes officiales maiores et minores Hungaros teneamus et habeamus. Item quando de rebus et negociis Regni Hungarie aut partium sibi subiectarum agetur, non cum alijs, preterquam cum Hungaris Consiliariis tractemus et consultemus, et alios forenses aliasque nationes ad talem consultationem, taleque consilium non admittamus. Item quod beneficia ecclesiastica, presertim vero Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, Prepposituras, ceterasque Prelaturas nonnisi Hungaris, vel qui sunt Corone ab antiquo subiecti, absque expresso consensu et libera ac spontanea voluntate dominorum Prelatorum et Baronum, Regnique Consiliarorum conferre valeamus, conferamus autem personis probitate ac virtutibus benemeritis. Item quod Wayuodam Transylnaniensem, et Comitatum Siculorum et Themesiensem, Posoniensem, preterea Banatum Sclauonie, Dalmacie et Croacie, nec non Zewriniensem, Nandor Albensem et de Jaycza, aliaque loca et castra finitima, nec non ciuitates Regales, non aliis preterquam Hungaris pro officiolatu dare et conferre valeamus, bene tamen meritis. Item possessiones et iura possessionaria non forensibus, sed benemeritis incolis, tamen Regni et Corone Hungarie subiectis, iuxta eorum merita et obsequia conferamus. Item, quod in celebrationibus octauarum iudices Regni Hungarie ordinarii personaliter intersint, nisi ex causa legitima in arduis negociis Regni prepediti fuerint, vel alter illorum fuerit; ipsi autem et eorum Vicesgerentes et Coassessores liberam, plenam et omnimodam habeant facultatem omnibus causantibus maioribus et minoribus cuiuscunque status et condicionis seu dignitatis existant, absque omni timore meram et sinceram, iuxta Regni antiquam et approbatam consuetudinem, iusticiam ministrandi, et quod neminem Judicum compellamus vel astringamus in fauorem alicuius consuetudines, communem obseruanciam ac iuris ordinem immutare seu perturbare, vel provt in nouo decreto fuerit expressum. Item, quod ad simplicem querelam vel sinistram suggestionem neminem Regnicolarum nostrorum cuiuscunque status seu condicionis existat, in persona, possessionibus seu quibuscunque rebus aliquomodo, preter viam iuris et partibus non auditis, impediamus. Item, quod neque motu proprio, neque ad quorumcunque delacionem vel querelam contra quempiam Regnicolarum nostrorum, cuiuscunque status seu dignitatis sit, aliquam occasionem nocendi, siue in personis, siue in rebus concipiamus vel exquiramus. Item, quod moneta presens ad tempus non mutetur, quando vero mutari deberet, hoc fiat cum consilio Prelatorum et Baronum, et non aliter. Item quod quicquid domini Prelati et Barones cum ceteris incolis Regni Hungarie pari voto ac communi deliberacione pro libertate et tranquilla quiete atque conseruacione eiusdem Regni vsque tempus Coronacionis conceperint, conscripserint et concluserint, more ab antiquo consueto et semper obseruato, quod Regni decretum appellatur, teneamur litteris efficacibus acceptare, confirmare, roborare, ratificare et approbare; quemadmodum alii Reges Predecessores nostri, ex laudabili et approbata consuetudine Regni semper fecerunt, quodque semper obseruemus et per omnes alios obseruari faciamus. Item, ex quo Domini Prelati et Barones vrgentibus arduis necessitatibus Regni pro solucione stipendiariorum prefati condam domini Mathie Regis, qui in Slesia fuerant, coacti sunt notabilem summam florenorum conquirere, vt Regnum ipsum integrum et illesum nobis manutenere et assignare possint, et proinde certa loca et certos prouentus Regales nonnullis personis, que summam illarum pecu-

niarum mutuarum inscripserunt et impignorauerunt, vsque tempus redempcionis, et insuper pro preteritis seruiciis prefatorum stipendiariorum infra certum tempus futurum, rursus certa summa pecuniarum persolui debebit. Quamobrem optant iidem domini Prelati et Barones, ac totum Regnum, vt nos prefatam redempcionem locorum et prouentuum impignoratorum, ac etiam dictam futuram summam pecuniarum dictis stipendiariis persoluendam, cum omnibus pactis, condicionibus, obligaminibusque exhinc factis et secutis in nos recipiamus et assumpmamus, ipsosque Prelatos et Barones, ac totum Regnum ab huiusmodi solucionibus et pactis exonerare et subleuare dignaremur. Nos itaque Vladislaus Rex prefatus considerantes singularem illam deuocionem et affectionem prefatorum dominorum Prelatorum et Baronum, ceterorumque Regnicolarum, quam erga nos in eiuscemodi electione habuerunt. Volentes eisdem aliqualem gratitudinem nostram ostendere et alioquin animaduertentes premissam ipsorum ordinacionem ac deliberacionem iustam et honestam esse, preinsertos articulos et omnia in eisdem contenta laudauimus, approbauimus et ratificauimus, laudamusque, acceptamus, approbamus et ratificamus, promittimusque in verbo nostro Regio ac fide nostra Christiana mediante et sub honore nostro: quod eosdem articulos in omnibus eorum clausulis et punctis, semper inuiolabiliter et absque omni immutacione obseruabimus, et tam per Reginalem Maiestatem, quam omnes alios nobis subiectos simili modo faciemus obseruari, harum nostrarum, quibus sigillum nostrum est appensum, vigore et testimonio litterarum mediante. Datum in castris exercitus nostri prope villam Farkashyda Sabbato proximo ante festum ad vincula sancti Petri Apostoli Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo, Regnorum nostrorum Hungarie etc. Anno primo, Bohemie vero decimo nono.

(Sigillum Regium pendens.)

Orig. membr. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 63.

CLII.

Anno 1491. die 16 Aprilis. Budae.

Vladislaus Rex omnes Regni Slavoniae possessionatos homines de pace cum suis adversariis inita edocet, unaque eosdem rogat, ne ab obedientia et a devotione erga illum alio flecti et moveri se permittant.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus. Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie etc. Fidelibus nostris Magnificis, Egregiis, Nobilibus et alterius cuiusuis status et condicionis possessionatis hominibus Regni nostri Sclauonie salutem et graciam. Credimus ad aures vestras vel cummuni ipsa fama iam diu peruenisse. Qualiter miserum hoc Regnum partim ab externis, partim a domesticis hostibus iam vndique vsque in diem hodiernum vexatum direptumque sit, et qualibus hostilitatibus refertum, simul in quo periculo vsque in diem presentem positum. Sane insuper cognouimus, quot miseras et crudeles vexaciones, quanta denique incendia, spolia et dampna ab hostibus vos quoque misere suscepistis, et quibus adhuc diripiamini quotidie incendiis ac rapinis. Cui rei hactenus certe omni via et modo occurrissemus, nec a rabie illorum hostium tam crudeliter vos diripi passi fuissemus, nisi ab Illustrissimo domino Alberto Duce, fratre nostro charissimo, preter omnem opinionem et exspectacionem nostram impedimentum habuissemus, contra quem prius nobis multis ex causis procedendum resistendumque fuit. Sed sciatis, provt alioquin vos iam vel rumore nuncio dudum credimus intellexisse, quod nos tam cum ipso domino Alberto Duce, quam etiam cum Maiestate domini Genitoris nostri Regis Polonie pacem perpetuam pepigimus et partes illas superiores ab illa hostilitate, cum Dei auxilio, eliberauimus, atque insuper inter hec tria Regna, videlicet Hungariam, Bohemiam et Poloniam, foedus eternum percussimus et sempiternam confederacionem fecimus. Quibus rebus efficitur, vt iam pro auxilio facilius vobis quoque et ceteris partibus Regni succurrere deinceps poterimus. Nam prefata Maiestas domini genitoris nostri tum ex vi huiusmodi foederis et obligacionis, tum vero aliis multis bonis ex causis nobis et huic Regno contra quosuis hostes semper in posterum necessaria auxilia mittere debebit: sicque unde prius oppugnatores habebamus, iam inde auxiliatores et defensores habebimus. Sitis itaque boni et constantis animi, nec ob presentes calamitates, quas assiduo pati vos intelligimus, a nostra obediencia et a deuocione huius Sacre Corone, ad suggestionem et sinistram exhortacionem aliquorum, qui vos stimulant, alio flecti et moueri debeatis, atque vos seduci permittatis; sed quemadmodum diuis condam Regibus, nostris scilicet Predecessoribus, vos et

maiores vestri debitam semper fidem cum omni integritate instar aliorum membrorum huius Regni constantissime obseruastis, ita nobis quoque et Sacre huic Corone solido et firmo animo obseruare velitis; et quamuis, vt intelligimus, a nostra obediencia et vetusta illa vestra fide nonnulli vos auertere auocareque conentur, tamen rogamus vos et requirimus magnopere, ut talibus seductoribus et susurronibus faciles aures non prebeatis, facile etiam fidem maiorum vestrorum, ad vos iure successionis deuolutam, aliquo neuo siue macula coinquinari non paciamini. Nos siquidem habemus certe non mediocrem racionem periculorum vestrorum et susceptorum dampnorum, et profecto Dei munere de necessariis auxiliis iamiam prouidebimus, nec amplius ab illis hostibus vexari vos patiemur. Quod si vos in priori erga nos fide velle in posterum persistere cognoscemus, omni certe nostra gracia et fauore, omni etiam nostra munificencia erga vnumquemque vestrum nacta opportunitate certe recognoscere studebimus. Et in hoc pro honore, fideque vestra, et maiorum vestrorum, atque etiam animi vestri integritate rogamus et requirimus, item et hortamur, aliud non faciatis. Datum Bude feria sexta proxima ante festum Beati Georgii Martiris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo primo, Regnorum nostrorum Anno Hungarie &c. primo, Bohemie vero vigesimo.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 65.

CLIII.

Anno 1494. die 14. Novembris. Budae.

Vladislaus Rex Ladislao de Kanisa, Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bano, mandat, nè Regni Slavoniae Nobiles ad militandum extra limites Regni adstringat.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie etc. Fideli nostro Magnifico Ladislao de Kanysa, Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Bano, salutem et graciam. Venerant ad Maiestatem nostram fideles nostri Egregii Georgius de Zenche et alter Georgius Capithanfy de Desnycze, cum litteris et intimatis fidelium nostrorum Vniuersitatis Nobilium illius Regni nostri Sclauonie, Maiestati nostre conquesti sunt nomine Regnicolarum nostrorum in hunc modum: Qualiter vos ipsos Regnicolas nostros contra disposicionem et ordina-

cionem Prelatorum et Baronum Regni nostri de singulis viginti Jobagionibus, tociens quociens opus fieret et per vos requirentur, ad exercituandum vel ad Croaciam, aut quo necessitas postularet, compelleretis; qui etsi ad exercituandum et ad resistendum inimicis iuxta morem et consuetudinem illius Regni nostri impigri fierent, maiorem tamen partem illius Regni nostri certi Domini Prelati et Barones et pociores Nobilium possiderent, sine quorum auxilio ipsi Nobiles parum tutele siue defensionis ipsi Regno nostro facere possent. Vnde supplicarunt Maiestati nostre iidem Nobiles, vt communem huiusmodi Regni necessitatem communi omnium auxilio propulsari facere dignaremur. Et quia nos ipsos Regnicolas nostros preter antiquam consuetudinem nouo et inusitato genere exercituacionis impedire nolumus, volumus propterea et fidelitati vestre serie presencium firmiter mandamus, vt ipsos Nobiles inusitatis exercituacionibus extra limites et terminos illius Regni nostri non compellatis. In extrema tamen necessitate et periculo Regni nostri euitando, primum Domini Prelati et Barones Regni nostri, ibidem bona et possessiones habentes, auxilia gentium penes vos deputare, tandem vero vniuersitas Regnicolarum ipsorum iuxta ordinacionem superinde factam homines ipsorum eo, quo necessitas postulauerit, preterea pro Regni defensione mittere debeat. Volumus preterea, vt octauas festi beati Georgii Martiris proxime affuturi faciatis in illo Regno nostro Sclauonie celebrari, et que ibidem iudicialiter terminata fuerint, absque cuiusuis fauore exequi faciatis. Prorogacionem tamen Regnicolis nostris penes Maiestatem nostram occupatis, et simul confinia Regnorum nostrorum et Castrorum finitimorum tutelam obseruantibus, iuxta formam decreti faciatis obseruari. Quia vero fidelem nostrum Egregium Magistrum Petrum de Gudowcz, Viceprothonotarium illius Regni Sclauonie, pro veteri consuetudine eiusdem Regni nostri ab onere exercituacionis exemptum fuisse accepimus: ideo volumus, vt si consvetudo huiusmodi ita exigerit, ipsum ab huiusmodi exercituacione exemptum et supportatum habere relinquereque debeatis. Secus non facturi Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Bude feria tercia proxima ante festum beati Gregorii Pape. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto. Regnorum nostrorum Hungarie &c. anno quarto, Bohemie vero vigesimo quarto.

(*Locus Sigilli Regii appressi.*)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 67.

CLIV.

Anno 1495. Inter octavas Resurrectionis Domini. Crisii.

Joannes Corvinus, Lipthoviae Dux, Regnorumque Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Banus, nobilem Hungarum Johannem Gyulay, SS. et OO. Regni Slavoniae consentientibus, salvo jure Regni, Vice-Banum nominat.

Nos Johannes Coruinus Oppauie et Lipthouie Dux, ac Regnorum Dalmacie, Croacie, Sclauonieque Banus &c. Memorie commendamus per presentes: Quod licet in predicto Regno Sclauonie semper et ab antiquo consuetudo per Banos pro tempore constitutos obseruata fuisset: Quod Bani eorum officium Vicebanatus aliis personis dare et conferre non potuissent nisi pocioribus Nobilibus, familiaribus scilicet eorum, in eodem Regno Sclauonie possessiones et bona habentibus; tamen nunc iidem Nobiles Regni Sclauonie, tum quia condam Serenissimus Princeps Dominus Mathias Rex &c. laudande memorie dominus genitor noster, ipsos in eorum libertatibus graciose fouisset et tenuisset; tum etiam ex eo, quod nos Almanos, qui proxime sedatis disturbiorum temporibus in hoc Regno Sclauonie multa castra, castella et fortalicia obtinuerant, de eisdemque diuersa spolia, dampna, incendia et alias hostiles enormitates exercebant, nostris propriis sumptibus et expensis cum bombardis et aliis ingeniis non absque notabili nece et effusione sanguinis familiarium nostrorum ab eisdem Almanis obtinuimus, et illis, quorum fuerunt, restituimus. Ob que iidem Nobiles, non volentes esse immemores graciosis beneficiis eiusdem quondam domini nostri Regis atque nostris, Egregium Johannem Gyulay in eorum Vicebanum ad peticionem nostram susceperunt et assumpserunt. Nos autem pollicemur et promittimus eisdem Nobilibus presencium per tenorem, vt si idem Johannes Gyulay in conseruacione et gubernacione huiusmodi Officii Banalis contra eorum libertatem et iusticiam aliqua dampna vel iniurias cuicunque ex ipsis fecerit, aut homines sui intulerint, quod nos quemlibet eorum de huiusmodi dampnis et iniuriis contentare volumus et teneamur, quodque idem Vicebanus, Vicecomites, Notabiles ex Nobilibus eiusdem Regni Sclauonie et non extraneis constituere debeat et teneatur. Vbi autem officium dicti Vicebanatus nos ab eodem Johanne Gyulay auferre contigerit, vel autem idem sponte nobis resignauerit, extunc in posterum non alium, quam ex pocioribus Nobilibus huius Regni Sclauonie, familiarium scilicet nostrorum, in Vicebanum preficere et constituere valeamus et teneamur. In cuius testimonium presentes litteras nostras eisdem Nobilibus Regni duximus concedendas. Datum Crisii inter octauas Resurrectionis Domini. Anno eiusdem Millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto.

(*Sigillum Johannis Corvini, in rubra cera, appressum*).

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 69.

CLV.

Anno 1496. die 4. Decembris, Budae.

Mandatum, a Vladislao Rege Regni Slavoniae Tricesimatoribus datum, ut a novo, contra antiquas libertates et consvetudines Regni ejusdem inducto exactionum modo, abstineant.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Fideli nostro Egregio Benedicto de Wemer Tricesimatori Regni nostri Sclauonie salutem et graciam. Ex querimonia simul et supplicacione fidelium nostrorum Vniuersitatis Nobilium eiusdem Regni nostri Sclauonie accepimus non sine displicencia. Qualiter vos Tricesimas nostras non in locis alias consuetis, neque eo modo, prout ab antiquo solitum fuit, recipere et exigere incepissetis, sed passim in ipso Regno deambularetis, et vbicunque pecora eorundem Regnicolarum in medio Regni inueniretis, mox eadem nomine nostro occupare, et ab eisdem alienare consueti essetis, velletisque ab eisdem Regnicolis Tricesimas, quod nunquam antea fuisset consuetum, extorquere. Nos autem vt intelligatis, predictum Regnum nostrum, et eosdem Regnicolas nullo modo volumus per vos contra ipsorum antiquas libertates et consuetudines, neque cum exactione huiusmodi Tricesimarum, neque aliter impediri. Ideo mandamus fidelitati vestre firmiter, vt a modo deinceps ab huiusmodi nouitatibus et exactione ipsarum omnibus modis se abstineatis, de illisque pecoribus, que ad proprium vsum eorundem Regnicolarum, aut alterius ipsorum coemuntur, aliquas Tricesimas exigere et extorquere nullo modo presumatis. Dampna autem hactenus per vos illata eisdem omnibus modis rectificare debeatis, et aliud facere non presumatis. Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Bude feria secunda proxima ante festum beati Nicolai Episcopi et Confessoris Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 71.

CLVI.

1496. 4. Decembris. Budae.

Vladislaus Rex antiquam legem et consvetudinem Regni Slavoniae, qua ejusdem Regni Banus suos Vicebanos solummodo e gremio possessionatorum Incolarum eligere poterat, confirmat.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie etc. Fideli nostro Illustri Johanni Coruino, Oppauie et Lipthouie Duci, ac Regni nostri Sclauonie Bano &c. salutem et graciam. Expositum exstitit Maiestati nostre pro parte, et in personis fidelium nostrorum Vniuersitatis Nobilium Regni nostri Sclauonie. Quod, quamuis ipsi ab antiquo hanc habuerint priuatam legem et consuetudinem, vt Vicebani semper in ipsorum medio, de pocioribus et antiquioribus Nobilibus per Banos nostros pro tempore constitutos electi fuerint, et non externi qualescunque, aut nouiter nobilitati. Tamen his aliquot annis preteritis huiusmodi ipsorum antiqua consuetudo aliqualiter exorbitasset. Quod cederet in oppressionem et iniuriam eorundem non mediocrem. Quia autem nos ipsum Regnum nostrum Sclauonie et eiusdem incolas omnino in antiquis suis iuribus et libertatibus intendimus et volumus conseruare. Ideo fidelitati vestre harum serie mandamus firmiter, vt a modo deinceps dictam vniuersitatem Nobilium in eorum predictis antiquis consuetudinibus et iuribus conseruetis, Vicebanos tales in medio eorundem, qui sint modo premisso de pocioribus Nobilibus et antiquiori familia in ipso Regno nostro Sclauonie eligendo. Et hoc volumus etiam per futuros Banos eiusdem Regni nostri suo modo obseruari. Secus non facturi. Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Bude feria secunda proxima ante festum Beati Nicolai Episcopi et Confessoris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 73.

CLVII.

Anno 1496. 4. Decembris. Budae.

Vladislaus Rex Regno Slavoniae jus appellationis ad Tabulam Banalem confirmat.

Commissio propria Domini Regis.

Nos Wladislaus dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Memorie commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit vniuersis: Quod pro parte et in personis fidelium nostrorum Vniuersitatis Nobilium Regni nostri Sclauonie, nostre Maiestati expositum exstitit cum querela. Quod quamuis antiqua libertatis et laudabilis consuetudinis ipsorum prerogatiua requirente, omnes cause ipsorum pro quocunque facto vel negocio inter sese pro tempore mote vel suscitate, primum in presencia Bani eiusdem Regni tractari et adiudicari, et dehinc pars litigancium non contenta, in Curiam nostram Regiam per viam appellacionis suam causam deducere, sed et de ipsa Curia nostra iudicium, et sentenciam ipsius Bani nostri infirmatam aut confirmatam, rursus ad eundem Banum pro executione semper reducere debuerit et debeat. Tamen nunc plurimi essent Nobiles in medio ipsorum Regnicolarum nostrorum bona et possessiones habentes, qui non curata huiusmodi libertate, et consuetudine eorundem, quo facilius partem aduersam in suis iuribus turbare, suasque causas etiam sinistras promouere in oppressionem partis aduerse possint, statim a principio cause suos aduersarios in Curiam nostram euocare, et hic obtenta pro se sententia, eandem non ad Banum pro execucione referre, sed sub quadam taciturnitate aliis viis et modis exquisitis, exequi facere incepissent, in preiudicium premisse libertatis ipsius Regni nostri, et oppressionem eorundem Regnicolarum nostrorum manifestam. Nos igitur intellecta huiusmodi querimonia, sed et accepta superinde supplicacione eorundem Regnicolarum nostrorum, nolentes ipsos per cuiuscunque astutam calumpniam in suis antiquis libertatibus et consuetudinibus perturbari, sed eosdem pro debito regiminis nostri in suis iuribus conseruare. Omnes tales causas, euocaciones, adiudicaciones, sentencias, processusque earundem, que contra prescriptam libertatem et consuetudinem, extra ordinem superius narratum per quoscunque hactenus factas et reportatas, de consilio dominorum Prelatorum et Baronum nostrorum auctoritate nostra Regia duximus reuocandas, cassandas, et anullandas, imo reuocamus, cassamus ac nullius vigoris esse declaramus. Volentes nichilominus et decernentes, vt a modo deinceps premissus ordo consuetudinarius in medio eorundem Regnicolarum nostrorum in processu iudiciario semper et imperpetuum inuiolabiliter obseruetur. Quod si per quempiam aliqua temeritate aut astucia fieret et attentaretur contrarium, id ex nunc premissa nostra Regia auctoritate in irritum reuocamus. Harum nostrarum vigore et testimonio litterarum mediante. Datum Bude feria secunda proxima ante festum

beati Nicolai Episcopi et Confessoris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto. Regnorum nostrorum Hungarie etc. Anno septimo, Bohemie vero vigesimo sexto.

(Sigillum Regium in inferiori margine appressum)

Originalis membr. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 74.

CLVIII.

Anno 1496. 8. Decembris. Budae.

Vladislaus Rex Regno Slavoniae nova arma et sigillum confert.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus, Dei gracia Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque Rex, nec non Slesie et Lucemburgensis Dux, Marchioque Morauie et Lusacie &c. Ad perpetuam rei memoriam, decet Regiam Maiestatem iustis et congruis precibus condescendere subditorum, et ipsos subditos de plenitudine gracie sue continuis honoribus afficere, vt dum suo subiecti dominio, suaue iugum se portare senserint, forcius accendantur ad obseruanda suscepte debiteque fidelitatis exercitia. Tunc enim subditi in virtute letantur boni presidentis, cum eos non in antiquis solummodo legibus et consuetudinibus suis studiose fouet et conseruat, sed insuper nouis extollit honoribus, et Regalis magnificencie adornat donatiuis. Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire. Quod cum his diebus in hac ciuitate nostra Budensi, vna cum nonnullis dominis Prelatis et Baronibus Regni nostri fuissemus constituti; fideles nostri Nobiles et Egregii Bernaldus de Thwrocz, Georgius Capitanffy de Desnycza, ac Nicolaus Woikfy de Woykowcz, nomine, et in persona Vniuersitatis Nobilium Regni nostri Sclauonie, nostre Maiestatis accedentes in conspectum, exponere curauerunt. Quod quamuis illud Regnum nostrum Sclauonie ab antiquo habuerit pro armorum insigni vnum Mardurem et hys armis vsque in presenciarum semper vsum fuerit, et eiusdem Vniuersitas vniuersaliter vsa exstiterit, tamen propter certas causas et raciones cuperent Jdem Regnicole, hoc armorum insigne per nostram Maiestatem renouari, et sibi de nouo ad perpetuam memoriam renouatum condonari. Nos igitur, qui prefatum Regnum nostrum Sclauonie et eiusdem Regnicolas, nichilominus, quam alia Regna et dominia nostra et eorundem incolas cupimus, non solum in antiquis legibus, iuribus et consuetudinibus suis conseruare, sed etiam maioribus honorum titulis de Regia nostra prouidencia et libertate decorare. Nam Regnum hoc inter duo flumina, videlicet Sawm et Drawm constitutum, contra et aduersus Thurcos, Christianitatis perpetuos hostes et inimicos sibi proxima loca tenens, continua bella exercet,

et ita se armis tutatur et conseruat, vt vix eam Regionem Thurcus vnquam ingreditur, quin accepta grauissima clade et calamitate ex eodem Regno nostro recedat. Quapropter non immerito hoc ipsum Regnum nostrum vnum precipuum scutum, vel potius antemurale huius Regni nostri Hungarie appellauerimus, vt itaque hoc ipsum Regnum nostrum Sclauonie, atque Vniuersitas fidelium nostrorum in eodem constituta, nostram Regiam munificenciam persenciat et experiatur liberalem, hec arma, videlicet in vno scuto triangulari duo flumina superius denominata, per transuersum directe depicta, in eorumque medio supersticio, campo scilicet penitus rubicundo, predictum mardurem, antiquum eorum insigne, coloris naturalis et proprii, reliqui autem duo campi eiusdem scuti, duas partes exteriores predictorum fluminum occupantes, sunt penitus colore depicti celestino, in quorum superiori vnam stellam, quod propter bellicas exercitaciones continuas, in quibus prefatum Regnum nostrum Sclauonie et eiusdem incole aduersum predictos Thurcos continue agitantur, Sidus Martis voluimus appellare. Preterea supra scutum galeam vnam in vero colore, propriaque figura, variis floribus veluti vento agitatis, vniuersum gyrum eiusdem galee atque scuti, totamque armorum descriptionem pulchra diuersitate ambientibus, prout hec in principio sev capite presencium litterarum nostrarum figurata sunt, et distinctius expressata, animo deliberato, et ex certa nostra sciencia, ac de consilio predictorum dominorum Prelatorum et Baronum nostrorum, plenitudineque potestatis nostre Regie, eidem Regno nostro Sclauonie, Vniuersitatique Nobilium eiusdem duximus danda et conferenda. Annuentes eisdem, et concedentes, vt ipsi amodo deinceps in perpetuum, his armis in Banderiis suis et aliis quibusuis rebus et exerciciis militaribus, Vniuersitatem illius Regni nostri concernentibus, fruantur et vtantur, atque vt iidem publice vtilitati sue caucius et prouidencius consulere possint, eisdem armis in sigillo per impressionem cere rubree, quantum in litteris et epistolis missilibus omnibus in rebus nomine Vniuersitatis sue vti, frui et gaudere possint et valeant. De talismodi igitur singularis et specialis nostre gracie antidoto merito exultent, et tanto ampliori studio ad honorem Regie Maiestatis ipsorum de cetero solidetur intencio, quanto se ipsos largiori fauore Regio preuentos esse conspiciunt et munere graciarum. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam presentes litteras nostras pendentis et authentici dupplicis Sigilli nostri, quo vt Rex Hungarie vtimur, consignatas, eidem Regno nostro Sclauonie, Regnicolarumque eiusdem Vniuersitati duximus concedendas. Datum per manus Reuerendi in Christo Patris domini Thome Episcopi Ecclesie Agriensis, aule nostre summi et secretarii Cancellarii et fidelis nostri dilecti. Budae predicta in festo Concepcionis beatissime Marie Virginis. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto, Regnorum nostrorum Hungarie etc. Anno septimo, Bohemie vero vigesimo sexto.

(Sigillum Regium dupplex in zona rubri coloris pendens.)

Orig. membrana in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr 70.

CLIX.

Anno 1498. In Vigilia festi s. Corporis Christi. Budae.

Vladislaus Rex antiquam consvetudinem Regni Slavoniae, ut Prothonotarius Regni tempore depositionis ab officio cujuslibet Bani ejusdem Sigillum in medium SS. & OO. afferre teneatur, confirmat.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus, Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Fidelibus nostris vniuersis et singulis Nobilibus et alterius cuiusuis status et condicionis possessionatis hominibus Regni nostri Sclauonie salutem et graciam. Ex querelis et supplicacionibus nunciorum vestrorum, nominibus et in personis Vniuersitatis vestre nobis porrectis intelleximus, qualiter vos a diuturnis temporibus introducta et vsque ad hec tempora obseruata consuetudine, et quidem tali semper vsi fuissetis: Quod Prothonotarius vester tempore deposicionis ab officio cuiuslibet Bani vestri, sigillum authenticum in medium vestri afferre teneretur, et tandem illud pro euitanda, tollendaque quauis suspicione, que exinde posset euenire, in partes secaretis. Quam quidem consuetudinem tametsi Prothonotarii vestri pro tempore existentes semper obseruauerunt. Tamen Egregius condam Magister Johannes de Korothna Palatinalis, et illius Regni nostri Prothonotarius, post ablacionem a fidele nostro Magnifico Ladislao de Kanysa pridem Bano vestro factam, sigillum ipsius authenticum more alias consueto vestri in medium non attulisset, sed illud apud se vsque ad mortem suam reseruasset, nec sciri posset, quo deuentum exstitisset. Qua ex re suspicaremur aliquam falsitatem posse medio tempore in emanacione litterarum fieri, que in periclitacionem Jurium vestrorum vergeret. Supplicatum itaque exstitit Maiestati nostre in personis Vniuersitatis vestre, vt huic sollicitudini, simulque suspicioni vestre opportune prouidere dignaremur. Accepta igitur et admissa supplicacione vestra, volumus et mandamus fidelitati vestre serie presencium firmiter, vt acceptis presentibus, vniuersas litteras priuilegiales sub preattacto sigillo iam fati Ladislai de Kanysa Bani emanatas, ad octauas primitus in illo Regno nostro Sclauonie celebrandas afferatis, atque per Magistrum Prothonotarium vel Viceprothonotarium vestrum in margine ipsarum litterarum casum et ammissionem sigilli preattacti subscribi facientes, penes sigillum ipsius Ladislai de Kanysa sigillum quoque fidelis nostri Magnifici Georgii de eadem Kanysa moderni Bani vestri in signum vere et iuste emanacionis ipsarum litterarum presentandarum appendi faciatis. Si qui vero essent ex vobis, qui a presentacione huiusmodi litterarum suarum se abstraxerint, et eas

coram vobis presentare noluerint, talium litteras inuigorosas et inualidas, nulliusque momenti fore, et existere presentibus decernimus et declaramus. Secus igitur non facturi. Datum Bude in vigilia festi Sacratissimi Corporis Christi. Anno eiusdem Millesimo quadringentesimo nonagesimo octauo.

(Sigillum Regium anulare appressum.)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 76.

CLX.

Anno 1498. In Dominica Invocavit. Budae.

Vladislaus Rex pro Regno Slavoniae, ut in eodem Regno tria solummodo loca credibilia habeantur, contra Constitutionem Diaetae Regni Hungariae, dispositionem facit.

Commissio propria Domini Regis.

Nos Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Memorie commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit vniuersis: Quod quamuis superioribus diebus per Vniuersitatem Regnicolarum nostrorum in Dieta nouissime in campo Rakos celebrata conclusum et per Maiestatem quoque nostram litteris etiam id concessum fuerit, vt Capitulum Ecclesie Boznensis testimonium suum vbique per totum Regnum nostrum Hungarie ad quascunque execuciones faciendas mittere possit. Tamen vt ex querelis fidelium nostrorum Vniuersitatis Nobilium tocius Regni nostri Sclauonie intelleximus, huiusmodi concessio nostra ipsis in eo potissimum officeret, quia in illo Regno nostro Sclauonie tria Capitula essent, que ad facta illius Regni et Regnicolarum nostrorum satis, et super sufficientes sunt. Nam propter multa loca credibilia varie falsitates in eo potissimum committerentur, quia aliquando persone ignote loco Nobilium ad fassionem destinarentur, et bona talium per fraudem faterentur, quod non fieret, si in aliquo duntaxat Capitulorum illius Regni nostri Sclavonie, et non in aliis remotis locis, tales fassiones fierent. Quapropter supplicatum exstitit Maiestati nostre in personis eorundem exponencium, vt ipsos ab huiusmodi contingentibus periculis eripere dignaremur. Nos igitur, qui inter alias curas et sollcitudines nostras ad ea potissimum intendere debemus, que statui et commodo fidelium nostrorum conducerent. Admissa igitur supplicacione prefatorum exponencium nolentes, vel Juribus vel antiquis consuetudinibus illius Regni nostri per huiusmodi concessionem nostram dero-

gare; id eisdem Regnicolis nostris graciose duximus annuendum et concedendum, vt a modo prefatum Capitulum Boznense ad illud Regnum nostrum Sclauonie ad Instanciam vigore concessionis nostre .... testimonium mittere, aut aliquas in eo execuciones facere vllo vnquam tempore possit et valeat, decernentes: quod omnes littere fassionales .... eiusdem Capituli cuiuscunque generis existant, pro parte ipsorum Regnicolarum nostrorum emanate nullius sint vigoris, et firmitatis. Immo annuimus et concedimus, atque decernimus harum nostrarum secreto sigillo nostro, quo vt Rex Hungarie vtimur, impressiue consignatarum vigore, et testimonio litterarum mediante. Datum Bude in Dominica Inuocauit. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo octauo. Regnorum nostrorum Hungarie &c. Anno octauo, Bohemie vero vigesimo octauo.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. membr. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 79.

CLXI.

Anno 1498. In Dominica Invocavit. Budae.

Vladislaus Rex edictum Regni Slavoniae, vi cujus nemini licitum erat, a Rege privilegium novi Telonii sine scitu universitatis Regni Slavoniae impetrare, confirmat.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus, Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie etc. Fidelibus nostris Magnificis Georgio de Kanysa moderno, futurisque Banis Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie, ipsorumque Vicebanis presentibus et futuris presentes visuris salutem et graciam. Pro parte et in personis fidelium nostrorum vniuersorum et singulorum Nobilum et aliorum etiam possessionatorum hominum tocius Regni nostri Sclauonie Maiestati nostre expositum exstitit in hunc modum: Quod licet alias ipsi Nobiles et tota Communitas concordi et vnanimi voluntate et assensu id inter sese ordinauerint et edicto publico firmauerint, vt nullus omnino ex ipsis sine scitu et expressa voluntate, admissioneque ipsius Vniuersitatis a Maiestate Regia aliquod tributum peteret aut institueret. Quam quidem ordinacionem et edictum etiam Serenissimus princeps condam dominus Mathias Rex predecessor noster gloriose memorie firmiter obseruandum mandauerat. Nonnulli tamen essent Magnatum et etiam Nobilium eiusdem Regni, qui contra huiusmodi edictum et publicam vtilitatem, impetratis sibi a Maiestate nostra sinistra ex-

posicione litteris, in bonis eorum tributa instituissent, et illic omnes transeuntes sine aliqua discrecione ad solucionem tributariam compellerent, in eorundem exponencium preiudicium et dampnum manifestum. Et quia illud Regnum nostrum crebris fluminibus adeo abundare dicitur, vt pro maiori parte quiuis Nobilium in bonis suis pontes et aggeres facere cogatur, qui si per hanc occasionem tributa pro sua quisque vtilitate habere contenderint, ad numerum Nobilium numerum excrescere Tributorum necesse esset. Quam abusionem in detrimentum publice vtilitatis vergentem de illo Regno nostro tollere volentes, omnes illas concessiones nostras, quas quibuscunque Regnicolis nostris cuiuscunque dignitatis, et status existant, preter voluntatem et admissionem dicte Vniuersitatis Nobilium super institucione Tributorum et Theloneorum vsque ad hec tempora fecimus, ex causis et racionibus premissis, animo deliberato, et potestatis nostre plenitudine duximus reuocandas et retractandas. Imo reuocamus et retractamus, litterasque nostras superinde confectas cassamus, et nullius firmitatis relinquimus, decernentes, vt amodo huiusmodi tributa modo premisso instituta deposita et abolita sint, ac pro depositis in perpetuum aboleantur. Quapropter fidelitatibus vestris et cuiuslibet vestrum serie presencium strictissime mandamus: vt acceptis presentibus, prescripta Tributa vigore prescripte concessionis nostre contra vtilitatem publicam dictorum exponencium instituta ad requisicionem eorundem exponencium quamprimum deponi et aboleri faciatis, et ad id faciendum omnes instituentes per omnia grauamina compellatis. Si qui vero Regnicolarum nostrorum cuiuscunque status et condicionis existant, deinceps aliqua Tributa preter liberam admissionem dictorum exponencium ausu temerario erexerint, vel post factam requisicionem vestram erecta et instituta deponere recusauerint; tales in onere solucionis centum florenorum per vos et Regnicolas nostros irremissibiliter extorquendorum conuincantur et conuicti ipso facto habeantur. Presentes post lecturam reddi volumus semper presentanti. Datum Bude in Dominica Inuocauit. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo octauo. Regnorum nostrorum Hungarie &c. Anno octauo, Bohemie vero vigesimo octauo.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. membr. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 80.

CLXII.

Anno 1498. feria 2. post Dominicam Invocavit. Budae.

Vladislaus Rex Tricesimatoribus Regni Slavoniae, ut in eodem Regno antiquas libertates et consvetudines quoad taxationem manuteneant, mandat.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus, Dei gra...... Hungarie et Bohemie &c. Fidelibus nostris vniuersis, et singulis Tricesimatoribus nostris in Regno nostro Sclauonie vbiuis nunc constitutis, et in f...... stituendis, presentes visuris salutem et graciam. Ex querelis simul et supplicacione fidelium nostrorum Vniuersitatis Nobilium Regni nostri Scla(uonie intelle)ximus. Quod quamuis nos pluries vobis commiserimus, vt ab ipsis Regnicolis nostris racione rerum suarum, quas ipsi de illo Regno nostro Sclau........ xtera Regna exportare, et pro eisdem rebus alias res de exteris Regnis pro vsu et ornamento domus, familieque suorum importare consue..... aliquam Tricesimam non reciperetis, vos tamen nec mandatorum nostrorum, sed nec libertatis, et antique prerogatiue ipsorum Nobilium racionem ..bere velletis, sed de rebus huiusmodi ab omnibus Tricesimam reciperetis, et ad eam soluendam eosdem compelleretis, et quia nos illud Regnum nostrum in omnibus suis antiquis libertatibus, et prerogatiuis approbatis manutenere ... et conseruare intendimus, idcirco volumus et mandamus fidelitatibus vestris, et cuiuslibet vestrum, serie presencium firmissime, vt amodo .... nullus omnino vestrum a prefatis Regnicolis nostris, vel eorum aliquo in locis Tricesimarum vestrarum racione rerum ipsorum propriarum, quas ipsi vel extra Regnum nostrum efferre, vel alias pro eisdem emptas, vel permutatas pro vsu et ornamento domus, et familie suorum .... vel exigere, petique sew exigi facere, aut eosdem in personis rebusque, et bonis eorum propterea impedire .... presumat, neque sit ausus modo aliquali gracie nostre sub obtentu. Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Bude feria secunda proxima post Dominicam Inuocauit &c. Anno Domini Millesimo .. adringentesimo nonagesimo octauo.

(Sigillum Regium in inferiori margine appressum.)

Orig. membr. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 77.

CLXIII.

Anno 1499. die 5. Februarii. Budae.

Vladislaus Rex Regno Slavoniae jus appellationis ad forum Banale confirmat.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus, Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie etc. Fidelibus nostris vniuersis et singulis Nobilibus et alterius cuiusuis status et condicionis possessionatis hominibus tocius Regni Sclauonie salutem et graciam. Inter alia negocia, pro quibus fideles nostros Egregios Bernaldum de Thwrocz et Magistrum Nicolaum Woykfy de Kerezthwr, Prothonotarium vestrum, Nuncios vestros ad Maiestatem nostram miseratis, etiam in hoc Maiestati nostre supplicastis, vt Egregios Stephanum, Georgium et Franciscum de Zenche, nec non Stephanum, Ladislaum et Ludouicum de Peker, et Georgium Castelanfy ac Nicolaum Acacy de Zenthlelek, pro illis excessibus, pro quibus nos contra ipsos essemus indignati, et pro quibus etiam bona eorum certis fidelibus nostris contuleramus, in Curiam nostram Regiam, ad standum contra nos Juri non compelleremus, sed quod negocium huiusmodi in presencia Bani Regni nostri Sclauonie diffiniretur et diiudicaretur. Quodque bona prefati Georgii de Zenche, que nunc apud manus nostras habentur, eidem interim remitti facere dignaremur. Nos vero tametsi aliter superinde statuerimus. Tamen volentes in hoc vobis complacere et huiusmodi peticioni vestre locum dare, contenti sumus, vt negocium prescriptum inter nos et prefatos Nobiles, quorum bona aliis contulimus, non hic in Curia nostra Regia, sed coram Bano vestro, presente etiam procuratore nostro, quem illac propterea missuri sumus, discuciatur; et postea, si qua partium huiusmodi Judicio contenta non fuerit, eadem causa huc in Curiam nostram Regiam iuxta antiquam illius Regni consuetudinem remittatur. Remissionem autem siue restitucionem preattactorum bonorum dicti Georgii Zenchey propter plures respectus facere certe non possumus. Nam et alioquin plerique sunt ex illis Regnicolis nostris, presertim vero domina relicta et filie condam Nicolai Borothwa, qui aliquid Juris de aliquibus bonis, que ipse Georgius Zenchey possedit, se habere dicunt, et ideo nos bona illa nulli dare, sed ea in manibus nostris tenere decreuimus, quovsque id de Jure reuidebitur. Quare volumus, vt ad vnum diem et locum, ad quem etiam nos directorem causarum nostrarum, vt premisimus, mittere decreuimus, huiusmodi causa et negocium istic in illo Regno nostro, vt prefertur, iuridice reuideatur, vt etiam nos postea possimus iuxta huiusmodi reuisionem de dictis bonis disponere. Vt autem ipse Georgius de Zenche habeat securitatem in medium vestri transeundi, ac Juri et iusticie standi, admittimus vobis et presentibus potestatem damus: vt nomine nostro Regio ipsum assecu-

retis, vt tuto et libere in medium vestri veniat, et se coram vobis et Bano nostro de his, que contra ipsum obiciuntur, expurget; prouideatis tamen, ne sub confidencia huiusmodi securitatis ipse Georgius aliquos ex nostris Regnicolis offendat, vel aliquod scandalum faciat. Nam si hoc faceret, extunc nolumus sibi hanc datam securitatem in aliquo suffragari. Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Bude feria secunda proxima post festum beati Blasii Martyris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo nono.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 81.

CLXIV.

Anno 1499. feria 4. post festum Resurrectionis Domini. Budae.

Vladislaus Rex slavonica subsidia et pecunias mardurinales non pro suo privato commodo, sed tam pro Regno Hungariae quam etiam Slavoniae, et potissimum pro solutione Banorum et pro conservandis finitimis castris istius Regni exigere velle se litteris his declarat.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Egregii et Nobiles fideles nobis dilecti. Ex responso vestro, quod fidelibus nostris Venerabili Thome Preposito ac Egregio Nicolao Zekel, Capitaneo Aulicorum nostrorum, quos his diebus ad vos miseramus, dedistis, intelleximus. Qualiter vos pro leuandis presentibus necessitatibus nostris, ac huius et illius Regni nostri, pro subsidio viginti quinque denarios et pecunias Mardurinales, que ex debito nobis de illo Regno prouenire debent, nobis dare et extradare obtulistis. Quod nobis gratum exstitit, et vobis ob id gracias etiam haberemus singulares. Verum tamen accepimus, quod licet hoc modo predictos quadragintaquinque denarios nobis obtuleritis, tamen huiusmodi pecunias non simul et semel, sed in diuersis terminis extradare velletis, quod, quia incommodum et nociuum nobis foret, per hos homines nostros, presencium scilicet ostensores, quos cum certa et sufficienti, plenaque informacione, ac voluntate nostra ad vos misimus, lacius et apercius vobis significauimus et intimauimus. Quare requirimus fidelitates vestras, et rogamus, nichilominus eisdem committimus, quatenus acceptis presentibus, iuxta declaracionem istorum hominum nostrorum, provt ab eis clarius intelligetis, istas pecunias iam

oblatas, simul cum pecuniis Mardurinalibus, semota absque vlteriori dilacione, reddere et exolui facere, et nullam aliquam vlteriorem dilacionem in ea facere velitis, ne dupplex et nobis ac vobis et colonis vestris ad id cumulus laboris accedat. Nam nos, certi estote, istas pecunias non pro nostro priuato, sed pro istius et illius Regnorum nostrorum communi commodo et utilitate et potissimum pro solucione Banorum illius Regni nostri, et de Jaycza, que omnia vt inplurimum pro defensione vestra cedunt, postulauimus, quibusque iam pro maiore parte deputauimus; ad eiusdem itaque subsidii iam vt prefertur, per vos oblati, et etiam viginti denariorum, hoc est, pecuniarum Mardurinalium dicacionem et connumeracionem Fidelem nostrum Egregium Benedictum de Wemer, Capitaneum nostrum Segniensem, elegimus et deputauimus; penes quem vos quoque, si placuerit, et volueritis, hominem vestrum ex illo Regno nostro, Fidelem nostrum Egregium Magistrum Nicolaum Woykffy Prothonotarium eiusdem Regni nostri pro maiori cautela et aliqua suspicione euitanda eligere poteritis. Ob eam rem requirimus fidelitates vestras, et nichilominus eisdem committimus, quatenus acceptis presentibus prefatum Benedictum de Wemer, vna cum preattacto Magistro Nicolao, vt premisimus, tam ad predicti subsidii, quam pecuniarum Mardurinalium dicacionem exmittere et exmitti facere, eisdemque pecunias quantocius exolui et administrari facere debeatis, et teneamini; vt nos quoque cum illis pecuniis Banis ipsis et aliis occurrentibus negotiis in tempore solucionem facere et prouidere valeamus. Ac ea omnia, que iidem homines nostri vobis nomine nostro dixerint, credere et facere debeatis. Aliud non facturi. Datum Bude feria quarta proxima post festum Resurrectionis Domini. Anno eiusdem Millesimo quadringentesimo nonagesimo nono.

Intitulationis tenor:

Egregiis et Nobilibus Vniuersitati Nobilium Regni nostri Sclauonie fidelibus nobis dilectis.

(Sigillum Regium ab extus appressum.)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 83.

CLXV.

Anno 1499. die 21. Octobris. Budae.

Vladislaus Rex Vicario et Capitulo Zagrabiensi, ne causas spirituales Regnicolarum Regni Slavoniae per Locumtenentem Chasmensem judicari prohibeant, mandat.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Fidelibus nostris Honorabilibus Georgio Archidiacono de Bexin Vicario, ceterisque Canonicis et toti Capitulo Ecclesie Zagrabiensis salutem et graciam. Expositum exstitit Maiestati nostre in personis fidelium nostrorum Vniuersorum Nobilium Regni nostri Sclauonie. Qualiter vos post mortem et decessum Reuerendi patris condam Domini Osualdi Episcopi Zagrabiensis Prelati vestri inhibuissetis Locumtenentem Ecclesie Chasmensis, contra consuetudinem hactenus obseruatam, ne se de causis Regnicolarum illius Regni nostri, qui illi Capitulo propinquiores essent et qui coram eo agere consueverunt, impediret; sed omnes tam Nobiles, quam etiam popularis condicionis homines litigare volentes, in vestri presenciam pro examinandis causis transmittere. Que res cum et iniusta sit, et illi Regno nostro Sclauonie, presertim vero Nobilibus prope Zdencz et Atthyna, aliisque locis remocioribus commorantibus nimis onerosa existat, nos pati nolentes, vt ipsi Regnicole nostri pro huiusmodi causis per tantam terrarum distanciam relictis Judiciis, que coram Locumtenente Ecclesie Chasmensis fieri consueverunt, ad vos, et ad sedem illam laborare cogantur, presertim cum hucvsque predictam consuetudinem obseruatam esse intelligamus. Mandamus propterea fidelitatibus vestris serie presencium firmissime: vt statim visis presentibus, illud edictum, quod fecisse perhibemini, ne scilicet Locumtenens Chasmensis se de causis Regnicolarum impediat, reuocetis, et eundem Locumtenentem atque Capitulum Chasmense, sicuti hactenus, ita etiam deinceps lites omnium causancium, que in sui presenciam mote fuerint, adiudicare permittatis; et aliud nullo modo facere audeatis. Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Bude in festo undecim millium Virginum. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo nonagesimo nono.

(Sigillum Regium appressum)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 84.

CLXVI.

Anno 1499. feria 6. ante festum SS. Trinitatis. Budae.

Vladislaus Rex discordias Nobilium, cum Prelatis et Baronibus Regni Slavoniae quoad modum exercituationis habitas, componit et novos articulos super eo edit.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie, Bohemie, Fidelibus nostris Egregiis et Nobilibus Vniuersitati Nobilium Regni nostri Sclauonie salutem et graciam. Cum his diebus pro certis rebus et negociis vestris commune commodum illius Regni nostri concernentibus, ad nos certos fratres ac nuncios vestros misissetis, iidem inter alia nobis exposuerunt: Qualiter non modica contencio et controuersia inter vos ac dominos Prelatos et Barones bona et possessiones in illo Regno nostro habentes, racione exercituacionis fieri et oriri consueuerit. Et ob id nobis humiliter in persona omnium vestrum supplicabant, vt hoc negocium cure habere et cum dominis ipsis, qui vt prefertur, bona et possessiones in medio vestri et in illo Regno nostro haberent, racione huiusmodi exercituacionis, bona media, bonum etiam modum reperiri dignaremur, qui etiam vobis esset tolerabilis, et deinceps occasio alterius discordie inter vos aboliretur. Nos igitur cum eisdem dominis ac ceteris Consiliariis nostris superinde tractantes, pro vlteriori quiete ac commodo et vtilitate vtriusque partis, presentibus et consencientibus ibidem prefatis nunciis vestris, hos infrascriptos articulos in facto huiusmodi exercituacionis edendos statuimus. Inprimis, quod de triginta tribus colonis teneatur vnus eques leuis armature, de centum vero tres equites, et sic consequenter. Ita videlicet, quod tales homines stipendiarii non muliebriter vestibus sericeis, auroque et gemmis, aliisque ad cultum apparatibus se ornent, sed iuxta veterem morem progenitorum vestrorum viribus et armis conspicui sint, habeantque loricam, galeam et hastam, siue loco haste arcum manualem cum pharetra, et equum adminus septem vel octo florenos auri valentem. Item conclusum est, quod domini Prelati et Barones, qui in Hungaria pariter et Sclauonia bona habent, racione bonorum, in illo Regno nostro Sclauonie habitorum, teneantur specialiter gentes pro numero Jobagionum suorum in corpore illius Regni nostri pro defensione eiusdem tenere, nec eas de illo Regno et a Capitaneatu eiusdem debeant diuellere seu sequestrare. Item conclusum est: quod Banus Regni nostri Sclauonie Capitaneatum stipendiariorum vestrorum sibi vendicare non possit. Sed talem Capitaneum nos ex auctoritate nostra eligemus. Et quidem talem, qui ad hoc officium idoneus et acceptus erit, quique cum gentibus vestris ad mandatum

nostrum et Bani vestri, quo nos iusserimus, et quo necessitas requisierit, pro Regni defensione proficiscetur. Item conclusum est: quod vnusquisque vestrum de singulis Jobagionibus vestris, pro tempore ad id per vos deputando, teneatur pecunias exercituales in medium communitatis et ad manus hominum vestrorum, per vos ad id deputandorum, assignare, et nec eas quisquam audeat propria auctoritate pro se usurpare, quod si tales, sic vt prefertur, pecunias eorum in medium vestri assignantes ad exercituandum idonei, et vtiles vobis visi fuerint, et pro huiusmodi pecuniis soli seruire, et homines statuere et tenere voluerint, dummodo vtiles sint, talibus rursus pecunias ipsorum restitui, et vltro hoc etiam eis plus pecuniarum, provt ad bellum paraciores fuerint, dari debeantur. Domini vero Prelati et Barones Banderiati, siue non Banderiati, in illo Regno nostro bona habentes, teneantur Jobagiones ipsorum vobis connumerari permittere, pecunias tamen exercituales iuxta huiusmodi connumeracionem possint libere pro se recipere et tollere. Ita videlicet: quod gentes eorum semper in illo Regno nostro paratas teneant, et ad requisicionem Capitanei vestri per vos, modo quo supra, eligendi, tociens, quociens opus fuerit, pro defensione Regni sine aliquali difficultate et renitencia, aut quouis quesito colore mittere debeant et teneantur. Si que vero necessitas, quod Deus auertat, vobis et illi Regno nostro in posterum ex parte Thurcorum vel etiam aliarum Nacionum eueniret, et huiusmodi gentibus vestris ad defendendum se contra hostes pares esse non possetis; extunc et in eo casu omnes simul per singula capita insurgere et hostium conatibus resistere teneamini, decernentes huiusmodi modum exercituacionis iuxta prescriptos articulos ab omnibus, tam scilicet Nobilibus, quam etiam Prelatis et Baronibus cuiusuis status et condicionis fuerint, in predicto Regno nostro bona habentibus, firmiter semper debere obseruari. Immo decreuimus harum nostrarum vigore et testimonio litterarum mediante. Datum Bude feria sexta proxima ante festum sancte et indiuidue Trinitatis. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo nono.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 89.

CLXVII.

Anno 1499. feria 4. post festum Pentecostes. Budae.

Vladilaus Rex Vicario Zagrabiensi et Capitulo Časmensi, ut in sensu Decreti Regni Slavoniae propter factum testamenti, matrimonii, dotum et rerum paraphernalium, jurium quartalitiorum, perjurii, verberationis, vulnerationis et spoliationis Clericorum et mulierum, et propter illas alias causas, quae prope hanc non essent, in foro spirituali nulla causa tractetur, mandat.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie, Bohemie &c. Fidelibus nostris Venerabilibus Georgio Archidiacono de Bexyn, Vicario ecclesie Zagrabiensis, et Magistro Laurencio Custodi, Canonicoque et locumtenenti Chasmensi, salutem et graciam. Exponitur nobis in personis fidelium nostrorum Vniuersitatis Nobilium et alterius etiam cuiusuis status et condicionis possessionatorum hominum Regni nostri Sclauonie. Quod licet in decreto Regni nostri id contineatur, vt propter factum testamenti, matrimonii, dotum et rerum parafernalium, Jurium quartaliciorum, periurii, verberacionis, vulneracionisque et spoliacionis clericorum et mulierum, et propter illas alias etiam causas, que prope hanc non essent, in foro spirituali nulla causa tractetur. Tamen vos huiusmodi ordinacioni locum dare nolletis; sed indifferenter super omnibus factis et negociis citatorias litigantibus daretis, neque de materia rei geste, vel facte, in litteris ipsis citatoriis, vtrum pertineant ad forum vestrum, nec ne, aliquid specificaretis; ex quo fit, vt sepius ipsi Regnicole nostri, atque etiam coloni ipsorum, per calumpniam litigancium, sicut prefertur, citati, et de materia negocii, pro quibus citati sunt, ignari, in rebusque etiam aliis occupati, in presenciam vestram venire non valentes, per vos propter contumaciam excommunicarentur, et facta huiusmodi excommunicacione non mediocriter pactarentur. Quod cederet in preiudicium dictorum exponencium, et grauamen non modicum. Accepta igitur supplicacione ipsorum exponencium, volentes ea, que generali omnium Regnicolarum nostrorum consensu ordinata sunt, per vos facere obseruari. Mandamus fidelitati vestre serie presencium firmissime, vt a modo vnusquisque vestrum materiam, siue factum, pro quo citacio petitur, ab eo, qui causam mouere intendit, bene rescire et examinare debeat. Et si compererit, quod negocium huiusmodi forum spirituale contigerit, extunc litteras citatorias cum declaracione actionis rem gestam continentis, et non sub dubio, sicut hactenus factum fuisse dicitur, causantibus dare, decernereque debeat.

Vbi vero negocium huiusmodi ad forum vestrum minime pertinuerit, extunc nullas litteras citatorias talibus calumpniatoribus, ac tali lucro se sustentare solitis decernere debeatis, nec sitis ausi modo aliquali. Et hec volumus etiam per successores vestros Vicarios scilicet, et Locumtenentes dictarum Ecclesiarum facere firmiter obseruari, et presentes post lecturam reddi semper presentanti. Datum Bude feria quarta proxima post festum Pentecostes. Anno Domini Millesimo quadringentetimo nonagesimo nono.

(Sigillum Regium appressum)

Originale in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 94.

CLXVIII.

Anno 1501. Feria proxima ante dominicam Ramis palmarum. Budae.

Vladislaus Rex a Regno Slavoniae ad defendendum castrum Jajca, cui a Turcis periculum imminebat, auxilia petit.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Fidelibus nostris Magnificis ac Egregiis et Nobilibus Vniuersitati Regnicolarum Regni nostri Sclauonie salutem et graciam. Certificati sumus; et omnino pro explorato habemus Thurcos castrum Jaycza in his diebus velle obsidere. Quod non vanum aut friuolum, sed certum et firmissimum existit. Nam vltra alia omnia intimata, que vt diximus, superinde non de vno duntaxat, sed de pluribus locis habuimus, quidam captiuus Thurcus missus fuerat ad nos, qui poenis et tormentis agitatus, fassus est, ipsum Imperatorem Thurcorum procul dubio castrum illud velle obsidere; preterea plerique etiam alii Thurci in eodem castro Jaycza diuersis similiter tormentis cruciati, vniformiter et consentanea voce modo simili retulerunt premissa omnia vera et certissima esse. Non fugit autem vos, quantas necessitates presertim in victualibus castrum predictum patitur. Ne igitur in extremam perniciem ac periculum huius .... Regni, atque omnium vestrorum castrum ipsum pereat, iam nos, quantum .... pedites, et equites citissime ad idem castrum misimus, ac aliam .... prouisionem fecimus. Quapropter pro euitando tanto, et tam formidabili .... primis partibus illis et consequenter huic, et illi Regno; immo verius .... rogamus, et hortamur fidelitates vestras, eisdemque etiam committentes, provt ....s, et Nobili-

bus illarum parcium commisimus, quatenus statim acceptis presentibus ad .... que nos in presenciarum pro conseruacione eiusdem castri per vos et alios .... larum parcium interiorum dari et imponi commisimus, sine omni vlteriori .... as pro defensione eiusdem Regni tenere et alere debetis, aut adminus .... ingentos equites mittere, ac huiusmodi victualia, vna cum aliorum .... eos ad conductionem ipsam mitti iussimus vsque ad idem castrum .... omnibus debeatis. Et aliud in quantum hoc et illud Regnum et vos omnes ...... ali futuro periculo preseruari cupitis, in hoc nulla racione facere audeatis. Datum Bude feria proxima ante Dominicam Ramis Palmarum. Anno Domini Millesimo Quingentesimo primo.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 112.

CLXIX.

Anno 1501. die 25. Maji. Budae.

Vladislaus Rex contra violentam in Regno Slavoniae abductionem Jobagionum dispositionem facit.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Fidelibus nostris Magnificis ac Egregiis, et Vniuersitati Nobilium et Regnicolarum Regni nostri Sclauonie salutem et graciam. Superioribus temporibus commiseramus fidelitatibus vestris, vt ex quo in illo Regno nostro propter damnabilem illam et perniciosam consuetudinem violente et nocturnalis abductionis Jobagionum multe hominum interempciones atque hostilitates plurimaque dampna et alia nocumentorum genera in altervtrum committantur, vt in vno die conuencionis siue Congregacionis vestre super huiusmodi dampnosa et nociua Jobagionum abductione inter vos tractaretis, et provt melius visum foret, in abolicione huiusmodi detestande consuetudinis pro vlteriori quiete vestra viam reperiretis; et provt vobis melius visum fieret, id in formam articulorum redigeretis et Maiestati nostre transmitteretis. Super quo nos postea cum dominis Prelatis et Baronibus, qui bona in illo Regno nostro habent, tractaremus, et si huiusmodi via et modus honestus ac conducibilis pro communi bono vestro esset, illum acceptaremus et per litteras nostras etiam confirmaremus. Nunc vero ex relatibus nunciorum et fratrum vestro-

rum, qui ad presentem Dietam festi beati Georgii Martyris nomine vestro venerunt, intelleximus: vos nihil in abolicione huiusmodi male consuetudinis abducendorum Jobagionum tractauisse, optare tamen, vt modum illum, qui inter Regnicolas parcium Regni nostri Transyluanarum obseruatur, in medio vestri inducere dignaremur. Vnde, postquam intelleximus fidelitates vestras ad abolendam malam consuetudinem, que tot malorum causa et origo existit, esse propensos et inclinatos, nos cum Prelatis et Baronibus nostris super hac re diucius tractauimus et cum iisdem ita decreuimus et deliberauimus, vt nullus omnino vestrum cuiuscunque status et condicionis existat, infra trium annorum integrorum spacium, a die exhibicionis presencium inclusiue computandum, alter alterius Jobagiones siue rusticos de bonis alterius ad suas possessiones moraturos abducere audeat atque possit, post lapsum vero huiusmodi trium annorum, si vobis videbitur, talis abductio Jobagionum sine preiudicio vestro de illo Regno commode tolli posse, deliberabimus, tandem si talis, qualis antea fuit, vel alius modus in abductionibus Jobagionum inter vos deinceps obseruari debeat. Quapropter fidelitati vestre serie presencium strictissime mandamus, quatenus a modo nullus omnino vestrum tempus infra premissum aliquem Jobagionem suum ad alterius cuiuspiam bona moraturum abire permittere, sed neque de aliorum Bonis ad suas possessiones siue bona contra formam premisse nostre ac Prelatorum et Baronum nostrorum deliberacionis recipere, siue abducere presumat neque sit ausus modo aliquali. Si qui vero ex vobis aliquem ex Jobagionibus Nobilis vicini sui impetrare voluerit, id libere faciat, ita tamen, quod dum Jobagio vester de bonis vestris recedere voluerit, eundem pro alio Jobagione libere et sine vlla cunctacione dimittere debeatis, et in hoc nullam difficultatem faciatis. Quoniam alioquin commisimus et presentibus firmius mandamus Fidelibus nostris Illustri Johanni Coruino, Oppauie et Lipthouie Duci, ac Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Bano, ac Egregiis Vicebanis vestris et Comitibus ac Judicibus Nobilium Comitatus Crisiensis, vt ipsi vos et quemlibet vestrum ad premissa obseruanda atque facienda per remedia opportuna in talibus fieri solita arctent et compellant auctoritate nostra Regia presentibus ipsis in hac parte attributa et Justitia mediante. Secus igitur nullo modo facturi. Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Bude in festo beati Vrbani Pape. Anno Domini Millesimo Quingentesimo primo.

(Sigillum Regium appressum.)

Originale in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 111.

CLXX.

Anno 1501. die 17. Decembris. Budae.

Vladislaus Rex Banum Slavoniae octavas in Regno Slavoniae secundum statuta ejusdem Regni celebrare jubet.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Fideli nostro Illustri Johanni Coruino, Lipthouie Duci ac Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Bano, salutem et graciam. Quia fideles nostri vniuersi domini Prelati, Barones et Nobiles Regni nostri Sclauonie celebracionem octauarum eiusdem Regni nostri ad vnicum terminum puta Epiphaniarum Domini reduxerunt, statueruntque, vt in dicto termino quolibet anno octaue ipsis sine intermissione celebrentur, eo duntaxat casu excepto, si omnes illius Regni nostri Nobiles in propriis ipsorum personis cum Maiestate nostra in expedicione siue bello contra inimicos Regnorum nostrorum essent occupati; ob hoc Maiestati nostre per oratores suos ad nos missos humillime supplicarunt, vt hoc quoque anno non obstante absentia nostra octauas ipsis celebrari faceremus. Nos igitur volentes, vt iuxta huiusmodi ordinacionem et deliberacionem ipsorum ad futurum quoque festum Epiphaniarum Domini proxime venturum eisdem octaue celebrentur; mandamus fidelitati vestre harum serie firmiter, quatenus in dicto Regno nostro Sclauonie huiusmodi octauas in ipso termino celebracionis earundem, non obstante absencia nostra, more alias consueto ipsis celebrare siue celebrari facere modis omnibus debeatis et teneamini. Secus non facturi. Datum Bude feria quarta proxima post festum beate Lucie Virginis. Anno Domini Millesimo Quingentesimo primo.

(Sigillum Regium appressum)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 110.

CLXXI.

Anno 1503. Festo die SS. Corporis Christi. ***Budae.***

Vladislaus Rex confirmat antiquam Regni Slavoniae legem, ut Vicecomites et Judices e patriae filiis tantum eligi possint.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Fidelibus nostris Illustri Johanni Coruino, Lypthovie Duci ac Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Bano moderno, futurisque Banis et Vicebanis eiusdem Regni nostri Sclauonie salutem et graciam. Ex querelis et supplicacione fidelium nostrorum Vniuersorum et singulorum Nobilium et Regnicolarum eiusdem Regni nostri Sclauonie intelleximus: Quod, quamuis iuxta veterem et laudabilem consuetudinem eiusdem Regni nostri in singulis scilicet Comitatibus eiusdem pro Vicecomitibus et Judlium non forenses vel extranei, sed semper tales Nobiles eligi fuerunt consueti, qui in illo Comitatu bene possessionati essent, quique post eiuscemodi electionem Juramento se obligarent ad faciendam coram se litigantibus Justiciam, provt Regni illius consuetudo requireret. Tamen huiusmodi antiqua consuetudo ab antiquo introducta hac nostra tempestate in aliquibus Comitatibus, precipue vero in Zagrabiensi et Varasdiensi per Banos et Vicebanos fuisset aliquantulum immutata. In quibus non Nobiles eorundem Comitatuum, sed forenses et alienigene pro Vicecomitibus electi fuissent, qui sicuti Juramento ad faciendam Justiciam non fuerunt astricti, ita eciam sepius et frequenter a Justicia atque a vero et iusto iudicio declinantes, plerisque Nobilibus et Regnicolis litigantibus maximas iniurias et dampna fecissent et nonnullos etiam ex eisdem oppressissent. Quod cederet in iniuriam et dampnum prefatorum Regnicolarum nostrorum non modicum. Vnde supplicatum exstitit Maiestati nostre in personis eorundem, vt ipsos in premissa antiqua et per multa secula in eligendis Vicecomitibus introducta et inuiolabiliter obseruata consuetudine atque libertate deinceps quoque tenere et conseruare, tenerique et conseruari etiam facere dignaremur. Nos igitur, qui Jura omnium subditorum nostrorum manutenere pro debito regiminis nostri officio debemus, considerantes premissam consuetudinem in eligendis Vicecomitibus laudabiliter prius fuisse introductam, et in hac etiam nostra tempestate per leges et statuta Regni nostri omnium Regnicolarum nostrorum assensu innouatam esse, volentes ipsos Regnicolas nostros, precipue vero in dictis duobus Comitatibus Zagrabiensi scilicet et Varasdinensi existentes, qui, vt prefertur, in hac ipsa libertate et consuetudine fuerunt impediti, in eiuscemodi eorum antiquis libertatibus conseruare, volumus et mandamus fidelitatibus vestris

et cuiuslibet vestrum harum serie firmissime aliud habere nolentes, vt amodo dum et quociescunque Vicecomites in Comitatibus illius Regni nostri, precipue vero in Zagrabiensi et Varasdinensi eligi contigerit, tales obseruata priori et antiqua consuetudine iuxta formam Decreti non alienigenas, nec forenses, sed Nobiles illius Comitatus, in quo talis Vicecomes eligi debebit, eligantur et preficiantur; post quorum electionem ab eisdem Juramentum iuxta formam Decreti deponendum exigatis, quo in reddendis et administrandis Justicia et Judiciis magis stabiles et firmi existant, nec vllo vnquam tempore premissam libertatem et consuetudinem antiquam quouis quesito colore infringere vel violare presumatis; sed ipsos Regnicolas nostros in ea ipsa libertate semper et omni tempore conseruare debeatis et teneamini. Secus nullo modo facturi gracie nostre sub obtentu. Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Bude in festo Sacratissimi Corporis Christi. Anno Domini Millesimo quingentesimo tercio, Regnorum nostrorum Hungarie &c. Anno tredecimo, Bohemie vero Tricesimo tercio.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 113.

CLXXII.

Anno 1504. Feria 2. prox post festum Ascensionis Domini. Budae.

Vladislaus Rex Bano Slavoniae, ut secundum legem et consuetudinem Regni Slavoniae, Processus Juridicos debitae executioni demandari in futurum non praetermittat, committit.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Fideli nostro Illustri Johanni Coruino, Lypthouie Duci ac Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Bano. Salutem et graciam. Noueritis, pro parte et in personis fidelium nostrorum Vniuersorum Regnicolarum illius Regni nostri Sclauonie nobis humiliter fuisse supplicatum, quatenus processus illos Juridicos et sentencias, qui et que in sede Judiciaria illius Regni nostri in quibuscunque causis per quoscunque et contra quoscunque ordine Juris obseruato, per compleciones terminorum ita et taliter facti sunt et reportate, quod nullus omnino processus Juridicus causis in eisdem vlterius fieri possit, debite per vos Execucioni demandari facere dignaremur. Nos itaque attendentes supplicacionem eorum iustam et Juri consonam esse; cum frustra fierent Judicia, si ea, que iudicialiter decernuntur, debite non demandarentur execucioni, fidelitati vestre harum serie firmiter precipientes mandamus, quatenus vniuersos eiuscemodi processus Juridicos et sentencias, qui videlicet et

que modo premisso facti sunt et reportate, absque omni prorsus superflua dilacione debite execucioni demandare modis omnibus debeatis et teneamini, provt lex et consuetudo illius Regni nostri requirit. Auctoritate nostra Regia presentibus vobis in hac parte attributa, ac Jure et iusticia mediante. Si autem contingeret, eiuscemodi processus Juridicos et sentencias contra aliquos adeo potentes reportari, quod vos ipsi ad execucionem faciendam non sufficeretis, extunc volumus, quod vos id nobis per litteras vestras significare debeatis. Nos autem per vos certificati curabimus de tali remedio prouidere, ut ea, que iudicialiter decreta sunt, debite etiam execucioni demandari possint. Secus igitur nullo modo facturi. Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Bude feria secunda proxima post festum Ascensionis Domini. Anno eiusdem Millesimo Quingentesimo quarto.

In dextro inferiori margine:

Relacio Reuerendi Domini Sigismundi, Episcopi Nitriensis, Secretarii Regii. — S. Thurzo.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 115.

CLXXIII.

Anno 1505. In campo Rakos.

Judex Curiae Regiae decretum Statum et Ordinum Regni Hungariae, de extraneo Rege post mortem Vladislai Regis non eligendo, ad preces oratorum Regni Slavoniae huic Regno seorsim edit.

Nos Comes Petrus, Comes de Sancto Georgio et de Bozyn, Judex Curie Serenissimi Principis domini Wladislai, Dei gracia Regis Hungarie, Bohemie &c., ac Waiuoda Transyluanie. Memorie commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit Vniuersis: Quod cum in presenti Dieta seu Conuencione generali Vniuersorum dominorum Prelatorum et Baronum ac ceterorum Regnicolarum, pro festo beati Michaelis Archangeli proxime preterito, de Regio mandato in campo Rakos celebrata quedam littere eorundem Vniuersorum dominorum et Regnicolarum sanctionales et constitutionales factum cuiusdam Vnionis et conclusionis eorum super electione noui Regis post obitum prefati domini nostri

Wladislai Regis domini nostri graciosissimi, siquidem absque heredibus masculinis decedat, fienda, ratificate in se exprimentes, in pargameno priuilegialiter confecte, sigillisque eorum in pendenti communite, coram eisdem dominis et Regnicolis, nobis quoque presentibus, in ipso campo Rakos ad legendum pariter et sermone vulgari declarandum fuissent exhibite; mox Egregii Emericus de Hassagh Protonotarius, ac Georgius Castellanfy, nec non Bernardus de Thurocz et Elias Basnyak de Busthincz, Oratores Regni Sclauonie, in ipsorum et aliorum vniuersorum eiusdem Regni Nobilium nominibus et in personis, nostram exsurgentes in presenciam paria earundem litterarum sanctionalium per Nos eidem Vniuersitati Nobilium predicti Regni Sclauonie dari pecierunt Jurium eorum ad cautelam; quarum tenor talis est: Nos Thomas tituli Sancti Martini in montibus Sacro Sancte Romane Ecclesie Presbyter Cardinalis Strigoniensis, et Gregorius de Frangepanibus Colocensis et Bachiensis Ecclesiarum Canonice vnitarum Archi-Episcopi, ac Sigismundus Thwrzo Transyluaniensis, Georgius Waradiensis, Cancellarius Regius, Franciscus Jawriensis, Nicolaus de Chak Chanadiensis, Nicolaus de Báthor Waciensis, Stephanus Nitriensis Episcopi, et Johannes Orzagh electus Syrmiensis, Ecclesiarum Prelati, ac Bartholomeus Prior Aurane Comes Dubicensis, item Emericus de Peren Comes Perpetuus Comitatus Abaujvariensis Regni Hungarie Palatinus et Judex Comanorum, Comes Petrus Comes de Sancto Georgio et de Bozyn Judex Curie Regie ac Waiuoda Transyluanus, Joannes de Zapolya Comes perpetuus terre Scepusiensis, Dux Laurencius de Wjlak, Josa de Som Comes Themesiensis ac partium inferiorum Capitaneus Generalis, Blasius de Raska Thauernicorum, Moyses Bwzlay de Gergellaka Janitorum, Georgius de Bathor Agazonum, Michael de Palocz Pincernarum, Johannes Podmaniczky de Podmanyn Cubiculariorum Regalium Magistri, Antonius de eadem Palocz, Franciscus Comes de predictis Sancto Georgio et de Bozyn, Georgius de Kanysa Banus Nandoralbensis, Johannes Berizlo Regni Rascie Despotus, Stephanus de Thelegd Thesaurarius Regius, Johannes Bebek de Pelsewcz, Georgius Dragfy de Belthewg, Thomas Zechy de Felsewlyndva, Michael Orzagh de Gwth, Franciscus de Hedervara, Stephanus Rozgony de Monyoros, Johannes de Homonna, Sigismundus de Lossoncz, Georgius Comes de Merczyn, Andreas Both de Bayna et Franciscus Balassa de Gyarmath Regnorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Bani electi, Johannes Pethew de Gersa Janitorum Reginalium Magister, Johannes Tharczay Siculorum, Ambrosius Sarkan de Akoshaza Posoniensis Comites, Michael de Chak, Johannes Banffy de Lossoncz, Barones, nec non Barnabas Belay Zewriniensis, Georgius More de Chwla Nandoralbensis, Nicolaus Kende de eadem Chwla de Sabacz Bani, Marcus Horwath de Kamichacz Castellanus Castri Budensis, Emericus Thewrek de E . nyng, Michael de Pakos, Martinus Czobor de Czoborzenth-Mihaly, Michael de Zob, Paulus de Magh Vice-Palatinus, Lodovicus Zerechen de M . . . nyew Vice-Judex Curie Regie, Magistri Johannes de Ellyewe . . . Palatinalis. Stephanus de Werbewcz, Judicis Curie Regie et Partium Regni Transyluanarum, Matheus de Mezewgyan et Franciscus de Maroche personalis presencie Regie Maiestatis Prothonotarii, nec non Michael Emrehfy de Zerdahely, Andreas Litteratus de Bancha Comes Chongradiensis. Osualdus Korlathkewy Castrorum Thatha et Comaromiensis Castellanus, Nicolaus Zolyomy de Albes, Nicolaus Zekel de Kewend, Ladislaus de Kys Warda, Nicolaus Haghmassy de Berekzo, Albertus de Pakos, item Stephanus Kesserew de Gybarth, Ladislaus de

Zenth Pether de Walko, Franciscus Herczegh de Zekchew, Stephanus Istvanffy de Kissazzonyfalua, Johannes Bika de Therembegh, Georgius Orbonaz de Krassofew; Leonardus Dacho de Ewr de Baranya, Stephanus de Korothna, Johannes Fanchy de Gordoua, Ladislaus Lengyel de Thothy, Johannes Kalman de Inakod simigiensis, Franciscus Bodo de Gyewrgy, Paulus et Nicolaus de Dombo, Georgius Zerechen de Mezthegnyew, Nicolaus de Morga Tolnensis, Thomas de Arthand, Nicolaus de Thorda, Michael de Thold, Johannes de Bayon, Nicolaus de Mochtho Byhoriensis, Georgius de Kerechen, Blasius de Chan, Andreas Kaczer de Lak Zaladiensis, Gregorius de Sywthke, Ladislaus Syberik de Zarwaskend Castriferri, Franciscus de Essegwar, Georgius de Hozgwthoth, Lazarus de Hathalom, Johanues de Ayka Wesprimiensis, Stephanus Chaky, Michael Loranth Sopromiensis, Georgius de N... Blasius Lygandy Jawriensis, Georgius de Illyeshaza, Lodovicus de Kemend Posoniensis, Gregorius Erdews Albensis, Johannes Meghy Sedis Solth, Johannes Balogh de F....... Johannes Was de Wasdinnye Komaromensis, Clemens Ros.. Th... chiniensis, Matheus de Kwbyn de Arwa; Christophorus Tharnoczy......., Thomas ...nay Lypthouiensis........, Mysinczky Zolyensis, Stephanus Maryassy de Markusfalua, Georgius Therney Scepusiensis, Gregorius Forgach de Gymes, Benedictus de Thapolchan, Michael de Salgo Nitriensis, Ladislaus de Kalna, Georgius Baronyay Barsiensis, Blasius de S.., Osualdus de .... Radno ... Theryen, Sigismundus .... de N..hy Newgradiensis, Paulus .... Georgius Mochkos de Nyenye, Ladislaus de Chehy, Johannes Bakos de Osgyan Honthensis, Nicolaus Etheley de Syn, Michael Kenderessy de Gyal, Magister Adam de Horwathy Pesthiensis, Stephanus de Thah .... Pilisiensis, Franciscus de Bazthew .....niensis, Johannes et Dominicus de Pazthoh, Gallus de Bellyen Heuessiensis, Johannes de Chethnek, Nicolaus Loranthffy de Serke, Franciscus de Rymazech, Johannes de Fele Gewmeriensis, Franciscus de Gywlaffy de Kaza, Stephanus de Rechk Borsodiensis, Petrus Thwrzo de Bethlenfalua, Ladislaus de Fanchal Abaujuariensis, Christophorus de Pan, Georgius de Chap Zempleniensis, Matheus de Zwynya, Sebastianus de Segnyew, de Saros, Dominicus Dobo de Rwzka, Nicolaus ....hrythe de Wng, Ladislaus Jakchy de Kazon, Blasius de .amen, Martinus de Darocz de Bereg, Georgius de Wyhel, Nicolaus de Beken de Vgocha, Johannes Gethe .. Johannes .... inarossiensis, Bartholomeus de Chalol, Georgius de Ghatal, Johannes Sczepessy Zathmariensis, Nicolaus de Sarmasag, Thomas de Bewnye Zolnok mediocris, Jeronimus de Illoswa, de Crazna. Melchior .... Clemens Dersy de Petthry de Zabolch. Sebastianus et Petrus Abramffy de Gerla, Ladislaus de Ladan de Bekes .... Gyalw, Philippus de Banrewe, Johannes de Wesen Zolnok exterioris, Bernaldus Lepes de Varaskezy, Andreas Horvath de Zarand, Antonius Dersy de Petthry, de Zarand, Bartholomeus Path .... de Kechkemeth, Petrus de Rawazd, Nicolaus Akos de Kezy, Stephanus Kenther de Iwanhaza Orodiensis, Ladislaus de Thelegd, Gregorius Mako de Makofalwa, Lucas de Kuthas Chanadiensis, Ladislaus de Gyarmath Themesiensis, Bartholomeus Kerey de Thorontal, Michael de Kenderes, Franciscus Zolthay Bachiensis, Andreas Peres, Johannes de Dorozlo de Bodrog, Gregorius de Dooch, Gregorius Pesthyen de Marthonos, Stephanus de Sewenhaza Chongradiensis, Nicolaus de Zelnathach, Sigismundus Rathky de Posega, et Michael Petthrowich

de Orbaz, Comitatuum predicti Regni Hungarie Nobiles Proceresque et Primores eiusdem Regni vniuersi, in presenti Dieta et Conuencione nostra generali in campo Rakos, de mandato prefati Domini nostri Wladislai Regis pro festo beati Michaelis Archangeli proxime preterito celebrata constituti, et existentes. Memorie commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit vniuersis: Quod cum nihil in terris sit aut fiat Deo acceptius vel nature humane accommodacius, quam communi patrie vniuersorumque hominum coetui quam optime quamque studiosissime consulere, omnesque conatus, curas, solerciam, omne denique studium et industriam ad vsum et salutem ipsius patrie ac gentis sue refere; quoque ipsa salua sit et incolumis, presencia pariter et impendencia exactius vigilanciusque intueri, et vniuersa discrimina, in que illa ex incuria et desidia conseruatorum eiusdem facile incidere posset, ita propulsare, vt in tuto et tranquillo collocata et stabilita ex omni parte esse videatur. Sane igitur nos in animo nostro sepe reuoluentes grauem illam et prope exiciosam huius Incliti Regni Hungarie desolacionem atque indigenciam, in quibus illud idem hoc tempore enormiter admodum iacere quisque facile conspicere potest, volentes more optimorum Regnicolarum et patrie nostre amatorum atque conseruatorum eiuscemodi desolacioni atque extreme ruine eiusdem maturius consulere plures hinc inde Dietas magnas etiam et inexplicabiles labores, fatigas et expensas in ea ipsa re hucvsque fecimus. Et licet aliqua sint per hec tempora multis et uariis curis et laboribus reformata et rectificata, tamen vnum hoc precipuum comperimus, per quod hoc ipsum Regnum nostrum vehemeter dilaceratum, debilitatumque et ad hanc turpem desolacionem et in omnibus suis membris deformitatem exstitit redactum. Quod videlicet hoc ipsum Regnum sepenumero ab alienigenis et forensibus Dominis et Regibus exstitit gubernatum; quorum temporibus, si preterita commemorare liceret, aut opus esset, facile appareret, Regnum hoc nunquam maius detrimentum, nunquam maius periculum et desolacionem subiisse, quam tunc, quum sub forensi dominio et non sui linguagii fuit tentum et gubernatum. Hi etenim forenses priuatis rebus eorum intenti, priusquam mores et consuetudines huius Scythice gentis (que sicuti Regnum hoc cum maxima sanguinis sui effusione et fratrum suorum ingenti cede acquisiuit, ita ferro et armis modo quoque tutare solet) didicissent, semper ocio pocius et quieti, quam armis incubuerunt. Quo factum est vt Rama, Seruia, Gallicia, Lodomeria, Bulgaria Dalmaciaque et alia quam plurima fortalicia per eorum incuriam ab hoc Regno sunt alienata adeo, vt dilaceratis extremitatibus verendum nobis sit, ne hostiles impetus iam etiam ad interiora se conuertant, que minime acta fuisse arbitramur, si hec gens Hungarica natalis soli dulcedine allecta non de e..... Nacionibus, sed de gente sua quempiam Regem idoneum pro se elegisset. Nam vt Serenissimorum Andree Secundi Patris vtputa Regis B.... quarti, ac Lodouici et Mathie, aliorumque diuorum Hungarie Regum acta preclaraque gesta, quibus gentem hanc Scythicam non solum claram magnificamque nomine et gloria reddiderunt ..... famam ipsius per totum orbem terrarum longe lateque diffusam ad ethera vsque extulerunt) breuitatis racione pretereamus, nullus eorum, qui de stirpe Hungarice nacionis ad regale fastigium supplimatus fuisse dinoscitur, dispendium, sed pocius augmentum et vtilitatem Regni attulit; e contra vero, qui de extera nacione ...ucti exstiterunt, non solum huic Regno periculo fuere, verum etiam vt hostes interdum seuissimi intra viscera Regni crudeliter grassati probro ma-

ximo gentem hanc affecerunt. Huic igitur et tanto malo, nostroque omnium supremo dispendio volentes iam tandem occurrere; ne si modernum graciosissimum dominum nostrum, dominum Wladislaum Regem Hungarie et Bohemie &c., qui nos in omni gracia et libertate non modo graciose rexit et conseruauit, sed etiam plures libertates nostras reformauit, ab hac luce absque heredibus masculinis decedere contingat nos et hoc Regnum in maiori discrimine permaneat, et ne quisquam forensium Principum Regnum istud sibi violenter usurpet, neque in seruitutem perpetuam redigat. Maxime etiam et precipue ea racione inducti, quod per totum orbem nulla dinoscitur nacio seu gens, que non de gente et sanguine atque nacione sua Regem et Dominum sibi eligeret. Ne igitur hoc Regnum, quod antemurale clypeusque Christianitatis existit, et magna sua et suorum cede semper Christianitatem ipsam defendit, minus et quodammodo infelicius aliis esse videatur, sancimus et vnanimiter omnes a minore ad maximum et a maximo ad minorem statuimus et ordinamus: Quod a modo deinceps quociescunque et quandocunque hoc Regnum Principe et Rege orbabitur, nullique heredes masculi de Jure atque consuetudine eiusdem Regni succedere debentes superstites remanserint extunc de cetero in perpetuum nullum penitus exterarum nacionum cuiuscunque linguagii .... in Regem nostrum eligemus; sed tantummodo Hungarum ad hoc officium regiminis aptum et idoneum parili voto et vnanimi consensu et voluntate, in campo duntaxat Rakos et non alibi pro domino et Rege nostro assummemus, eligereque et assumere ac acceptare debeamus. Quoniam autem exstant nonnulli Principes et Reges vicini, qui ad hoc Regnum pro se vendicandum quotidie anhelant, qui post obitum prefati Serenissimi domini nostri Regis, siquidem absque heredibus masculis, quod Deus auertat, decederet, vel etiam eo in humanis adhuc agente hoc Regnum vel partes et membra sua armis impetere aut agredi, ipsumque et nos omnes vi forsitan et armis subiugare sibi conarentur; ne igitur in tali casu hoc ipsum Regnum, partesque eiusdem, et maxime fratres et amici nostri in confinibus existentes per eosdem hoc Regnum preter nostram vnanimem electionem et contra huiusmodi Statutum nostrum seu etiam alias qualitercunque occupare et ipsis appropriare volentes opprimantur; promisimus et iurauimus, promittimusque et iuramus in nostris ac heredum et successorum nostrorum nominibus et personis omnes stipulata manu, nos Prelati ad nostre consciencie puritatem nos vero Barones, Proceres et Nobiles prefati ad fidem nostram Christianam, atque honorem et humanitatem nostram, quod in tali casu nullus alterum derelinquet, sed alter alteri secundum limitacionem superinde factam cum gentibus suis iuxta contenta generalis Decreti nostri conseruare debeant, et dum opus erit, maiori etiam potencia, qua poterit, semper et quidem in tempore fideliter succurrere, imo si necessarium fuerit, totum hoc Regnum et consequenter nos omnes per singula capita insurgere, talique hosti occurrere et pro ipsa patria nostra vsque ad mortem decertare teneamur. Nec interim vllo pacto cessare debeamus, donec et quovsque nos a tali hoste in libertatem vendicabimus et Regnum hoc ab illius impeticione seu infestacione Dei auxilio liberabimus et in tranquilitatem priorem reponemus. Si qui vero nostrum contrarium premissorum facere presumerent, tales perpetui infideles Regni habeantur, quibus neque Maiestas Regia de nouo constituta, et nec totum ipsum Regnum graciam facere possit, sed iugo perpetue seruitutis et rusticitatis subiecti reatus ipsorum poenam lugeant sine fine; harum nostrarum (quas nos

Prelati et Barones appensione sigillorum nostrorum sub veris armis nostris; nos vero Proceres et Nobiles prefati sigillis prelibatorum dominorum Emerici de Peren Comitis et Palatini, ac Comitis Petri Judicis Curie Regie et Wajuode Transyluaniensis authenticis communiri fecimus) vigore et testimonio litterarum mediante. Datum in campo Rakos predicto quintodecimo die Congregacionis nostre generalis antedicte. Anno Domini Millesimo quingentesimo quinto. Vnde nos peticionibus prefatorum Emerici de Hassagh Protonotarii, ac Georgii Castellanffy, Bernardi de Thwrocz et Elie Basnyak, oratorum predicti Regni Sclauonie, fauorabiliter inclinati tenorem earundem litterarum de verbo ad verbum sine diminucione et augmento aliquali transscribi et transsumpmi, presentibusque litteris nostris priuilegialibus inseri facientes memoratis Emerico de Hassagh Prothonotario, ac Georgio Castellanffy, nec non Bernardo de Thwrocz et Elie Basnyak, consequenterque ipsi Vniuersitati Nobilium dicti Regni Sclauonie, volentibus et consencientibus prefatis dominis et Regnicolis, duximus concedendas. Datum loco, termino et Anno inprenotatis.

(Sigillnm Judicis Curiae authenticum in zona sericea albi, rubri et viridis coloris, pendens.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 116.

CLXXIV.

Anno 1508. Budae.

Vladislaus Rex SS. et OO. Regni Slavoniae de futura filii sui Ludovici coronatione edocet.

Commissio propria Domini Regis.

Nos Wladislaus, dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Memorie commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit vniuersis: Quod cum nos sepenumero animo reuoluissemus, quot et quanta bella. discordie et perniciose dissensiones post obitum et mortem Serenissimorum Regum Hungarie Predecessorum nostrorum diue memorie, ob defectum et carenciam Regie masculine sobolis in hoc Regno orte fuerint, in qualemue ruinam desolacionem et periculum per eiuscemodi bella et guerras hoc ipsum Regnum deuenerit et inciderit, et presertim in memoriam reduxissemus ea tempora, quibus nos ad hoc Regium culmen suscepti sumus, quot et quam pestiferis bellis tam internis quam externis hoc Regnum ob premissam causam ardebat vsque adeo, quod, nisi diuina ope et fidelium subditorum nostrorum fide ac prudenti consilio eadem illa bella et

imminencia ex ipsis pericula magno labore et longo tempore, magnis item et inexplicabilibus expensis nostris et huius Regni nostri depulissemus, procul dubio Regnum hoc vsque ad extremum concussum fuisset et defatigatum: nihil conducibilius, nihil salutarius in mentem venit, nec apcius ad conseruandum hoc ipsum Regnum in sua libertate et tranquillitate, ad tollendam denique occasionem futurorum bellorum et discriminum, quicquam subiit, quam vt Illustrissimus Princeps Dominus Lodouicus Dux, charissimus filius noster, quem a Deo ipso maximo non solum in nostram, sed in huius Regni nostri et vniuerse Christianitatis consolacionem datum et donatum esse arbitramur, nobis viuis et feliciter regnantibus coronaretur. Quippe non modo firma spes est, verum etiam racio ipsam affirmat, Coronato hoc tempore eodem domino Duce, et externorum bellorum et intestinarum dissensionum atque discordiarum omnium fomitem et materiam Coronacionem ipsam fore sublaturam. Quamobrem cum hoc salutiferum nostrum propositum et deliberacionem in presenti Dieta et Conuencione generali pro vigesima die festi beati Georgii Martyris proxime transacti per nos celebrata vniuersis Dominis Prelatis, Baronibus, ceterisque Regnicolis, quos huius rei gracia ad hunc diem conuocari feceramus, exposuissemus, eosdemque fuissemus hortati et rogassemus, vt ob premissas et plures alias ipsis conducibiles causas et raciones annuerent et volentibus animis accederent, prefatum Illustrissimum filium nostrum dominum Lodouicum Ducem cum sacra Corona huius Regni coronare, Iidem domini Prelati et Barones, vniuersique Regnicole pro eorum erga nos integerrima semper fide, fidelitate et singulari deuocione et obediencia veluti boni et de beneficiis nostris grati subditi animi ipsorum eiuscemodi nostre peticioni et desiderio accomodarunt et benevole accesserunt; petentes tamen, et in effectu dicte Coronacionis a nobis humiliter optantes: vt pro futura ipsorum securitate, tranquilitate et libertatis obseruacione, quando idem dominus Lodouicus Dux filius noster adhuc puer esset ac infans, tam in nostra, quam eiusdem filii nostri persona specialibus litteris nostris promitteremus, vt tam nos, quam ipse filius noster eosdem dominos Prelatos et Barones, ac Proceres et Nobiles vniuersumque Regnum in Decretis ac concessis ipsis per nos libertatibus conseruare et easdem libertates et Decreta ipsa cum eisdem etiam dominis Prelatis et Baronibus et cum vniuersis Regnicolis, cuiuscunque condicionis fuerint, conseruare etiam faceremus. Preterea ex quo varii essent rumores ex parte Serenissimi Principis Domini Maximiliani Romanorum Regis et de conatibus eiusdem ad hoc Regnum, essentque illius voluntas et actiones ipsis suspecte; vt eosdem dominos Prelatos et Barones et vniuersos Regnicolas similiter litteris nostris assecuremus: vt neque viuentibus nobis, neque morientibus predictum filium nostrum ad manus eiusdem Domini Romanorum Regis, aut sub gubernacionem aut tutelam eiusdem vel alterius cuiuscunque forensis Principis non modo dabimus vel assignabimus, sed eundem hic in Regno et apud manus eorundem dominorum Prelatorum, Baronum ac reliquorum Regnicolarum mittemus ad gubernandum. Idcirca nos, qui per huiusmodi filii nostri Coronacionem nonnisi bonum, commodum ac perpetuam tranquillitatem dicti Regni nostri Hungarie ac ceterorum Regnorum nostrorum querimus, nec quicquam priuati commodi aut vtilitatis in hoc optamus, vt tam pium ac sanctum opus finem optatum consequatur; promittimus in verbo nostro Regio pro nobis et pro eodem Illustrissimo filio nostro, vniuersisque heredibus et successoribus nostris, vt prescripta Decreta et omnia in illis contenta, sed et

alias omnes libertates per nos eisdem dominis Prelatis et Baronibus, ceterisque Nobilibus huius Regni nostri concessas firmiter, inconcusse et inuiolabiliter nos obseruaturos, et tam per eundem Illustrissimum filium nostrum Dominum Lodouicum Ducem, quam etiam dominos Prelatos et Barones, omuesque Regnicolas similiter firmiter, inconcusse et inuiolabiliter facare obseruari, Provt iidem domini Prelati et Barones, ceterique Regnicole nostri sese, ac eorundem heredes ac successores vniuersos obseruaturos nostre Maiestatis in conspectu promiserunt. Promittimus preterea, quod nos eundem Illustrissimum filium nostrum, vt premissum est, nec in vita, nec in morte nostra prenominato Domino Regi Romanorum, sed neque cuicunque alteri Principi forensi ad educandum vel tenendum seu gubernandum dabimus, sed eundem apud manus dominorum Prelatorum ac Baronum et Procerum atque Nobilium, et in hoc Regno Hungarie dimittemus et reliquemus, et de eodem nullo pacto educere aut educi facere volumus seu procurabimus. Assecuramus insuper eosdem dominos Prelatos et Barones ac ceteros Regnicolas nostros, vt dum prefatus Illustrissimus Dominus Dux filius noster ad adultam et maturam etatem peruenerit, idem premissa Decreta et libertates conseruaturum similiter in verbo suo Regio promittere teneatur. Nec interim Regia auctoritas sibi concessa existat, donec premissa omnia se obseruare velle promittat. Ad que obseruanda eundem Dominum Principem Lodouicum filium nostrum, successoresque et heredes nostros omnes obligatos esse volumus. In quorum omnium fidem et testimonium presentes litteras nostras pendenti sigillo nostro communitas eisdem vniuersis Dominis et Regnicolis nostris duximus concedendas. Datum Bude quintodecimo die Diete seu generalis Congregacionis prenotate. Anno Domini Millesimo quingentesimo octauo, Regnorum nostrorum Hungarie &c. Anno decimo octauo, Bohemie vero tricesimo octauo. Reuerendissimis ac Venerabilibus in Christo Patribus Dominis Thoma tituli Sancti Martini in Montibus Sacrosancte Romane Ecclesie Presbytero Cardinale Strigoniensi ac Patriarcha Constantinopolitano, summoque aule nostre Cancellario &c., Hypolitho Estensi de Arragonia tituli S. Lucie in Silia Diacono Agriensi, Petro titulo S. Ciriaci in thermis Presbytero Vesprimiensi Sacre Romane Ecclesie Cardinalibus, Gregorio de Frangepanibus Colocensis et Bachiensis Ecclesiarum Canonice vnitarum Archiepiscopo, Luca Zagrabiensi, Francisco de Peren electo Transiluaniensi, Sigismundo Thurzo Waradiensi, Georgio Quinqueecclesiensi, Secretario Cancellario nostro, Francisco Jaurinensi, Johanne electo Vaciensi, Nicolao de Chaak Chanadiensi, Stephano Nitriensi, Personalis Presencie nostre Locumtenente, Joanne Orszagh de Gwth electo Syrmiensi, Michaele electo et confirmato Bosnensi, Brictio electo et confirmato Tinniniensi, Ferdinando de Frangepanibus electo et confirmato Modrusiensi, Jacobo Segniensis Ecclesiarum Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Item Spectabilibus et Magnificis Emerico de Peren perpetuo Comite Abaujuariensi ac Regni nostri Hungarie Palatino ac Judice Cumanorum nostrorum, Johanne de Zapolya perpetuo Comite terre Scepusiensis, Petro Comite de Bozyn et de S. Georgio Judice Curie et Wajuoda nostro Transyluaniensi et Comite Siculorum nostrorum, Laurencio Duce de Wylak, Johanne Beriszlo Regni nostri Rascie Despoto, Georgio de Kanisa et Johanne Ernusth de Chaktornya Regnorum nostrorum Croacie, Dalmacie et Sclauonie Banis, Josa de Som Comite Temesiensi et Generali Capitaneo parcium Regni nostri inferiorum, Blasio de Raska Thauernicorum,

Moze Buzlay de Gergellaka Janitorum, Michaele de Palocz Pincernarum, Georgio de Bathor Agazonum, Gabriele de Peren et Johanne Podmaniczky Cubiculariorum nostrorum Regalium Magistris. Michaele de Pakos et Barnaba Belay Zewriniensi, Emerico Therek de Ennyngh Nandoralbensi, Nicolao Zekel de Kewend et Georgio Stresemlen de Jaycza, Stephano Kesserew Vicepalatino et de Zrebernik, Andrea de Baocha et Nicolao Kende de Sabach Banis, Johanne Pethew Magistro Curie Illustrissimorum Liberorum nostrorum, Ambrosio Sarpan Comite Posoniensi, aliisque quam plurimis Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

(Sigillum Regium in zona coloris albi, rubri et viridis pendens.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 118.

CLXXV.

Anno 1513. 28. Decembris. Budae.

Vladislaus Rex Banum Regni Slavoniae sententias executioni mandare jubet.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus, dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Fidelibus Reuerendo in Christo patri domino Petro Beryzlo, Episcopo Ecclesie Wesprimiensis, Thesaurario nostro ac Banatus Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Prefecto, ac Egregijs Balthasar de Alap, Vice-Bano, ac Magistro Francisco de Marowcza, prothonotario nec non Judlium ceterisque Nobilibus Juratis Sedis Judiciarie dicti Regni nostri Sclauonie Assessoribus presentibus et futuris salutem et graciam. Conquesti sunt Maiestati nostre fideles nostri Vniuersi Regnicole parcium Regni nostri Sclauonie medio duorum Nunciorum suorum, qualiter ipsi in causis eorum adiudicatis debitis execucionibus summe essent necessarij, quas dicti aduersarij eorundem sew nonnulle partes conuicte diuise in huiusmodi causis iuridice agrauari debere agnoscerent, diuersimode hactenus turbare consueuissent, supplicantes Nostre Maiestati propterea humillime, vt eisdem in premissis de condigno Juris remedio prouidere dignaremur. Et quia iusta petentibus non est denegandus assensus, pro eo Fidelitati Vestre harum serie firmiter precipientes mandamus, quatenus dum et quando per prefatos Nobiles et Regnicolas dicti Regni nostri Sclauonie vel eorum alterum cum presentibus fueritis requisiti, extunc tociens quociens opportunum fuerit, obseruata lege et consuetudine eiusdem Regni nostri in huiusmodi causis eorum adiudicatis et in futurum adiudicandis

semper debitam execucionem facere et id, quod leges et Jura eiusdem Regni nostri suadent expostulareque videbuntur, administrare debeatis et teneamini, auctoritate nostra vobis in hac parte atributa et Justicia mediante; secus non facturi. Presentes vero ob absenciam Maioris secreti Sigilli nostri anulari secreto Sigillo nostro iussimus consignari. Quas post earum lecturam reddi iubemus presentanti. Datum Bude in Vigilia festi Beati Thome apostoli anno Domini Millesimo quingentesimo tredecimo.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 119.

CLXXVI.

Anno 1513. die 28. Decembris. Budae.

Vladislaus Rex Banum Regni Slavoniae oppressis nobilibus contra oppressores auxilium praestare jubet.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus, dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c Fidelibus nostris Reuerendo in Christo patri domino Petro Beryzlo, Episcopo Ecclesie Wesprimiensis, Thesaurario nostro ac Banatus Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie prefecto eiusdemque Vicebanis ac Egregijs Magistris Prothonotarijs et Judlium ceterisque Juratis Assessoribus eiusdem Regni nostri Sclauonie Salutem et graciam. Ex grauibus querelis fidelium nostrorum Vniuersorum Regnicolarum istius Regni nostri Sclauonie intelleximus, qualiter nonnulli forent in medio eorum, maxime vero potenciores, qui inferioris condicionis et status Nobiles eorundemque Colonos et Jobagiones illegittime et indebite ac preter omnem viam Juris impedirent, dampnificarent et opprimerent, territoria et metas eorum occuparent et diuersimode ipsos inquietarent; et dum lesi eos Jure conuenire propterea vellent, etiam ad litteras et mandata nostra Juri stare minime vellent, neque per Judices ordinarios eiusdem Regni nostri compelli ad standum Juri possent. Quorum quidem licenciose huiusmodi accioni nos debito remedio occurrere, vt tenemur volentes, Mandamus Fidelitati Vestre harum serie firmiter, quatenus acceptis presentibus prefatos Nobiles sese ad defendendum impotes nullo modo a potencioribus opprimi aut turbari permittere debeatis. Si vero ex parte talium potentum et violentorum Jus et iusticiam habere et expetere a vobis voluerint, obseruata lege et veteri consuetudine eiusdem Regni nostri, ex parte eorundem plenum et indilatum Judi-

cium et iusticiam debiteque etiam satisfactionis complementum impendere et administrare modis omnibus debeatis et teneamini, Auctoritate nostra presentibus vobis in hac parte attributa et iusticia mediante, secus non facturi. Presentes vero ob absenciam maioris Sigilli nostri anullari secreto Sigillo nostro iussimus consignari. Datum Bude in Vigilia beati Thome Apostoli. Anno Domini Millesimo quingentesimo tredecimo.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 121.

CLXXVII.

Anno 1514. die 30. Novembris. Budae.

Mandatum Vladislai Regis contra illos Regni Slavoniae incolas datum, qui neglectis judicibus ordinariis Rescripta pontificia quaerunt, sicque regnicolas in causam coram aliis judicibus attrahunt.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus, Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Fideli nostro Reuerendo in Christo Patri Domino Petro Beryzlo, Episcopo Ecclesie Wesprimiensis, Thesaurario nostro ac Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Bano, futurisque Banis vel eorum Vicebanis salutem et graciam. Ex declaracione fidelium nostrorum Vniuersitatis Nobilium Regni nostri Sclauonie accepimus non sine displicencia: Qualiter nonnulli forent tam Ecclesiastici, quam seculares in illo Regno nostro Sclauonie homines, qui scilicet in minutissimis rebus exquisitis quibusdam calumpniosis occasionibus nonnullos ex ipsis Regnicolis nostris prius causa in presencia Judicis Ordinarii, provt fieri deberet, minime inchouata per modum conquestus seu Rescripti Apostolici per varias hinc inde citationes non solum intra ambitum huius Regni nostri, verum etiam extra Regna nostra ad dominia Venetorum in Jadrensem, Sibinicensem, Novensem civitates et alia loca Venetorum Dalmacie in causam attraherent, sicque attractos huiusmodi litibus et grauibus fatigis et expensis adeo turbarent et aggrauarent, quod ipsi Regnicole nostri in extremam deuenire cogerentur inopiam et paupertatem. Suplicarunt itaque Maiestati nostre iidem exponentes, vt eisdem de remedio dignaremur prouidere opportuno. Cum autem in generali Decreto seu Statuto tocius huius Regni nostri manifeste inter cetera id contineatur: vt nullus

omnino hominum causam suam prius in presenciam Judicis sui Ordinarii non inchouatam per modum huiusmodi Rescripti prosequi audeat. Propterea fidelitatem vestram requirimus et eidem nihilominus serie presencium comittimus, quatenus a modo deinceps dum et quando ac quotiescunque per prefatos exponentes, aut eorum alterum cum presentibus fueritis requisiti, omnes tales huiusmodi videlicet conquestuum et Rescriptorum Apostolicorum delatores, ne contra formam huiusmodi statuti Regni nostri in causis ipsorum procedere audeant, per omnia grauamina et queuis opportuna remedia cohercere et inhibere, transgressoresque huiusmodi poena etiam in Decreto ipso nostro contenta modis omnibus punire et castigare debeatis et teneamini; aliud nullo modo facere presumatis; presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Bude in festo beati Andree Apostoli. Anno Domini Milesimo quingentesimo decimo quarto.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 127.

CLXXVIII.

Anno 1515. Feria 5. post dominicam Quasimodo. Posonii.

Vladislaus Rex Nobilibus Regni Slavoniae praecipit, ut a Bano requisiti periclitanti Regno Croatiae trans Savam contra Turcas sine mora auxilium ferant.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus, Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Egregij et Nobiles fideles nobis dilecti. Meminimus, crebris iam vicibus vobis et scripsisse ac mandasse et per nuncios quoque vestros nunciasse, vt, dum et quocienscunque opus fuerit, et per fidelem nostrum Reuerendum in Christo patrem dominum Petrum Beryzlo, Episcopum Ecclesie Vesprimiensis, Thesaurarium nostrum ac illorum Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Banum requiremini, subito cum vniuersis gentibus vestris insurgere, ac illo, quo Banus ipse iusserit, pro patrie istius et vestra defensione ire proficiscique deberetis. Tamen, vti intelligimus, vos alegantes talem subitam et frequentem insurrectionem profectionemque vltra Zawn vobis in derogamen vetuste consuetudinis vestre cedere, hactenus mandatis in hac parte nostris parere et satisfacere minime voluissetis: quandoquidem probe considerare deberetis, quod frequentibus excursionibus et periculis, que Regno Croacie et proinde vobis tanquam vicinis et contiguis a Thurcis inferun-

tur et imminent, nonnisi per continuam vigilanciam et defensionem obuiari potest, vos vero nullam in hoc nec priuate salutis, nec defensionis statusque vestri habere velletis racionem. Quomodo autem id quoque conueniens credibileque sit, vt illo pro defensione Regni Croacie, vestra quoque salute, que tota in conseruacione et defensione ipsius Regni dependet, gentes ex hoc Regno Hungarie proficiscantur, si vos ipsi defensioni vestre defueritis, nec ad obuiandum huiusmodi assiduis periculis insurgere volueritis. Scitis enim bene, quantam multitudinem Christi fidelium, quantamque predam nuper quoque hostes ipsi Thurci ex Croacia abduxere, indiesque abducere, et misserrimam illam patriam deuastare despoliareque non desistunt. Nam et hac quoque hora hec aduersa noua nobis de confinibus illis Bosnensibus superuenere, quod scilicet hostes ipsi Thurci in maxima copia congregati valida manu confinia illa et maxime Regnum istud Croacie inuadere, et illud eiusque castra atque municiones vltra solitum vastare et obruere decreuissent; quod si fieret, considerare potestis, quod nec vos quoque, qui illi vicini estis, periculum euitare poteritis: et ob hoc pericula ipsi Regno Croacie incumbencia vobis magis pre aliis subditis nostris cure esse debent. Mandamus itaque et committimus fidelitati vestre sub nota perpetue infidelitatis ammissioneque bonorum vestrorum harum serie firmissime, quatenus a modo dum et quando ac quocienscunque per ipsum Banum nostrum requisiti fueritis, subito cum gentibus vestris insurgere, et illas in pleno et perfecto numero ad dictum Banum nostrum, vel quo idem iusserit, et si plures poteritis, provt pericula Regni illius exposcere nostis, mittere in omnem euentum debeatis. Nam nos quoque gentes in maiori qua fieri poterit copia hinc ex Hungaria istuc ad succurrendum vobis et illi periclitanti Regno mitti ac dari citissime iussimus. Vbi autem vos quoque in premissis adhuc negligentes fueritis, ne per huiuscemodi libertatis vestre assercionem Regna illa pereant, commisimus in alijs litteris nostris et auctoritatem eciam nostram omnimodam dedimus prefato Bano nostro, vt ipse vos et quemlibet vestrum ad hoc faciendam eciam per occupaciones bonorum vestrorum aliaque opportuna remedia astringere et compellere debeat. Super hys autem vobis dictus Banus noster iussu nostro et de mente Maiestatis nostre plura dicturus est. Cuius verbis et credere, et ea, que vobis facienda dixerit, facere et exequi modis omnibus debeatis et teneamini; et secus pena sub premissa facere nulla racione presumatis. Datum Posonii feria quinta proxima post Dominicam Quasimodo. Anno Domini Millessimo Quingentesimo decimo quinto.

Tenor Indorsatae:

Egregijs et Nobilibus Vniuersitati Nobilium Regni nostri Sclauonie, fidelibus nobis dilectis

(Sigillum Regium ab extus appressum.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 482.

CLXXIX.

Anno 1515. Sabato proximo ante festum S. Georgii. Posonii.

Vladislaus Rex ad generalem Regni Slavoniae Congregationem Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Banum mittit.

Commissio propria domini Regis.

Wladislaus, dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Egregij et Nobiles fideles nobis dilecti. Quum intelligamus, vos in proximo generalem congregacionem in isto Regno nostro Sclauonie celebraturos atque habituros, cupientes quieti et tranquillitati vestre quo melius fieri posset consulere, deputauimus in vestri medium fidelem nostrum Reuerendum in Christo Patrem Dominum Petrum Beryzlo, episcopum ecclesie Wesprimiensis, Thezaurarium nostrum et Regnorum istorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Banum, nunc istic in Sclauonia agentem; cui omnia pericula incommodaque et necessitates istorum Regnorum nostrorum et omnium vestrum optime cognita perspectaque existunt. Qui Maiestatis nostre nomine vobis de mente et voluntate ac commissione nostra superinde nonnulla dicturus est. Quare requirimus fidelitates vestras et eisdem nichilominus serie presencium firmiter etiam committimus, vt ea, que idem dominus episcopus nostro nomine, vt premisimus, vobis in hac parte referret, et ad que vos hortabitur, et credere, et pro nostra erga vos ampliori gracia et beneficencia Regia proque vestra salute et defensione facere exequi et adimplere in omnem euentum debeatis. Datum Posonij Sabbato proximo ante festum beati Georgij Martyris. Anno Domini Millesimo Quingentesimo decimo quinto.

Tenor indorsationis:

Egregijs et Nobilibus Vniuersitati Nobilium et Regnicolarum Regni nostri Sclauonie, Fidelibus nobis dilectis.

(Sigillum Regium ab extus appressum.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 123.

CLXXX.

Anno 1516. Festo Conceptionis B. M. V. Budae.

Ludovicus II. Rex regnicolas octavis, a Bano indicendis, interesse jubet.

Commissio propria Domini Regis de consilio.

Lodouicus, dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Fidelibus nostris Magnificis ac Egregijs et Nobilibus vniuersitati Nobilium Regni nostri Sclauonie Salutem et graciam. Intellecta et exaudita supplicacione vestra, nuper nomine et in persona istius Regni nostri Sclauonie nobis porrecta, octauas sew Judicia festi Epiphaniarum domini proxime venturi Reuerendo in Christo patri domino petro Beryzlo, Episcopo Wesprimiensi, Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauone predicti Bano, eiusque Vice-Bano, per alias literas nostras more alias solito publicare celebrareque commisimus et iussimus. Quare volumus et fidelitati Vestre serie presencium firmiter committimus et mandamus, quatenus ad requisicionem dicti Bani nostri aut sui Vice-Bani omnes et singuli causantes celebracioni ipsarum octauarum interesse debeatis et teneamini. Secus non facturi. Datum Bude in festo concepcionis beatissime Marie Virginis. Anno domini Millesimo Quingentesimo decimo sexto.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 124.

CLXXXI.

Anno 1516. Dominica proxima post festum OO. SS. Budae.

Ludovicus II. Rex Bano Croatiae, Slavoniae et Dalmatiae praecipit, ut a Nobilibus unius sessionis subsidium viginti quinque denariorum, in Regno Slavoniae lege lata ordinatum et oblatum, quoquo modo colligat.

Commissio propria domini Regis de consilio.

Lodouicus, Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Fideli nostro Reuerendo in Christo Patri Domino Petro Beryzlo, Episcopo Wesprimiensi, Regno-

rum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Bano, eiusque Vicebanis et Judicibus Nobilium in Regno Sclauonie predicto constitutis salutem et graciam. Intelleximus, qualiter Nobiles vnius sessionis in eodem Regno nostro Sclauonie commorantes subsidium viginti quinque denariorum, nuper ad imposicionem victualium per Vniuersitatem Nobilium eiusdem Regni ordinatum et oblatum, exsoluere nollent. Quoniam autem ea lege fuerit oblatum, vt eciam ipsi Nobiles vnius sessionis soluere debeant, propterea volumus et fidelitati vestre harum serie firmiter mandamus, quatenus acceptis presentibus vniuersos et singulos Nobiles vnius sessiones predicti Regni nostri Sclauonie ad exolucionem predicti subsidij viginti quinque denariorum per omnia solita grauamina et queuis opportuna remedia compellere debeatis, Aucthoriate nostra Regia presentbus vobis in hac parte attributa mediante. Secus facere non ausuri. Nam alioquin certi sitis, quod si quid damni per negligenciam vestram in his perceperimus, vobis imputabimus et a vobis eciam requiremus. Presentes superinde pro vestra reseruando expedicione. Datum Bude die Dominico proximo post festum Omnium Sanctorum. Anno ...... Millesimo Quingentesimo decimo sexto.

(*Sigillum Regium appressum*).

Orig. in Archivo Regni Croatiae Priv. Nro. 126.

CLXXXII.

Anno 1516 Budae.

Ludovicus II. Rex prothonotarium Regni Slavoniae octavis, a Bano indicendis, interesse jubet.

Commissio propria domini Regis de consilio.

Lodouicus, dei gracia Rex Huugarie et Bohemie &c. Fideli nostro Egregio Magistro Stephano Henczelffy, Regni nostri Sclauonie prothonotario, Salutem et graciam. Supplicacione Vniuersitatis Nobilium Regni nostri Sclauonie predicti nobis porrecta, intellecta et exaudita, octauas seu Judicia festi Epiphaniarum domini proxime affuturi Reuerendo in Christo patri domino Petro Beryzlo, Episcopo Wesprimiensi, Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie predicti Bano eiusque Vice-Bano per alias literas nostras publicare celebrareque ac ipsi Vniuersitati Nobilium ad requisicionem eiusdem Bani nostri aut sui Vice-Bani celebracioni earundem octauarum interesse commisimus ..... et fidelitai tue harum serie firmiter committimus et mandamus, quatenus .... celebracioni interesse

debeas et tenearis. Secus non facturus. Datum Bude .... Marie Virginis. Anno Domini Millesimo quingentesimo decimo sexto.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 125.

CLXXXIII.

Anno 1517. Feria 2. post festum B. Valentini. Budae.

Ludovicus II. Rex, ut inchoatae octavae, nullo brevium Budae celebrandorum judiciorum respectu habito, continuari possint, permittit.

Commissio propria domini Regis.

Lodouicus, dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Magnifici, Egregij et Nobiles, fideles nobis dilecti. Miseratis huc ad Maiestatem nostram hunc fidelem nostrum Nobilem Paulum literatum de Neszpesa, nuncium et oratorem vestrum, presencium exhibitorem; cuius medio supplicastis nobis, vt presentes octauas festi Epiphaniarum Domini proxime preteriti, que iam ad litteras et Mandatum Maiestatis nostre inchoate essent, ad finem vsque celebrari et Justiciam causantibus quibusque administrari facere dignaremur. Qua quidem supplicacione vestra intellecta et admissa, cupientesque iustis huiusmodi et honestis peticionibus vestris annuere, commisimus hic et coram et eciam per literas nostras fidelibus nostris Bano et Vicebanis ac Magistro prothonotario et Juratis assessoribus Sedis Judiciarie istius Regni nostri Sclauonie, vt non curato eciam eo, si Judicia Breuia in proximo hic Bude celebrantur vel non, celebracionem octauarum ipsarum ad finem vsque continuare et causantibus omnibus secundum deun Justiciam administrare debeant et teneantur: parati enim sumus, vt diximus, vobis tanquam Bonis fidelibus nostris in hijs, que iuste et honeste facere possumus, semper complacere. Datum Bude feria secunda proxima post festum Beati Valentini Martiris. Anno Domini Millesimo Quingentesimo decimo septimo.

A tergo:

Magnificis, Egregijs et Nobilibus Vniuersitati Nobilium et Regnicolarum Regni nostri Sclauonie, Fidelibus nobis dilectis.

(Sigillum Regium appressum.)

Originale in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 128.

CLXXXIV.

Anno 1517. Feria 4. ante festum B. Mathiae Ap. Budae.

Ludovicus II. Rex, ut inchoatae octavae, nullo Budae celebrandorum brevium judiciorum habito respectu, continuari possint, permittit.

Commissio propria domini Regis.

Lodouicus, Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Fidelibus nostris Reuerendo in Christo patri domino Petro Beryzlo, Episcopo Ecclesie Wesprimiensis ac Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Bano, Item Egregijs Balthasari de Batthyan et alteri Balthasari de Alap, Vicebanis, ac Magistro Stephano Henczelffy de Petrowcz, Judicis curie nostre et eiusdem Regni Sclauonie prothonotario, nec non Vniuersis Juratis assessoribus Sedis Judiciarie predicti Regni Sclauonie Salutem et graciam. Miserant fideles nostri Vniuersitas Nobilium istius Regni Nuncium et oratorem ipsorum ad Maiestatem nostram, Cuius medio supplicarunt nobis, vt presentes octauas circa festum Epiphaniarum domini proxime preteritum inchoatas celebrari et ad finem vsque continuari permittere dignaremur. Nos cupientes libertati et incremento status eiusdem Regni sicut in omnibus licitis et honestis, ita eciam in hoc prospicere et consulere: Scripsimus Eisdem per alias nostras literas, quod huiusmodi octauas ad supplicaciones ipsorum celebrari et continuari per vos jussissemus. Quare fidelitati vestre harum serie firmiter committimus et mandamus, quatenus acceptis presentibus, non curato eo, quod in proximo hic Bude Judicia Breuia celebrabuntur vel non, Vos nichilominus huiusmodi octauas, provt cepistis, celebrare et ad finem vsque continuare ac causantibus et litigantibus quibuslibet secundum Deum Justiciam administrare debeatis et teneamini. Aliud nulla Racione facere audeatis. Datum Bude feria quarta proxima ante festum Beati Mathie Apostoli. Anno Domini Millesimo Quingentesimo decimo septimo.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. canth. in Archivo Regni Croatiae. Priv., Nr. 129.

CLXXXV.

1519. die 12. Decembris.

Regnum Croatiae et Dalmatiae Regi Hungariae, qui cum Turcis foedus nulla de iis facta mentione pepigerat, amplius obedire nolens, tutellam et protectionem Pontificis Romani expetit.

Anno 1519 die 12. Decembris lectae sunt litterae Bani Dalmatiae & Croatiae credentionales in persona Domini Thomae Nigri *), qui introductus est in sacrum Consistorium nomine ipsius Bani, Comitum et Nobilium ipsorum Regnorum. Dixit, ipsa Regna parata se dedere Turcae, et quod miserunt ad Regem Ungarie oratores suos, ipsi protestaturos, quod nollebant amplius obedire; quia cum Turca foedus fecerat, nulla de iis facta mentione. Dimisso predicto Vicario, Sanctissimus dixit, se velle super hoc Regi Ungariae scribere, ut provideat ipse et Regna Dalmatiae & Croatiae in tutellam et defensionem recipiat; vel saltem permittat, ut sub alicuius Regis Christiani, vel suae Sanctitatis tutella et defensione esse possint.

Ex Codice Romano Actorum Consistorialium. — B. Kerčeliè. De Regnis Dalm. Croat. et Slav. Notitiae Praeliminares p. 314.

CLXXXVI.

Anno 1525. Dominica proxima ante festum B. Dionysii. Budae.

Credencionales a Ludovico II. Rege Johanni Statilio ad Diaetam Regni Slavoniae misso oratori datae.

Commissio propria Domini Regis.

Ludovicus, Dei Gratia Rex Hungariae et Bohemiae &c.

Magnifice Fidelis nobis dilecte. Misimus ad istam Diaetam Regni Nostri Sclavoniae hunc fidelem Nostrum Venerabilem Joannem Statilium, Prepositum

---

*) Thomas Niger Spalatensis, amicus celeberrimi Marci Maruli, poetae latini et nationalis, Vicarius generalis Episcopi Vesprimiensis et Bani Croatiae Petri Berislavić, Episcopus Scardonensis (1519) et Traguriensis (1524), Orator Regni Croatiae et Dalmatiae ad Leonem X. Pontificem Romanum et Carolum V. Imperatorem, diligens collector rerum Patriarum, mortuus Spalati a. 1527.

Budensem, Secretarium Consiliarium Nostrum, cui commisimus, ut fidelitati tuae nonnulla nostro nomine referat. Committimus itaque, ut in his, que prefatus orator noster dixerit, eisdem fidem indubiam adhibere debeas. Datum Budae Dominica proxima ante festum B. Dionisij. Anno Domini 1525.

A tergo:

Magnifico Francisco de Bathyan, Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bano ac Pincernarum nostrorum Regalium Magistro, fideli nobis dilecto.

Originale in Archivo Körmendiensi Ill. Principis de Batthyan.

CLXXXVII.

Anno 1525. Festo B. Philippi et Jacobi Apostolorum. Budae.

Ludovicus II. Rex Francisco a Bathyan, Bano Croatiae, ob bene acta et tractata in Regni Slavoniae diaeta negotia complacentiam suam exprimit, eidemque Joannem Tahy collegam mittit.

Commissio propria Domini Regis.

Ludovicus, Dei Gratia Rex Hungariae et Bohemiae &c.

Magnifice fidelis nobis dilecte. Ea quae per te acta sunt in proxime praeterita Diaeta in Sclavonia, et ex litteris et ex nunciis tuis intelleximus, quae nobis valde placuerunt. Hortamur itaque fidelitatem tuam, ut ea, quae bene caepisti, bene etiam continues, et ad bonum finem tua industria perducas. Placet et illud Nobis, quod Banatum Joannes Thahy reddidisti, nam nos quoque eidem hic reddidimus et cum illo conservare omnino volumus, neque patiemur, ut authoritas Nostra ab illius aemulis et adversariis conculcetur. Hoc autem Nobis valde displicet, quod pars illa adversa ea, quae dicturus illi eras, audire noluit. Sed praeter voluntatem tuam disucessit, id, quod silentio praeterire nolumus. Nunc itaqne remisimus ad te Johannem Thahy Collegam tuum. Des itaque operam, ut jam tandem ab omnibus in Banum suscipiatur. Postquam autem toties hortati et requisiti judicium ex parte ipsius Johannis Thahy ejus adversarii acceptare recusarunt, Nobis non videtur, ut ipse Johannes Thahy tam strictum Judicium, ad quod se offerebat, subire posthac cogatur; sed qui cum eo agere volunt,

agant secundum Jura et consvetudinem istius Regni nostri Sclauoniae; nisi Johannes Thahy vellet extraordinarium Judicium ultra subire. Reliqua ex ipso Johanne Thahy atque etiam Nuncio tuo Anthonio literato accipies. Hortamur te, ea diligentia et dexteritate rem omnem cures, ut majores molestiae Nobis de rebus Sclauonicis non oriantur. Et quamvis libenter vellemus, ut in Diaeta Hungarica nobiscum esses, cum tamen intelligamus, presentiam tuam etiam in Sclavonia esse necessariam, contenti sumus, ut ibidem maneas et defensioni istius Regni Nostri Sclavoniae et Croatiae et dissensionibus Regnicolarum componendis pro viribus incumbas, donec uberius tibi providebimus, id quod propediem facturi sumus. Secus igitur ne feceris. Datum Budae in festo beatorum Philippi et Jacobi Apostolorum. Anno Domini 1525.

A tergo:

Magnifico Francisco de Bathyan, Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bano ac Pincernarum nostrorum Regalium Magistro, fideli nobis dilecto.

Originale in Archivo Körmendiensi Illustr. Principis de Batthyan.

CLXXXVIII.

Anno 1525. Feria 2. post festum Pentecostes. Budae.

Ludovicus II. Rex Franciscum de Batthyan, Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Banum hortatur, ut omnibus viribus contendat, quo negotia in Diaeta Slavonica, ad quam Joannem Decshazy oratorem mittit, bene absolvantur.

Commissio propria Domini Regis.

Ludovicus, Dei Gratia Rex Hungariae et Bohemiae etc.

Magnifice fidelis nobis dilecte. Hortamur fidelitatem tuam, et tibi etiam committimus, quatenus tam per te, quam per fratres et amicos tuos omni studio contendas, ut negotia nostra, et Regnorum Nostrorum, pro quibus ad Diaetam Regnicolarum Regni Nostri Sclavoniae fidelem Nostrum Egregium Stephanum Decshazy, Aulae nostrae familiarem, misimus, optato fine concludantur; quod

servitium tuum gratia nostra Regia compensabimus. Haec referet tibi nomine Nostro latius idem Decshazy, cui fidem indubitatam adhibere debeas. Secus ne feceris. Datum Budae feria 3. post festum Pentecostes. Anno Domini 1525.

A tergo:

Magnifico Francisco de Batthyan, Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bano ac Pincernarum nostrorum Magistro, fideli nobis dilecto.

(L. S.)

Orig. aut. charta in Archivo Körmendiensi Illustr. Principis Batthyani.

CLXXXIX.

Anno 1525. Feria 4. post festum Elisabethae Viduae. Budae.

Ludovicus II. Rex Bano F. Batthyan scribit, ut omnem curam adhibeat, quo Joannes Tahy occasione Diaetae Slavonicae a regnicolis in pristinam Banatus dignitatem recipiatur, et Jajce victualibus provideatur.

Commissio propria Domini Regis.

Ludovicus, Dei Gratia Rex Hungariae et Bohemiae etc.

Magnifice fidelis nobis dilecti. Fuit hic fidelis noster Magnificus Joannes Thahy, quem remisimus ad Diaetam Sclavonicam, ea spe, ut per oratores nostros, quos illuc destinavimus, si Regnicolis id persvaderi poterit, in officium suum reponatur: alioquin invitis illis, eum non reponent. Vadatis igitur cito et vos ad illam Diaetam, et adhibeatis omnem operam, simul cum oratoribus nostris, ut partes dissidentes ad concordiam revocentur, et quod ipse Johannes Thahy cum suis adversariis concordare possit; nam si id fieret, facilius posset illis consentientibus in Banatum reponi. Non optat autem longo tempore fore in officio; neque nos cupimus hoc in alium finem, nisi, ut et dignitati nostrae et ejus honori fieret satis. Bani nostri Jayczenses victualia posuerunt ad Jayczam sine periculo, sed pauca; necesse est igitur, ut citissime plura inferantur, quia sine illis conservari non poterit. Johannes Thahy si reponeretur in officium, non recusaret laborem inferendi victualia ad Jayczam; quod si non fiet, tractetis cum oratoribus nostris et cum Regnicolis illius Regni nostri Sclavoniae de alio

imponendi modo. Hunc autem Thahy libenter retineremus in servitiis nostris; sed vix manebit, si non fuerit officio restitutus. Ubi scribitis, quosdam aemulos vestros dixisse, quod vos laboraretis contra Joannem Thahy et vos essetis occasio privationis ejusdem, et illi hoc male de vobis dicerent et sentirent: nos de his nihil unquam audivimus, neque si audivissemus, crederemus. Venerunt huc nuncii Regni Croatiae, quibus quidquid responderimus, vobis significabimus. Vos invigilate et omnem operam impendite, ut oratores nostri ad Sclavoniam missi, bonum Nobis responsum referre possint. De violentia, quam exercere dicitur Comes Ferdinandus de Frangepanibus, loquamini cum Regnicolis in Diaeta, et consulatis tandem una cum ipsis, quid nobis sit faciendum. Non sumus opressis authoritate nostra defuturi, de illorum enim dissensione et quiete modis omnibus curam gerere volumus. Datum Budae feria quarta proxima post Elisabeth Viduae. Anno Domini Millesimo Quingentesimo vigesimo quinto.

A tergo:

Magnifico Francisco de Batthyan, Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bano, fideli nobis dilecto.

Originale in Archivo Körmendiensi Illustr. Principis Batthyani.

CXC.

Anno 1525. feria 6. proxima post festum B. Luciae Virginis. Budae.

Ludovicus II. Rex Bano F. Batthyan scribit, ut Regni Croatiae Nobiles, qui pacem cum Turcis cupiebant, ad patientiam disponat.

Ludovicus, Dei Gratia Rex Hungariae et Bohemiae etc.

Magnifice fidelis nobis dilecte. Comites et reliquiae Nobilium Regni Nostri Croatiae miserunt ad nos his diebus oratores suos, ex quibus animum illorum de concordia cum Turcis facienda cognovimus, nisi nos extremis et afflictis eorum rebus jam tandem subveniremus. Petunt autem a nobis, ut duobus verbis significemus subsidium et defensionem. Oratores cum bona spe nostrae in eos gratiae et futurae provisionis dimisimus; sed quum ipsis certum et finale responsum de his rebus difficillimis absque scitu et deliberatione Regnicolarum nostrorum facere nequiverimus, polliciti sumus, tum honoris ipsorum causa tum et aequiore animo expectarent, per oratores Nostros proprios velle ipsis ad postulata respondere.

Visum itaque Nobis est, ut te ob eam familiaritatem et amicitiam, quae tibi cum illis intercedit, ad eos mitteremus, adjuncto, si tibi videretur, Sigismundo Banffy, qui item Croatis gratus esse dicitur. Hortamur itaque te, ut aliis cum prudentia labores et contendas, una cum praedicto Sigismundo Banffy, ne graventur Regnicolarum nostrorum Conventum expectare, quem etiam si nullae aliae causae nos moverent, intra breve temporis spatium vel in hoc ipso carnisprivio celebrabimus. Mittimus ad te Instructionem, ex qua copiosius intelliges, quo nam modo cum eis sit tractandum, Illud autem tuo permittimus arbitrio, utrum Sigismundus Banffy sit huic legationi secum adhibendus: et ob eam causam duplices credentiae litteras ad te misimus, quarum alteras in solius tui personam scribendas curavimus. Quod si eundem sibi adjungendum existimas, mitte statim litteras nostras ad eum descriptas, ut tecum istud officium legationis obire valeat. Mora omnis in hoc negotio est amputanda, summa vero adhibenda diligentia; ne illud Regnum pene perditum perdamus. Datum Budae feria 6. proxima post. festum B. Luciae Virginis. Anno Domini 1525.

Ludovicus Rex m. p.

A tergo:

Magnifico Francisco de Batthyan, Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavonie Bano, fideli nobis dilecto.

Originale in Archivo Körmendiensi Illustr. Principis de Batthyan.

CXCI.

Anno 1530. die 17. Martii. Pragae.

Ferdinandus Rex Locumtenentem Bani de iis, quae ad Croatiam caeteraque sua regna defendenda suscepit, edocet.

Ferdinandus, Dei gracia Hungarie, Bohemie. Dalmacie, &c. Rex. Infans Hispaniarum, Archidux Austrie, Dux Burgundie &c., Marchio Morauie &c. Comes Tirolis &c.

Reuerende, deuote, dilecte! Accepimus literas vestras de profesto diui Mathie Apostoli, Quibus abunde cognouimus, que de nouissima Thurcorum Irrupcione in Regni nostri Croacie partes facta scripsistis; de qua non parum dolemus.

Cum autem petieritis, vt vos latere non paciamur, si quid pro comodo et subsidio Regni istius nostri fecerimus, Idcirco Vobis clementer significandum duximus, Nos nihil magis curare et agere, quam quod a Regni Huius nostri Bohemie alijsque prouinciarum nostrarum subditis auxilia valida et repentina obtineamus, et obtenta in Regni nostri Hungarie recuperacionem, pareiamque illius, et prefati Regni nostri Croacie defensionem destinemus. Commisimus item, ut cum prouinciarum nostrarum Stirie, Carinthie, Carniolie et Croacie Incolis statim agatur et tractetur, vt gentes alique conducantur, et in confinia predicti Regni, ad auertendum et precauendum Thurcorum Insultum disponantur; Quorum Capetaneus erit Egregius fidelis nobis dilectus Ioannes Caczianer, Qui, vti speramus, difficultates et pericula in eodem Regno vigencia in melius reducet, ac fideles illius subditos ab Inuasione custodiet, et in pace et tranquillitate pristina conseruabit. In aduentu vero Maiestatis Cesaree, que intra paucissimos dies Germaniam intrabit, et in qua Nos eciam Deo volente coniungem.. bonam peditum Hispanorum Archibuseriorum partem, pociorum scilicet et magis exercitatorum, expectamus; Quos illico ad Regni nostri Hungarie sedem restituendam mittemus; hisque eciam gentes in eodem Regno prius existentes cum alijs nouis superaddemus, eorumque medio et opera pociora Regni loca et reliqua, que per angustiam temporis reparari poterunt, recuperare et pacificare studebimus, donec alia subsidia maiora, de quibus supra diximus, et alia non minora, que a sanctissimo domino nostro, Maiestate Cesarea Sacroque Imperio ac reliquis Christanorum regibus et potentibus obtinere laboramus, in tempore sequantur: Quorum causa Nos eciam ad dietam Imperialem, que ad diem VIII. Mensis Aprilis in Augusta celebrabitur, cum Maiestate Cesarea conferemus, et illic omnia ea tractare et efficere conabimur, que ad commodum et defensionem fidelium nostrorum vbicunque existencium conducere videbuntur, Quos nullo pacto deferemus. Que omnia manifeste satis nunc arguunt, Nos nihil eorum pretermittere, ad que ex officio nostro tenemur. Quibus attentis tam vos quam alij In fide, et deo et nobis debita, constantes esse ceterisque Animum et consolacionem afferre debebitis, ut et ipsi liberacionem suam et communem omnium salutem expectent, Idque sedulo faciant et procurent, que ad fidem et debitum fidelium subditorum spectant, sicut vos et ipsos indubie facturos esse confidimus, quod erga vos et eosdem generose recognoscimus. Datum in Arce nostra Regia Pragensi die XVII. Mensis Marcij. Anno Domini M.D.XXX., Regnorum nostrorum quarto.

Ferdinandus m. p.

Ad mandatum domini Regis proprium
Jo. Mainsll m. p.

A tergo:

Reuerendo, deuoto, nobis dilecto Andree, Episcopo Tinniniensi ac abbati de Toppolczka, Consiliario nostro.

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 129 1/2.

CXCII.

Anno 1531. die 27. Augusti. In oppido Scherdingen.

Ferdinandus I. Rex post mortem Bani Joannis Torquati Karlović Episcopum Tinniniensem Andream primum Locumtenentem Banalem nominat.

Ferdinandus Diuina fauente clemencia Romanorum Rex semper Augustus, ac Germanie, Hungarie, Bohemie &c. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austrie &c. Reuerendi, Magnifici, Venerabiles, Egregij, Nobiles, Prudentes et Circumspecti, fideles dilecti. Cum accepissemus Spectabilem ac Magnificum quondam Io. Torquatum Comitem Corbauie suum, sicuti Altissimo placuit, diem obijsse, Nos ea statim cura inuasit, vt eum in demortui locum surrogemus, qui et nobis et Regno vobisque consolacioni non modice, atque etiam vtilis et idoneus ad Banatus officium esse videretur. De quo cum adhuc deliberemus et circumspiciemus, qui magis et conueniencius atque etiam cercius offitio illi sit preficiendus, Reuerendo, deuoto, fideli nobis dilecto Andree Episcopo Tinniniensi commisimus, vt interea quam successor eligatur, ea munia vicesque obeat et agat, que Banus ipse, si iam nominatus et presens esset, vel nosmet adessemus, agere possemus, atque omnia ea agat et faciat, que ad commodum nostrum, Regnique conseruationem ac vestram vtilitatem et defensionem neccessaria et opportuna videbuntur, auctoritate nostra Regia sibi in hac parte et ad tantum, vt premissum est, tempus attributa et concessa. Quare fidelitatibus vestris et cuiuslibet vestrum harum serie firmiter et strictissime committimus et mandamus, quatenus prenominatum Episcopum pro tali, qualem in hys esse et fore iussimus et volumus, agnoscere, tenere et habere, eique in omnibus licitis et honestis, que nostri, Regnique et vestri causa vobis imponet et committet, parere et obedire, eiusque Jussa et monita exequi, adimplere et obseruare, talesque vos erga eum, quousque Banum vobis designauerimus, gerere et exhibere debeatis et teneamini, sicuti vestre in nos fidei et Juramenti debito congruit, vosque vti fideles subditos nostros haud dubie facturos esse confidimus, atque erga vos et vestrum quemlibet gratiose, dum dabitur occasio, recognoscemus. Datum in oppido Scherdingen die vicesima septima Mensis Augusti. Anno Domini Millesimo Quingentesimo trigesimo primo. Regnorum nostrorum Romani primo, aliorum vero omnium quinto.

Ferdinandus m. p.

Ad Mandatum Sacre Regie Maiestatis proprium.

Jo. Mainsll m. p.

Intitulationis tenor:

Reuerendis, Magnificis, Venerabilibus, Egregijs, Nobilibus, Prudentibus et Circumspectis, Fidelibus nobis dilectis, vniuersis Statibus et Ordinibus Regni nostri Croatiae.

(Sigillum Regium in exteriori facie appressum.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 130.

CXCIII.

Anno 1567. die 29. Julii. Posonii.

Maximilianus Rex Vicebani, Prothonotarii, Viceprothonotarii, Vicecomitum et Judicum Nobilium Regni Slavoniae bona secundum consvetudinem et legem ejusdem Regni a census et taxae publicae solutione immunia esse vult.

Maximilianus Secundus, Dei Gracia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germanie, Hungarie, Bohemie &c. Rex, Archidux Austrie, Dux Burgundie &c. Fidelibus nostris Reuerendo, Magnifico et Egregiis Prefecto caeterisque Consiliariis Camere nostre Hungarice. Item Comiti, Vicecomitibus et Judicibus Nobilium Comitatuum Regni nostri Sclauonie, ac dicatoribus et exactoribus quarumcunque taxarum et contribucionum nostrarum, subsidiorumque et lucri Camere nostre in prefato Regno nostro Sclauonie exigendarum, presentibus et futuris, salutem et graciam. Expositum est Maiestati nostre in personis fidelium nostrorum Vniuersitatis Dominorum et Nobilium Regni nostri Sclauonie graui cum querela, Quod licet vniuersa bona possessionaria in Regno nostro Sclauonie sita et habita fidelium nostrorum Egregiorum et Nobilium Vicebani, Protonotarii et Viceprotonotarii nec non Vicecomitum et Judicum Nobilium in prefato Regno nostro Sclauonie commorancium, tanquam Judicum Ordinariorum pro tempore constitutorum, semper a memoria hominum exempta fuissent a census et taxe publice solucione; sed tamen vos, nescitur vnde inducti, non modo non eos in antiqua eorum tali recepta consuetudine, prerogatiua et libertate conseruandos esse putaretis, sed etiam vt eos in iis turbaretis vexaretisque in animo propositum haberetis contra antiquas eorum libertates et prerogatiuas vsu receptas et inueteratas, iniuria, dampno et preiudicio eiuscemodi eorum libertatis et prerogatiue manifesto et valde magno: Supplicantes nobis humiliter, dignaremur ipsis de opportuno superinde remedio graciose prouidere, curareque memoratis Judicibus nostris ordinariis eiuscemodi antiquam semper a memoria hominum vsam

prerogatiuam et libertatem, in qua conseruati fuissent per Sacram quoque olim Cesaream Regiamque Maiestatem preclare memorie Dominum et Genitorem nostrum colendissimum, per nos quoque clementer obseruari facere. Quorum supplicacione clementer exaudita et admissa. Quum nos pro suscepti regiminis nostri officio vniuersa iusta et legitima subditorum nostrorum Jura et libertates inuiolabiliter ab omnibus obseruari, nec quempiam in eis indebite ac illegitime turbari velimus: Fidelitati vestre et vestrum singulis harum serie firmiter committimus et mandamus, quatenus acceptis presentibus et rebus sic, vt prefertur, stantibus et se habentibus, memoratos Vicebanum, Protonotarium et Viceprotonotarium, nec non Vicecomitem et Judices Nobilium dicti Regni nostri Sclauonie in eorum, vt premissum est, antiqua consueta libertate et prerogatiua conseruare et per alios etiam, quorum interest, conseruari facere; nec vllum censum seu taxam, in publicis constitucionibus expressam, a colonis ipsorum bonorum vbicunque in Regno nostro Sclauonie existencium, tam preterite, quam future taxe et census racione exigere vel exigi facere debeatis et teneamini. Secus non facturi. Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Posonii vigesima nona Julii Anno Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo septimo.

Maximilianus m. p.

(Sigillum Regium appressum.)

Nicolaus Olahus Strigoniensis m. p.

Georgius Bochkay m. p.

Tenor Indorsationis:

1567. Feria sexta proxima post festum beati Matthaei Apostoli in Conuentu generali Regnorum Croatiae et Sclauoniae praesentes litterae exemptionales Caesareae et Regiae Maiestatis praesentatae et exhibitae sunt dominis Regnicolis. Conclusum est, vt obseruentur. Joannes Petricheuich, Viceprotonotarius Regni manu propria.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 134.

CXCIV.

Anno 1577. Mense Februario. Posonii.

Camera Hungarica Diaetas Regni Slavoniae nonnissi Bano jubente celebratas fuisse testatur.

Serenissime Princeps,

Domine Clementissime!

Fidelium servitiorum nostrorum in gratiam Serenitatis vestrae humillimam commendationem. Cognovimus humillime ex benignis Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis, domini nostri Clementissimi et Serenissimi Archiducis Caroli, domini nostri itidem Clementissimi, litteris, de benigno Serenitatis vestrae mandato, vigesimo quinto die proxime elapsi mensis Januarii transmissis, nobisque ultima eiusdem mensis redditi, quae sit suae Serenitatis de celebranda Diaeta Sclavonica benigna voluntas, quidve super eo Maiestas sua Caesarea clementer fieri velit. Quod autem Serenitas vestra nostram ea in re tenuem sententiam benigne intelligere cupit, negotio ipso in accuratam deliberationem sumpto, duo nobis occurrunt impedimenta, quae diaetae illius celebrationem nunc impedire videntur. Vnum absentia Bani, sine cuius praesentia Diaeta generalis commode institui nequit; cuius vices licet priores suppleturos Serenitas vestra benigne existimet, tamen cum semper moris fuisse intelligamus, quod Diaeta generalis nonnisi Bano iubente sit in Sclavonia habita, an status et ordines Regni illius sint vicegerentum ea in re requisitioni obtemperaturi, dubium est. Consultis itaque fore pro demissa nostra sententia videretur, ut Banus ipse benignis suae Maiestatis litteris ad capescendum Banatus Officium requireretur: quo praesente omnia rectius processura, et quidquid Maiestas sua statibus Sclavoniae proponere vellet, maiorem effectum habiturum existimaremus. Alterum impedimentum priori gravius esse videtur. Quod cum (prout recordamur) hucusque ita observatum sit, ut prius in Hungaria Diaeta sit celebrata, ad quam Status Regnorum Croatiae et Sclavoniae suos semper solemnes expedire soliti sunt oratores. Qua quidem Diaeta in Hungaria peracta, Banus tandem, et non prius, statibus Croatiae et Sclavoniae indicebat publicam Diaetam, ad quam Maiestas quoque sua suos Commissarios expedire solebat, quibus praesentibus ea, quae ad communem salutem atque defensionem patriae spectabant, per Banum proponebantur et sic communi omnium voto atque consensu articuli conclusionum aedebantur, proque benigno suae Majestatis consensu atque confirmatione transmittebantur, ac ita demum omnia rata et firma habebantur. Quod si itaque nunc aliquid fieret contrarij, verendum est, ne status ipsi novitate rei moti libertates suas labefactari conquerantur et parum vel nihil apud eos efficiatur. Ut autem confiniorum illarum partium conservationi consula-

tur, munitioque oppidi Kaproncza bono modo fiat, resque illa, uti Sua Serenitas ad suam Maiestatem scribit, nullam moram ulteriorem patiatur, non abs re fore demisse putaremus, ut Maiestas sua Caesarea certos Commissarios ex Aula eo deligeret et Reverendissimum Episcopum Zagrabiensem, alias Bannm, et Status atque Ordines dicti Regni Sclavoniae et Croatiae litteris suis, ex Cancellaria sua Hungarica editis, statim requireret, ut cum Maiestas sua benigne decrevisset, confiniorum illorum aliasque certas ob causas, bonum publicum concernentes, certos suos Commissarios illuc propediem expedire, per eos nomine suae Maiestatis requisiti Zagrabiam convenire, et ea, quae ipsorum et patriae salutem concernerent, ab illis percipere, in omnibusque sese morigeros exhibere, et una cum illis omnia diligenter consultare atque etiam in effectum perducere velint, et hoc pacto, non tanquam Diaetae generalis, sed tantum Commissionis specialis nomine, interim donec Diaeta publica, more alias consveto, ibi quoque celebrari posset, omnia bono modo componi posse humillime existimaremus. Quod erat Serenitati vestrae ad benignum eiusdem mandatum, litteris Suae Maiestatis et Serenissimi Archiducis iterum remissis, humillime rescribendum.

Quam Deus aeternus diu salvam atque incolumem conservet. Posonii Februarii 1577.

Eiusdem Serenitatis Vestrae

Fideles servitores

Camerae Hungaricae Praefectus et Consiliarii

Ep. Agriensis m. p.

Ghozmoy m. p.

A tergo:

Serenissimo Principi et domino domino Ernesto, Archiduci Austriae, Duci Burgundiae, Comiti Tyrolis et domino nobis Clementissimo.

Ad Cameram Aulicam.

Ex Protocollo Regni Congregationum.

CXCV.

Anno 1581.—1629.

Privilegium Carolostadiense a Regibus Rudolpho II. et Ferdinando III. elargitum

Nos Ferdinandus III. Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque Rex. Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carnioliae, superiorisque & inferioris Silesiae; Marchio Moraviae, superiorisque & inferioris Lusatiae; Comes Haubspurgi, Tyrolis, & Goritiae &c. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis. Quod pro parte & in persona fidelium nostrorum militum & incolarum, caeterorumque inhabitatorum Fortalitii, sive Civitatis novae *Carlostad* infra Castrum Dubovacz, in dicto *Regno nostro Croatiae constructae,* exhibitae sunt nobis & praesentatae certae quaedam litterae, serenissimi condam Principis, Domini Rudolphi II. alias Romanorum Imperatoris & *Regis Hungariae;* confirmationales Privilegiales, in pargameno patenter confectae, ac secreto eiusdem Sigillo, quo, *ut Rex Hungariae utebatur*, impendenti communitae. Quibus mediantibus, idem condam Imperator & Rex, certos quosdam articulos, super libertatibus & immunitatibus praefatorum Civium Carlostadiensium, a Serenissimo condam Principe Carolo, patruo videlicet suo, iisdem Civibus Carlostadiensibus, factis & concessis, signanter vero binis nundinalibus praerogativis; nec non uno foro haebdomadali, emanatos; ratificasse atque confirmasse dignoscebatur, tenoris infrascripti. Supplicatum itaque extitit Maiestati nostrae, pro parte & in persona praelibatorum militum, universorumque Civium & inhabitatorum dictae Civitatis Carlostadiensis, debita cum instantia humillime: quatenus praetactarum binarum nundinarum, unas; hactenus quidem in Festo B. Margarithae, hoc est XIII. Die Mensis Julii; prout & forum haebdomadale, singulis diebus Sabathi in eadem Civitate celebrari solitum & consvetum, ex eodem Festo S. Margarithae ad Dominicam Sanctissimae & Individuae Trinitatis; forum autem haebdomadale, ex die Sabbathi ad diem Jovis, singularum septimanarum, benigne transferre: ac insuper unas adhuc nundinas pro Festo S. Bartholomaei quotannis, in eadem Civitate perpetuo celebrandas gratiose superaddere: In reliquo vero, praedeclaratas litteras confirmationales, omniaque et singula in iisdem contenta, ratas, gratas & accepta habentes, litterisque nostris Privilegialibus, inseri & inscribi facientes, approbare, roborare, & ratificare; ac pro antelatis militibus & incolis, caeterisque inhabitatoribus, saepe tactae Civitatis Carlostadiensis, ipsorumque posteris & successoribus universis, innovandas, perpetuo valituras, gratiose confirmare dignaremur. Quarum quidem litterarum tenor talis est.

Rudolphus II. Dei gratia electus Romanorum Imperator semper augustus; ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque Rex. Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Marchio Moraviae, Comes Tyrolis ac Goritiae &c. memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis. Quod cum serenissimus Princeps Dominus *Carolus*, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carnioliae, Comes Tyrolis &c. *Patruus noster charissimus*, *ad defensionem Regni nostri Croatiae*, *quod ipsius Provinciis instar Clypei*, *seu Muri esse dignoscitur*, contra Turcas nominis Christiani hostes, suis & Provinciarum suarum sumptibus, certam munitionem seu fortalitium instar Civitatis, infra Castrum Dubovacz, *in dicto Regno Croatiae situm*, aedificaverit; & eundem locum de suo nomine *Carlostadium* nominaverit, caeterisque libertatibus et Privilegiis ac immunitatibus, nostro ac suo nomine donaverit, militesque ac alios inhabitatores eiusdem de ipsarum immunitatum ratificatione, *per Nos*, *veluti Hungariae & partium ei subjectarum*, *legitimum Regem fienda*, *assecuraverit*; *requisivit nos* debita cum instantia, ut eiusdem militibus, ac caeteris inhabitatoribus eiusdem oppidi Novi Carlostadii; eorumque successoribus, certos articulos, super dictis libertatibus & immunitatibus ipsorum, a praefato serenissimo Patruo nostro, tam sua; *veluti supremi in partibus illis nostris*, *Locumtenentis*; quam nostra Regia authoritate additos & concessos, benigne acceptare; & de Regiae nostrae potestatis plenitudine, gratiaque speciali, confirmare dignaremur. Qui quidem articuli, seu capita immunitatum ipsorum, sequuntur in hunc modum: I. Quod quilibet miles, sive Germanus, sive Hungarus, sive Croata fuerit, aut alterius Nationis, sive inter equites, sive pedites, qui juxta zonam seu dimensionem sine digressione in fundo, seu area Viridi aedificaverit; tale aedificium seu fundus, ipsi & haeredibus suis, proprius & haereditarius esse & manere debeat; quem ipse vel haeredes sui, una cum superaedificata domo, vendere, legare, vel dono dare, & de illo juxta placitum suum, tanquam de re propria disponere, & ordinare possit, hac tamen conditione: quod semper nostri, seu Serenissimi patrui nostri milites ibidem in praesidio Stipendia merentes, prae aliis emere possint. Sin vero contingeret, quod per mortem & decessum unius vel alterius militum, una vel plures domus haereditariae, ad illius, vel illorum consangvineos devolverentur, qui in Stiria vel Carinthia, *illisque annexis Provinciis*, domos, seu aliquam haereditatem non haberent; & vel *in illis confiniis dicti Regni nostri Croatiae* non militarent; ex tunc illi haeredes sine ulla contradictione, teneantur & sint adstricti, cuilibet militi illius praesidii, qui illa opus haberet, dictam domum praevia justa & tolerabili honestorum virorum aestimatione, pro ipsius solutione vendere; vel iuxta Praefecti illius loci dispositionem, domusque ipsius capacitatem & commoditatem, aliquod ibidem servientes milites, in illam recipere. Item postquam nos, de Regiae nostrae potestatis plenitudine, *ad instantiam praefati Serenissimi* Patrui nostri, dictam Civitatem novam Carlostadium, libertate & prerogativa speciali ornandam duximus, omnes qui proprias domus in ea habent, aut habuerint libertatibus communibus utentur, fruentur: Et vicissim incolae & habitatores omnes, ea omnia quae ad conservandam Politiam, & retinendam disciplinam pertinebunt, quovis tempore firmiter observare debeant. Domos & plateas, ac quaecunque ad familiae sustentationem commoda erunt, mundo bonoque ordine servabunt. Ignem custodient ne damnum faciat, sicuti tales & id genus regulae in aliis civitatibus observari solent. *Item* in Suburbibus: domum,

horreum, fossas, hortos pomarios, cellaria, foveas, sepimenta, & similia quae in detrimentum fortalitii, seu Civitatis vergere possent, inter fortalitium videlicet, & montem ac colles, ubi nunc excubiae tenentur; nemini cujusvis status & conditionis homini, liceat erigere aut extruere, neque cuipiam permittatur. Verum horti pro caulibus, ac aliis culinae necessariis, ita tamen ut 200 ulnis a fortalitio longis, absint, praevia dimensuratione concedantur, & tales horti, sepimento transparente claudantur. *Et* super haec omnia, pro meliore fortalitii praefati Carlostadiensis in eoque degentium militum incremento, consultum necessariumque visum est: ut singulis annis binae nundinae; unae, in Festo D. Caroli, hoc est 28. die Januarii: alterae vero, 13. die Mensis Julii, hoc est in Festo B. Margarethae (ea siquidem die Civitas ipsa extrui cepta est:) ad diuturnam rei memoriam, juxta bonum ordinem, & dispositionem Praefecti, celebrentur, sine tamen nundinarum caeterorum vicinorum locorum praejudicio. Et per totum annum singulis diebus Sabbathi, solitum forum haebdomadale interteneatur. Verum hujusmodi nundinae, & Forum haebdomadale extra Fortalitium, juxta Praefecti demonstrationem, in loco commodo administrari, celebrarique debebunt.

Nos igitur, qui commodis et permansioni fidelium *nostrorum Regnicolarum, praefati Regni nostri Croatiae, & consequenter praefato fortalitio Carlostadio*, quod propter illius defensionem extructum esse dignoscitur, quam optime consultum & provisum esse cupimus; Requisitione & postulatione supradicti Serenissimi Domini Caroli Archiducis, patrui nostri Charissimi, facta; benigne accepta & admissa praefatos articulos, super libertatibus, privilegiis, & immunitatibus dictae Civitatis novae Carlostadii, infra Castrum Dubovacz, *in Regno nostro Croatiae*, de novo constructae, editos & emanatos; praesentibusque litteris nostris supra insertos & inscriptos: ac omnia & singula in eisdem contenta, eatenus, quatenus eidem rite & legitime existunt emanati, ratos, gratos, & accepta habentes, pro praenominatis militibus ac incolis, & caeteris inhabitatoribus dicti Fortalitii seu Civitatis, ipsorumque posteris & Successoribus, in praefato Fortalitio pro tempore degentibus, perpetuo valituras approbavimus, ratificavimus & confirmavimus, *Salvis semper antiquis legibus, & consvetudinibus Regni nostri Hungariae, & partium ei subjectarum*, permanentibus. Immo approbamus, ratificamus, & confirmamus, harum nostrarum, quibus secretum Sigillum nostrum, *quo ut Rex Hungariae utimur*, est apensum, vigore & testimonio litterarum. Datum in Arce nostra Regia Pragensi, XXIV. Die Aprilis, Anno Domini 1581. Regnorum nostrorum, Romani sexto: Hungariae & aliorum nono: Bohemiae vero anno similiter sexto.

Nos itaque humillima supplicatione, pro parte praefatorum militnm & incolarum universorumque Civium dicti Fortalitii, sive Civitatis novae Carlostadiensis Nostrae, modo quo supra, porrecta Majestati, Regia benignitate exaudita, clementer & admissa, praelibatas nundinas Festi S. Margarethae, ex eodem Festo, in diem Sabbathi Dominicae, Sanctissimae & Individuae Trinitatis, aliosque idem Sabbathum immediate praecedentes, ad id videlicet aptos et sufficientes dies: Forum item haebdomadale ex die Sabbathi, ad praetactum diem Jovis, transferendum: Unas insuper nundinas pro Festo S. Bartholomaei quovis anno, omnino sub iisdem libertatibus & praerogativis, quibus nundinae liberae seu fora annualia libera, aliarum liberarum Civitatum nostrarum, oppidorum & villarum celebrantur, perpetuo servandas & in eadem Civitate nova Carlostadiensi celebrandas, absque tamen praejuditio nundinarum seu Fororum annualium, liberorum

aliorumcumque locorum circumvicinorum, superadendas; praemissis binis annualibus nundinis, prout & haebdomadali foro, gratiose addiiciendas duximus. De caetero autem praeinsertas litteras confirmationales privilegiales non abrasas non cancellatas neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio ac suspicione carentes, praesentibus nostris litteris privilegialibus, de verbo ad verbum sine diminutione & augmento aliquali insertas & inscriptas, quoad omnes earundem continentias, clausulas & articulos, eatenus quatenus eaedem rite & legitime existunt emanatae, viribusque earum veritas suffragatur; ac in quantum iidem cives & inhabitatores Carlostadienses in huiusmodi libertatum & praerogativarum continuo usu hactenus perstitissent, persisterentque etiam de praesenti, ratas, gratas, & accepta habentes, approbavimus, roboravimus & ratificavimus, ac pro iisdem Civibus Carlostadiensibus, ipsorumque posteris ac successoribus universis perpetuo valituras, gratiose confirmavimus; immo transferimus, superadimus, & acceptamus, approbamus, roboramus, ratificamusque & confirmamus: salvo jure alieno harum nostrarum Secreto Sigillo nostro, *quo ut Rex Hungariae utimur*, in pendenti communitarum, vigore & testimonio litterarum. Datum per manus fidelis nostri, nobis dilecti, Reverendi Georgii Lipay de Zombor, Episcopi Ecclesiae Agriensis perpetui Comitis de Heves, Consiliarii nostri, & Aulae nostrae per Hungariam Cancellarii. In Civitate nostra Vienna Austriae. Die 26. Mensis Julii, Anno Domini 1629. Regnorum nostrorum Hungariae III., reliquorum XIV., Bohemiae vero anno XII.

Ferdinandus m. p.

Georgius Lippay m. p.
Episcopus Agriensis.

Laurentius Ferenczffy m. p.

(L. S.)

In dextro inferiori margine:

Collationatum cum originali, Carlostad. Die 19. Maj, 1753.

(L. S.)

M. H.
General Auditor Lieut.

Kerčelić Not. Praeliminares p. 392.

CXCVI.

Anno 1599. die 17. Maji Pragae.

Rudolphus Rex SS. et OO. Regni Croatiae et Slavoniae provocat, ut in sua diaeta Confiniis Slavonicis provideant.

Rudolphus secundus, Dei Gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae &c. Rex &c. Magnifice fidelis nobis dilecte. Quantopere necessarium sit, ut Sclavonicis Confiniis rite provideatur, id tibi exacte constare non ambigimus. Cum autem id sine Regni illius nostri communibus auxiliis et subsidiis fieri nequeat, omittere in presenti rerum statu et summa necessitate non potuimus, quin fidelibus Regnorum nostrorum Croatiae et Sclavonie Statibus et Ordinibus, qui forte nunc in peculiari suo Conventu de veteri more et consvetudine congregati erunt, dictorum Confiniorum miserum statum speciali nostro Decreto ob oculos statueremus, et ad eum in melius reformandum et redigendum ipsorum quoque necessaria auxilia benigne expeteremus. Quare Fidelitatem tuam clementer hortamur tibique firmiter committimus et mandamus, ut dictis Statibus in primitus futura eorum Congregatione adiunctum Benignum Decretum nostrum non solum bonis et ad hoc congruis modis proponere, verum etiam apud eosdem auctoritate, prudentia ac dexteritate tua, qua potes, efficere velis, ut pro sua coniugumque et liberorum suorum salute et permansione, bonorumque suorum conservatione, dictis Confiniis modo meliore prospicere, et necessaria sua auxilia prompte ac benevole ad illa conferre, nostraeque benignae postulationi, uti obedientes subditos decet, effective respondere et satisfacere velint. Executurus in hoc benignam voluntatem nostram; tibique Gratia nostra bene propensi sumus. Datum in Arce nostra Regia Pragensi, decima septima die Mensis Maii, Anno Domini Millesimo Quingentesimo nonagesimo nono.

Rudolphus m. p.

Himmelreich m. p

Tenor Indorsationis:

Magnifico Joanni Draskowyth de Trakostyan, Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bano et Consiliario nostro &c. &c. Fideli nobis dilecto.

Agramb von Grätz aus.

(Sigillum Regium ab extus appressum.)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 136.

CXCVII.

Anno 1618. 15—25. Maji. Posonii.

Litterarum assecuratoriarum Ferdinandi II. Regis Regno Slavoniae seorsim data authentica paria.

Nos Comes Sigismundus Forgach de Ghymes, Regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum, nec non Comitatuum Neogradiensis, Saarosiensis et de Zabolch Comes ac Sacratissimi Principis Domini Domini Mathiae, Dei Gratia electi Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae Regis, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae &c. Intimus Consiliarius et per Hungariam Locumtenens. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit vniversis: Quod cum Sacratissima Caesarea Regiaque Maiestas Dominus noster Clementissimus vniversis fidelibus Statibus et Ordinibus Regni sui Hungariae pro tractandis et concludendis publicis Regni negotiis, tranquillum statum et securam permansionem concernentibus, Generalem Diaetam ad hanc Civitatem Regiam ac liberam Posoniensem ad Dominicam Inuocauit proxime praeteritam promulgare clementer dignata fuisset, ac pro innata pia et paterna erga Regnum hoc affectione et sollicita cura primo et ante omnia de futuro Rege et successore eligendo cum eisdem fidelibus suis Statibus et Ordinibus Regni tractare et concludere statuisset, in eoque Status et Ordines benigne requisiuisset: Ad quam Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis benignam requisitionem Iidem Status et Ordines matura consilii deliberatione praehabita post longos tractatus in Serenissimum Principem Ferdinandum secundum, Dei Gratia Regem Bohemiae, Archiducem Austriae, Ducem Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae et Wirtembergae, Marchionem Morauiae, Comitem Habspurgi et Tyrolis, Dominum itidem nostrum Clementissimum vnanimiter consensissent. Priusquam tamen Status et Ordines de vetusta lege et longa serie obseruata hactenus consuetudine eundem Dominum Regem Bohemiae in Dominum et Regem eorum liberis et communibus votis ellegissent, declarassent et pronunciassent, eidem Domino Regi Articulos subinsertos acceptandos, confirmandos, ac per eundem Dominum Regem suo tempore regiminis firmiter et inuiolabiliter obseruandos demisse porrexissent. Quorum humilibus postulatis eadem Maiestas Regia benigne admissis, dictos articulos, omniaque et singula in eis contenta acceptare, confirmare et litteris quoque suis superinde Assecuratoriis, Sigillo et manus propriae subscriptione roborare, et tandem eisdem Dominis universis Statibus et Ordinibus Regni extradare clementer dignata est. Quibus extradatis, et manibus nostris assignatis, postularunt iidem Status et Ordines, quatenus copiam seu paria earundem sub sigillo nostro authentico in Transumpto litterarum nostrarum eisdem extradaremus. Quarum quidem litterarum assecuratoriarum tenor talis est: Nos Ferdinandus, Dei Gratia Rex Bohemiae, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae et Wirtembergae, Mar-

chio Morauiae, Comes Habspurgi et Tyrolis &c. agnoscimus et memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit vniversis: Quod cum Sacratissimo Principi ac Domino Domino Mathiae Dei Gratia Electo Romanorum Imperatori sempor Augusto, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae &c. Regi, Domino Patrueli et Patri nostro observandissimo benigne visum fuisset, Inclito suo Hungariae Regno, partibusque eidem adnexis, pro pia atque paterna sua cura et sollicitudine de futuro Rege atque Successore tempestiue prospicere, eumque in finem ex singulari sua et paterna erga nos gratia et amore ejusdem Regni Status et Ordines benigne requisiuisset, uti nos in futurum ipsorum Regem eligere acceptare, proclamare et coronare adeoque optime Majestatis Suae Cesareae Regiaeque intentioni, quae nonnisi in beneficium hujus Coronae redundare queat, sua quoque ex parte respondere vellent, Iidem Status et Ordines sollicitum hunc, et iam ante pluribus occasionibus contestatum Majestatis Suae Cesareae Regiaeque affectum, uti fideles et Cives Patriae amantes decet, grato animo agnoscentes, eiusdem desiderio haud grauatim obsecundare, atque nos in Regem atque Dominum ipsorum iuxta antiquam consuetudinem et libertatem eorum semper obseruatam paribus votis et unanimi consensu rite eligere, proclamare, inuocatoque demum Numinis diuini auxilio feliciter etiam coronare promptos paratosque fore declarauerint, demisse rogantes, vti infrascriptos Articulos, omniaque et singula in eis contenta rata, grata et accepta habentes, nostrumque Regium consensum illis praebentes, clementer acceptare, auctoritate nostra Regia approbare et confirmare, atque tam nos ipsi suo tempore benigne obseruare, quam per alios, quorum interest, firmiter obseruari facere dignaremur. Quorum quidem Articulorum tenor sequitur, et est talis: Prima conditio. Quod vniversas et singulas Regni libertatates, Immunitates, Priuilegia, Statuta, Jura et consvetudines simul et conclusiones Tractatus Viennensis, omnesque Articulos in eodem comprehensos, ita et reliquos ante et post Coronationem modernae Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis in Anno Millesimo sexcentesimo octauo, et Millesimo sexcentesimo Nono editos, in omnibus suis punctis, clausulis et Articulis Sua Majestas Regia firmiter et sancte obseruabit, per aliosque omnes inuiolabiliter obseruari faciet. Secunda conditio. Quod grauamina, si quae usque ad tempus suscipiendi Regiminis Majestatis Suae qualitercunque euenerint, ea statim in initio Regiminis Suae Majestatis in Diaeta primitus intra spatium sex mensium publicanda penitus tollet. Grauamina autem vniuersorum Statuum et Ordinum Regni, quaecunque successu temporis sub Regimine Suae Maiestatis emerserint ea in singulis Diaetis, quas Sua Majestas Successiuis temporibus pro commodo et necessitate Regni quo saepius fieri poterit, ita ut terminum triennii non excedat, publicare et celebrare dignabitur, sub eadem Diaeta tollet et effectuabit. Tertia conditio. Quod quando de rebus et negotiis Regni Hungariae aut Partium ei subiectarum agetur, ea per Hungaros tractare et consultare dignabitur, iuxta Articulos Anni Millesimi sexcentesimi octaui, nonum et decimum ante Coronationem editos; item Anni Millesimi quingentesimi quinquagesimi noni articulum octauum. Neque etiam supplicantes aut causantes Indigenas Regni intra ambitum eiusdem occurrentes ad Regimen et Jura externa rejicere, pertrahere et ablegare pacietur, iuxta extrema verba Articulorum decimi et decimi sexti ante Coronationem et Decreti Ferdinandi Anno Millesimo quingentesimo tricesimo sexto, articulo quadragesimo primo editi. Quarta conditio. Confiniorum vero Praefecturas, Capitaneatus et alia Officia tam in hoc, quam

aliis Regnis annexis, Majestas Sua, iuxta articulum vndecimum ante Coronationem Anno Millesimo sexcentesimo octauo editum conferet. Quinta conditio. Quod pro Justitiae administratione, sine qua Regna consistere non possunt, secundum laudabilem et Deo gratam in celebrandis Judiciis antiquam Regni consuetudinem Judicia octaualia pacis tempore, tam in superioribus, quam in inferioribus Regni Partibus, iuxta constitutionem Anni Millesimi sexcentesimi noni, articulum septuagesimum, continuo celebrari faciet, et iuxta eundem Articulum tam in Tabula Regia, quam Appellationibus, sine discretione Religionis Judices fiant, neque Status et Ordines Regni mandatis extra terminos Judiciorum coram Judicibus Regni Ordinariis vel Deputatis Juri stare et ad productionem Priuilegiorum cogere executionesque legitimas nec per se impediet, nec per suos Officiales impediri patietur, similiter etiam illegitima Judicia et illegitimas Eexcutiones fieri non admittet. Allegantur primo pro Judiciorum octaualium celebratione articulus septuagesimus Anni Millesimi sexcentesimi noni. Secundo, pro Juribus Nobilitaris praerogativae tripartiti primi titulus nonagesimus sextus; Item Ferdinandi Regis Anni Millesimi quingentesimi quadragesimi sexti articulus trigesimus; Item articulus vndecimus Pacificationis Viennensis. Tertio, ne mandatis Regiis Juris processus turbetur, Mathiae primi Millesimi quadringentesimi septuagesimi primi anni articulus duodecimus; Maximiliani Millesimi quingentesimi sexagesimi sexti articulus vigesimus quintus; Mathiae secundi Millesimi sexcentesimi decimi tertii articulus trigesimus quartus. Quarto, ne expediantur mandata illegitima, Ferdinandi Anni Millesimi quingentesimi sexagesimi tertii articulus octuagesimus; Mathiae secundi Millesimi sexcentesimi octaui articulus sextus. Sexta conditio. Quod religionis negocium inter vniversos Status et Ordines Regni in suis ac fisci bonis, item in confiniis quoque Regni Hungariae militibus Hungaris, propter Regni tranquilliorem permansionem, iuxta constitutiones Viennenses et Articulos ante Coronationem editos maneat liberum, illaesum, et illibatum, ita videlicet, ut Religionis exercitium tam Baronibus, Magnatibus et Nobilibus, quam liberis etiam Ciuitatibus vniversisque Statibus et Ordinibus Regni in suis ac Fisci bonis, item in Confiniis Regni Hungariae, nec non oppidis ac villis, illud sponte ac libere acceptare volentibus, ubique liberum relinquatur, nec quisquam cujuscunque Status et conditionis existens in libero eiusdem usu ac exercitio Religionis a Majestate Sua Regia et aliis quibusuis Dominis Terrestribus quouis modo aut quouis sub praetextu turbetur et impediatur. Septima conditio. Quod in Palatini Electione, eiusdemque auctoritate, Jurisdictione et officio iuxta articulum Viennensis Pacificationis ad tertium, item ante Coronationem edito Anni Millesimi Sexcentesimi octaui art. vndecimo et Anni Millesimi Sexcentesimi decimi tertii articulo septimo, Ferdinandi Regis Anni Millesimi Quingentesimi quinquagesimi quinti artculo primo circa finem, ac secundum formam Juramenti eiusdem Palatini praescriptum modum Maiestas Sua obseruatura est. De Banatu etiam, quae in eodem articulo vndecimo Anni Millesimi Sexcentnsimi octaui continentur, similiter et de Walachis annorum Millesimi sexcentesimi quarti articulum decimum quartnm, Anni Millesimi sexcentesimi octavi articulum nonum et Anni Millesimi sexcentesimi decimi tertii articulorum Trigesimum nonum effectuabit. Octaua conditio. Quandoquidem salus et permansio non modo afflicte hujus Patriae, tanquam clypei et antemuralis, sed aliorum quoque vicinorum Regnorum et Provinciarum, ex bona et secura Confiniorum prouisione dependeat: Majestas Sua iuxta articulum vige-

simum primum Anni Millesimi sexcentesimi octaui ante Coronationem et art. Trigesimum secundum Anni Millesimi Sexcentesimi noni, paterne Confiniis prouidere dignabitur. Nona conditio. Quod Ciuitates liberas et Montanas in suis Juribus et libertatibus, priuilegiis, et immunitatibus conseruabit. Decima conditio. Quod Coronam Regni ex Regno Hungariae nulla ex causa vel arte Maiestas Sua Regia auferet aut auferri curabit, sed quod iuxta veterem consuetudinem ac libertatem ipsorum Regnicolarum per certas et de eorum medio vnanimiter ad hoc delectas et deputatas personas utriusque Religionis Seculares in Regno conseruabit, iuxta articulum quartum ante Coronationem et decimum sextum post Coronationem Anni Millesimi sexcentesimi octaui, et Wladislai Regis Decreto in conditionibus. Item eiusdem Wladislai Decretorum Anni Millesimi Quadringentesimi nonagesimi secundi articulum tertium. Vndecima conditio. Quod metas Regni Hungariae et partium ei subiectarum non abalienabit, imo differentias ratione metarum cum Polonis, Silesitis, Morauis et Austriacis, nec non Styris, Carinthis, Carniolis exortas ac vigentes omni studio ac ope Majestas Sua Regia componet, determinabit et recuperabit. Duodecima conditio. Quod confoederationes cum Regno Bohemiae et aliis vicinis Provinciis ac Transylvania, iuxta articulum Pacificationis Wiennensis et Constitutionum Anni Millesimi sexcentesimi noni art. quadragesimum secundum in suo vigore permaneant, Suaque Majestas eos obseruabit et per suos obseruari faciet. Decima tertia conditio. Quae de pace publica Regni conseruanda et bello non movendo extraneoque milite non iuducendo art. secundo ante Coronationem in Anno Millesimo sexcentesimo octauo sancita fuerunt, ea Sua Majestas Regia inuiolabiliter obseruabit, et per alios obseruari faciet. Decima quarta conditio. Vt intuitu sinceri erga Domum Austriacam Suamque Maiestatem Regiam amoris et beneuolentiae gentis Hungaricae hactenus luculenter satis declaratae, ac in futurum quoque declarandae, Arces Pernstein, Kobelsdorf, Gyns, Frakenstein, Aysenstadt et Hornstein cum suis pertinentijs iam tandem interpositione, auxilio et munificentia Suae Majestatis Regiae ab Austriacis gratis eliberentur et Regnicolis pro animi ipsorum gratitudine, qua Domum Austriacam, atque Regiam quoque Maiestatem Suam prosequuntur, remittantur, siquidem a tot retroactis temporibus amplas satis utilitates et emolumenta exinde perceperint. Si autem dictae Arces ab Austriacis gratis non remitterentur, extunc deposita Inscriptionis summa ab iisdem redimantur, et iuxta articulum septimum Anni Millesimi sexcentesimi octaui, item Anni Millesimi sexcentesimi noni art. sexagesimum secundum. Jurisdictioni, legibus et Oneribus praedictarum artium pertinentiae subjaceant. Decima quinta conditio. Quod castrum Lublyo cum suis pertinentiis et tredecim oppida Scepusiensia, siquidem magno cum damno et incommodo Regni et Regnicolarum a Polonis possidentur: nam non solum aliquid in medium Regnicolarum contribuere nolunt, verum illatis Regnicolis diuersis iniuriis ac violentiis in Regno Hungariae Juri stare et in Comitatibus comparere recusant, omnes suos conatus manu violenta impune exercendo; vnde et Auctoritati Suae Majestatis plurimum derogare videtur; Majestas Sua Regia, facta interpositione apud Sacram Caesaream et Regiam Majestatem castrum illud cum pertinentiis et praedictis oppidis eliberare Regnoque applicare dignetur, cum non desint modi summam illam inscriptionis per Regnicolas deponendi. Decima sexta conditio. Quod Milites Hajdones priuilegia a Sua Majestate Caesarea et Regia habentes fruantur illis, et tempore regiminis sui Majestas Sua Regia confirmare dignabitur. Decima septima conditio. Asse-

curabit quoque Majestas Sua, quod vivente Sacra Caesarea Regiaque Majestate Domino nostro Clementissimo in nullam administrationem Regni sese intromittet absque suae Caesareae Regiaeque Majestatis expressa ac specifica benigna voluntate Regnicolarumque assensu. Atque hae sunt conditiones, quas Majestas Sua Regia ante Electionem suam acceptare, sufficientibusque litteris suis assecuratoriis sub verbo Regio confirmare, post Coronationem vero suam tempore suscepti regiminis generalibus articulis inseri et publicare dignabitur. Nos itaque praedicta universorum Statuum et Ordinum Inclyti Regni Hungariae et partium ei subiectarum supplicatione clementer admissa, pro benigna animi nostri propensione, ipsisque clementer gratificandi voluntate, praeinsertos universos articulos, ac omnia et singula in eis contenta, rata, grata et accepta habentes, eisdem Regium nostrum consensum benevolum pariter et assensum praebuimus et illos ac quaevis in eis contenta acceptauimus, approbauimus, ratificauimus et confirmauimus. Promittentes et assecurantes Status et Ordines in verbo nostro Regio, quod praemissa omnia tam nos ipsi Regiminis nostri tempore obseruabimus, quam per alios fideles subditos nostros cuiuscunque Status et Conditionis existant, obseruari faciemus, uti vigore huius nostri Diplomatis acceptamus, approbamus, ratificamus, confirmamus atque promittimus. In cuius fidem et testimonium litteras has manu propria subscripsimus et Sigilli nostri impressione muniri jussimus. Datum in Civitate Posoniensi die decima quinta mensis May. Anno Millesimo sexcentesimo decimo octauo. Subscriptionis vero series haec est: Ferdinandus. Paulo inferius vero: Vl. Leonardus Gerius. Nos itaque iuxta postulationem eorundem dominorum Statuum et Ordinum Regni praeinsertas litteras Sacrae Regiae Majestatis assecuratorias praesentibus litteris nostris de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali inscribi et inseri facientes sub Sigillo nostro authentico extradandas duximus et concedendas. Datum Posonii die vigesima quinta Mensis May Anno Domini Millesimo sexcentesimo decimo octauo.

Comes Sigismundus Forgach de Gymes m. p.

(*Locus Sigilli authentici Palatinalis.*)

Emericus Zkolek m. p.

Originale in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 137.

CXCVII.

Anno 1618. 15. Calendas Julias. Posonii.

Diploma assecurationis a Ferdinando II. Rege Statibus et Ordinibus Regni Croatiae & Slavoniae seorsim datum.

Nos Comes Sigismundus Forgach de Ghymes, Regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum nec non Comitatuum Neogradiensis, Sarosiensis et de Zabolch Comes, ac Sacratissimi Principis et Domini Domini Mathiae, Dei Gratia Electi Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae &c. Regis, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae &c., Intimus Consiliarius et per Hungariam Locumtenens. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis et singulis. Quod Reuerendissimus Dominus Petrus Domittrouich, Episcopus Zagrabiensis, Beatae Mariae Virginis de Thopuzka et S. Georgii de Diaky Ecclesiarium Abbas, ac Sacrae Caesaraee Maiestatis Consiliarius, exhibuit et praesentauit nobis Serenissimi Principis ac Domini Domini Ferdinandi, Hungariae Bohemiaeque Regis, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae &c. Domini similiter nostri Clementissimi, litteras quasdam in papyro Regali patenter confectas sigilloque et manus subscriptione eiusdem Serenissimi Principis ac Regis communitas, petens nos debita cum Instantia, quatenus nos dictas Serenissimi Principis ac Regis Domini Domini nostri Clementissimi litteras transumi et aliis Litteris nostris similiter patentibus inseri et inscribi, insertasque et inscriptas eidem tradere dignaremur. Earum uero litterarum tenor talis est: Nos Ferdinandus Secundus, Dei Gratia Hungariae et Bohemiae Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Würtembergae, superioris et inferioris Silesiae, Marchio Morauiae, superioris et inferioris Lusatiae, Comes Tyrolis et Goritiae. Memoriae commendamus et notum facimus, quibus expedit vniuersis. Quod, cum nos Generali Congregationi Inclytorum Statuum et Ordinum Regni Hungariae et Partium ei annexarum, ex edicto Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Patruelis et Patris nostri obseruantissimi ad quartum diem proxime preteriti mensis Martii in Ciuitate Posoniensi vltimatim promulgatae, ex benigna eiusdem Caesareae Maiestatis voluntate praeessemus. Iidemque Status et Ordines praedicti Regni Hungariae ac Partium ei annexarum ex singulari et paterna Suae Caesareae Maiestatis erga nos beneuolentia et amore Nos in futurum ipsorum dominum et Regem vnanimi consensu rite elegissent, extunc iidem Status et Ordines Regni certa quaedam grauamina ipsorum praefatae Caesareae Regiaeque Maiestati ante felicem Coronationem nostram sub praesenti Diaeta iuxta Diploma eiusdem Caesareae Maiestatis praedictis Statibus datum effectiue tollenda humilime porrexissent, ex quibus quaedam Statuum et Ordinum Regnorum Croatiae et Sclauoniae grauamina, vtpote Conclusionibus Viennensibus et aliis Articulis Annorum subsequentium comprehensa, ad debitum effectum neque per praefatam Caesaream Maiestatem, neque

per nos deduci potuissent; ob hoc Nos eosdem Status et Ordines dictorum Regnorum Croatiae et Sclauoniae pro clementi nostra, qua semper in eosdem ducimur, propensione, in verbo nostro Regio assecuramus, nos sedulo curaturos ac elaboraturos, vt praemissi Articuli et Constitutiones effectuentur; qui si ante susceptionem Regiminis Nostri Regni Hungariae aliquo modo in effectum deducti non forent, Nos statim tempore apprehensionis regiminis dicti Regni Hungariae omnes modos et rationes inituros et adinuenturos, vt tam praetitulatae Vienneses Constitutiones et Articuli in effectum deducantur, quam vero de certo et indubitato stipendio et restauratione Confiniorum Banalium prouisum sit. Interea tamen in conferendis Capitaneatibus, Praefecturis aliisque officiis Confiniorum Croatiae et Sclauoniae aequalem Indigenarum eorundem Regnorum cum Prouincialibus nostris rationem habituros semper; atque supremis Praefectis et aliis Capitaneis benigne ac serio mandaturos, ne se in Jurisdictionem Dominorum Terrestrium et liberarum Ciuitatum intromittant. Denique Vallachos in terris Statuum et Ordinum praefatorum Regnorum Croatiae et Sclauoniae residentes, quos Sacra Caesarea Maiestas Jurisdictioni Dominorum Terrestrium per speciales Commissarios, sub hac Diaeta nominandos, applicare et subiicere benigne promisit, Nos etiam nec per Nos, nec per Generales aut Capitaneos Confiniorum impediemus, quin potius litteras ad eosdem Generales et Capitaneos statim expediemus, ut cum primum dicti Commissarii Suae Caesaraee Maiestatis et Regni ad Tractatum descenderint, omnem manum suam a Jurisdictione dictorum Valachorum eximant et determinationi eorundem Commissariorum sese accommodent. Super quibus praemissis omnibus dictos Status et Ordines Regnorum Croatiae et Sclauoniae vigore praesentis Diplomatis nostri, propria manu nostra subscripti et sigillo nostro muniti, assecuramus. Datum Posonii decima quinta Calendas Julias. Anno Christi MDCXVIII. Ferdinandus. Nos itaque petitione praelibati Domini Petri Domitrouich, Episcopi Zagrabiensis, vtpote iusta, beneuole admissa, praescriptas litteras antefati Serenissimi Principis ac Regis Domini que nostri Clementissimi, non abrasas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus suspitione vitioque carentes, praesentibus nostris de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas et inscriptas, sigilloque nostro et manus propriae subscriptione communitas, eidem Reuerendissimo Domino Episcopo Zagrabiensi dandas duximus et concedendas. Datum Posonii Sabatho proximo ante Festum Sancti Joannis Baptistae. Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Decimo Octauo.

Comes Sigismundus Forgach de Gymes m. p.

Emericus Zkolek m. p.

(Locus Sigilli authentici Palatinalis.)

Orig. chart. in Arch. Reg. Croat. Priv. N. 138 et transsumptum in Protocollo Regni Congr. 1601—1645, p. 270.

CXCVIII.

Anno 1620. die 12. Julii. Viennae.

Ferdinandus II. Rex ordinat, ut Valachi, in Croatia et Slavonia degentes, medio Commissionis juxta Articulos diaetae A. 1618 jurisdictioni dominorum terrestrium subjiciantur.

Ferdinandus Secundus DEI gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex &c.

Reverende, Fidelis nobis dilecte. Optime tibi constare non ambigimus, qualiter praedefuncta Sacra Caesarea Regiaque Maiestas dominus patruus paterque et praedecessor noster collendissimus, felicissimae recordationis, in Generali Diaeta, in Anno Domini sexcentesimo decimo octauo supra Millesimum, Posonij celebrata, simul cum universis Statibus et Ordinibus Regni post varias et diversas Transactiones statuerit, ut Valachi, qui superioribus annis jugi Turcici Tyrannidem ferre pertaesi, relictis Sedibus proprijs tutioris permansionis causa ad nonnulla Regnorum nostrorum Croatiae et Sclavoniae loca partesque Christianitatis concesserant, inibique domicilijs et mansionibus positis etiamnum commorantur, tandem aliquando sublatis difficultatibus, dominis eorum terrestribus, quorum territoria inhabitant, plenariae eorundem Jurisdictioni restitueerentur. Ex quo ista restitutio citra grande dominorum terrestrium et ipsorum Valachorum praeiudicium fieret, unanimi Regnicolarum uoto constitutum esse reperitur, illam medio instituendae Commissionis, cui fidelitas tua Praeses futurus declarabatur, determinandam et bono modo finiendam esse, in Articulo eiusdem Diaetae Trigesimo secundo sancitum esse dignoscitur, relicta Tibi uigore eiusdem Articuli tali potestate; ut non obstante unius vel alterius designatorum Commissariorum absentia, in locum absentium potestatem substituendi haberes. Quam quidem declaratam Commissionem, dum hucusque ob incidentes interea causas neutiquam peragi potuisse intelligamus, hinc Nos, pro commoditate fidelium Regnicolarum Nostrorum, eam tanquam postliminio reassumendam et effectui mancipandam, bonoque modo finiendam decreuimus. Quocirca fidelitatem Tuam clementer hortamur, tibique harum serie firmiter committimus et mandamus, quatenus acceptis praesentibus, sepositis priuatis Tuis negotijs, mox et de facto de termino et loco peragendae Commissionis, Collegas Tuos in citato Articulo specificatos, fideles nempe nostros Magnificos Franciscum de Batthian, Comitem Comitatus Soproniensis, Agazonum nostrorum Regalium Magistrum, item Moysen Cziraky, nec non Egregium Benedictum Pakay, Personalis Nostrae praesentiae Regiae in Judicijs Locumtenentem, Consiliarios Nostros; qui si commode praescriptae Commissioni interesse non poterunt, extunc in locum eorundem fideles

Nostros Magnificos Christophorum Banffy, Praesidij nostri Nemptij Capitaneum ac Consiliarium nostrum Nicolaum Draskouich de Trakostyan, Cubicularium Nostrum, et Petrum Rattkay de Nagy Thabor, et Egregium Stephanum Pathatich, praefati Regni nostri Sclavoniae Prothonotarium et Tabulae nostrae Regiae Assessorem, adsciscere; sed et Antesignanos praefatorum Vallachorum certificare, teque in Sclauoniam conferre, ibidemque, si praefati Commissarij nostri comparuerint, cum eisdem, sin minus, uigore Articuli, loco absentium alios, nulla tamen prorsus ratione interessatos, substituere sicque rebus recte dispositis, ordinatisque et conclusis, praefatos universos Vallachos iurisdictioni dominorum terrestrium, quorum fundos incolunt, restituere, limitatisque Terragio, reditibus et censibus per eosdem Vallachos imposterum ratione fundi quem incolunt solvendis et praestandis, donec commodiora alluxerint tempora, quibus eisdem Regnicolis utilior dubio procul occurret occasio, tradere, assignare, perpetuo tenendos, possidendos pariter et habendos, sine ulla cuiuspiam difficultate, molestia, dilatione, subterfugio quovis, penes sancitum Articulum, totam rem componere, sicque demum pro futura cautella ambarum partium eiusmodi deliberatione, ordinationeque et determinatione, litteras Vestras sub sigillis Vestris, partibus ipsis, modis omnibus extradare debeatis et teneamini. Quibus peractis defectus etiam circa officium dignitatis Banalis hactenus quoquo modo introductos, realiter cognoscere, ut super eo etiam puncto Nos publicisConstitutionibus et Diplomatibus accomodare possimus, nobis fideliter rescribere debeatis. Praeterea certae quaedam terrae a Possessione Jellekoucz dicta et ad fidelem nostrum Spectabilem ac Magnificum Comitem Thomam Erdeödy de Moniorokerek, Montis Claudij et Comitatus Varasdiensis Comitem perpetuum etc. pertinentes, avulsae et ad Praesidium Caproncza occupatae esse dicuntur. Hanc quoque Controuersiam uno contextu per Vos reuideri, complanari, compertaque rei veritate, restitui uolumus et mandamus. Nec secus feceritis. Datum in Ciuitate Nostra Vienna, die duodecima Mensis Julij. Anno MDCXX.

Ferdinandus m. p.

Valentinus Leepes
Electus Archiepiscopus Colocensis.

Laurentius Ferenczffy m. p.

Ex Prothocollo Regni Congregationum 1601—1635 p. 272.

CC.

Anno 1622.

Diploma assecurationis a Ferdinando II. Rege SS. et OO. Regni Croatiae et Slavoniae ante coronationem datum.

Nos Ferdinandus, Archidux Austriae &c. Memoriae commendamus. Quod cum nos in generali Congregatione Inclytorum Statuum et Ordinum Regni Hungariae et partium ei adnexarum, ex Edicto Sacratissimae Caesareae Regietatis Domini et Progenitoris nostri charissimi in Civitate Soproniensi indicta et celebrata, ex singulari et paterna Suae Caesareae Maiestatis erga Nos annuentia per eosdem Status & Ordines in futurum ipsorum dominum et Regem unanimi consensu rite electi fuissemus. Extunc per eosdem Status et Ordines supplicatum nobis exstitit in eo, quod cum dictus dominus et genitor noster carissimus speciale Diploma suum regium Statibus ac Ordinibus Regnorum Croatiae et Sclavoniae super certis introscriptis grauaminibus ipsorum complanandis et effectuandis Posonij in Anno Domini 1618 clementer dedisset, ut si forte introscripta grauamina idem Dominus genitor noster carissimus tempore sui felicis Regiminis in aliqua sui Parte ad effectum deducere non posset, Nos statim tempore apprehensionis felicis Regiminis dicti Regni Hungariae omnes modos et rationes inituros, ut introscripta grauamina (in quantum non forent effectuata) conplanare et effectuare digaremur. Unde nos praemissae petitioni praedictorum Statuum et Ordinum benigne annuentes, eosque in verbo Nostro assecuramus, ea omnia Nos conplanaturos et effectuaturos, si quae sub felici Regimine Domini et progenitoris Nostri indulgentissimi complananda et effectuanda remanerent. Super quibus praemissis Eisdem Statibus et Ordinibus praesentes manu nostra subscriptas et sigilli nostri inpressione munitas elargiti sumus. Datum . . . 1622.

Orig. in c. r. secr. aul. Archivo Viennae.

CCI.

Anno 1622. — 1692. Viennae.

Privilegia Ogulinensium.

Nos Leopoldus, Dei Gratia Electus Imperator. Memoriae comendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis: quod Fideles Nostri Egregii Simon Puskarich, certae pedestris militiae Vaivoda, et Nicolaus Domitrovich, Incolae ac Inhabitatores praesidii Nostri Ogulinensis, alias in Episcopatu Modrusiensi, ac sub Jurisdictione antelatorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum Nostrorum existentis et habiti, nomine et in parte caeterorum pariter eiusdem praesidii Judicis, Vaivodarum Incolarumque, ac ipsius etiam communitatis Confiniorum Militum ibidem degentium, exhibuerint et praesentaverint Nobis certas et quidem in ordine ternas privilegiales litteras Germanico Idiomate confectas. Primas quippe Sacratissimi olim principis ac Domini Ferdinandi Secundi, Imperatoris et Regis Avique et praedecessoris Nostri Gloriosissimae Reminiscentiae desideratissimi, confirmationales in anno Domini 1623 die prima mensis Decembris in hac Civitate Nostra Vienensi, et super certa a solitis Datiis laboribusque et Robotis quibuscunque exemtione et imunitatione, sub sigillo eiusdem Imperatoris et Regis secreto patenter confectas. Alias demum binas Caesareo-Regioque Nostro Nomine per expeditionem Consilii Nostri Bellici Graecensis: priores equidem die tertia mensis Februarii 1668, in facto Metalium dicti praesidii Ogulinensis terminorum, Territoriorumque distinctionum ac definitionum prout et nonullarum eatenus antehac obortarum et emergentium, demum vero comissionaliter sopitarum decisarumque et determinatarum differentiarum; posteriores autem sive tertias die vigesima quarta mensis Septembris pariter in anno praescripto 1668 in forma patenti emanatas, certaque novem puncta, et primum quidem super eo, ut nobilitaris dictorum Ogulinensium praerogativae debitus haberi debeat respectus; secundum, ut iidem a decimis et quibuslibet laboribus ac servitutibus respectu propriorum dumtaxat fundorum exempti habeantur ac imunitati; tertium, ne superioribus sive officialibus eorundem in propria ac peculiaria inferiorum munia involare et quoquo pacto sese ingerere licitum sit et integrum; quartum, ut ipsi Incolae Ogulinenses super fundis propriis libere quidem inter ipsosmet disponere valeant, id tamen ad extraneos neutiquam extendi possit; quintum, ne officiales seu Capitanei loci ipsos in iam fatis eorundem fundis quoquo modo turbare aut impedire praesumant; sextum, quod si lites, seu differentias quapiam ratione modo dictorum fundorum praefati Ogulinenses inter se ipsos emergentes haberent, extunc earundem complanatio medio certorum quatuor virorum e gremio sui deputandorum instituatur et pro ratificatione ad Generalem seu Comendantem Loci diferatur atque deducatur; septimum, ne in limitibus sive territoriis ipsorum sese ad et trans flumen Vituina dictum extendentibus quopiam

turbentur aut impediantur; octavum, ut super electione Judicis et aliorum incidentium mulctarumque quovismodo emergendarum divisione ac distributione Jurisdictionem suam libere exercere eaque uti possint et valeant; nonum demum ac ultimum, ut ipsis loci Vajvodis victualia et res mercionales in praesidium introducendas oculare, perlustrare ac revidere, et consequenter moderatam quampiam taxam sive pensionem, absque gravamine nihilominus similia introducentium, abinde desumere et pro se aplicare liceat, — In se continentes tenoris infrascripti. Supplicatum itaque extitit Majestati Nostrae Nominibus et in personis suprafatorum Vajvodae, caeterorumque incolarum et inhabitatorum, ac ipsius etiam comunitatis praementionati praesidii Ogulinensis, debita cum instantia humillime, et devote quatenus Nos praeattactas ternas litteras privilegiales super praedictis ratis imunitatibus modo praevio confectas et emanatas, omniaque et singula in iisdem contenta, ratas, gratas et acceptas habentes, litterisque nostris de verbo ad verbum inseri et inscribi facientes approbare, roborare, ratificare et confirmare Nostrumque Regium Consensum benevolum pariter et assensum desuper praebere dignaremur. Quarum quidem litterarum tenor sequitur, modo et ordine insertis:

Wir Ferdinand der Ander von Gottes Gnaden ꝛc. bekhennen offentlich mit diesen Brieff vund thuen Khundt Iedermeniglich, daß für vunß khomb N. die ganze Gemain zu Ogulin, auf den Khönigl. Croath. gränizen, vund bei vunß vordtrath angebracht, vund gebothen, weillen sie der Wohlgeborne vunser Rath, Kämerer, Bestellter Oberister auch ober-Haubtman zu Zeng vund Lieber gethreiyer Wolf Christoph von Frangepan Graff zu Tersatt, alß Ihr Grundtherr des Bodtens zur Ergözligkheit Ihrer Erzaigten threyer Manheit vund Tapferigkheit wider des Christlichen Nambens Erbfeindt den Türkh von aller Ihrer ihme vor dissen schuldig geweſſ. Robath, auf Ewig frey vund ledig gesprochen, Lauth Ihres deßhalber angehendigten dariber Brieflichen Vrkhundt, so von Worth zu Worth also Lautet: Ich Wolf Christoph von Frangepan, Graff zu Tersatt, Röm. kais. May. Obrist-Leithenant, vund Haubtmann zu Ogulin, zu Zeng, vund der Wallachen. Bekhene hiemit vund thue khundt meniglich, nachdeme ich zu mehrmalig von meine vntergebene Soldath zu Ogulin grosse Mannheit vund Redlichkeit gegen den Erbfeindt Christlichen Nambens geffürth, soliches auch zum öffteren mahlen in meiner gegenwarth als Ehrliche vnd wakhere Soldaht praestiret. Dahero ich sie in Ansehung dessen, zu einer Genad vnd Ergözlichkeit, Ihrer bis auf dato schuldigen Robath frey vnd ledig gesprochen, vnd in krafft dits mit meiner handschrüft vund Petschaft verferttiget. Datiret Ogolin den dritten Marzi im Tauſſent Sechshundert zway vund zwänzigsten Jahr. Daß wüer solche Ihnen ertheilt frey von Oberigkheits wegen genedigst zu confirmiren vnd zu bestatten geruheten. Wann wür dann auf solchen genugsamb hüeriber eingenombenen Berücht sovill Befundt, daß durch gedachte Befreyung niemandt nichts praejudiciret, sondern allein denen Supplicanten alß Anderen zu gleichmessigen Redlichen Mänlichen verhalten, Bewögliche Vrsach vnd Anlaß gegeben wirdt, alß haben Wür in angedeyter gemain zu Ogulin gehorsambiste Bitte mit genaden Bewilliget, vnd Ihnen angedeyte erlangte Freyheit genediglich confirmiret vnd bestätiget; thuen daß auch hiemit wissentlich, vnd in kraft disses offenen Brieffes also vnd dergestalt, daß selbe gemain zu Ogulin disser erlangten, deren von Vnnß genediglich confirmireten freyheiten, noch hinfüro zu Ewigen Zeiten von Aller Robath, so sie ihme Graff Wolf von Frangepan vnd seine Erben vnd nach-Khomben zu thuen schuldig gewessen, allerdings frey vnd Ledig sein vnd verbleiben; doch soliches

allein auf offt gedachte Grafen Wolf Christoph von Frangepan grundt, so dem schloß Ogulin recht incorporiret, verstandt werden, vnd sie danebst derojenige Robath, So sie alß Soldathen vuns und vussern nachkhombendten als kriegsherrn von Altershero zu rüchten schuldig gewesst, auch noch hinfüro zu Laisten verbundten sein sollen. Gebietten darauf allen vnsseren nachgesezten Oberigkheiten, vnd Anderen Vnseren Vndterthanen vund Gethreyen, Waß würden Stammdt vund wessens die seint insonderheit aber vunseren Jezigen vnd khünftigen Oberisten auf der Chroath. Gränizen, vnd haubtleithen zu Ogulin hiemit genedigist gemessen vnd ernstlich: daß sie gemelte gemain zu Ogulin bei disser Ihnen von dem Grafen Wolfen von Frangepan ertheilten, vnd von vunß genedigst confirmireten Befreyung der Robath hinfüro zu Ewigen Zeiten in vnseren vund vnsserer nach-Khomben Nammben festiglich schützen vnd handthaben, darbei Ruehig Bleiben lassen, darwieder nichts thuen, noch daß Jemandts Andern zu thuen gestatten in Kheine weiß, als Lieb einen Jeden sey Vnser vund Vnsserer nachkhommben schwe- Vngenadt vnd Straff zu meiden. Geben in Vnsserer Statt Wien den ersten Monatstag Decembris im Sechzehnhundert drei vnd zwanzigsten, Vnserer Reiche des Röm. im Fünfften, des Hungarisch. im Sechsten, vnd des Böhaimbisch. im Siebendten Jahr. Ferdinandt. Secundarum item continentia talis est. Wür Leopoldt ꝛc. ꝛc. Bekhennen offentlich mit diessen Brif, vund thuen Khundt meniglich, welcher gestalten die Mannhafte vnsere gethreye Liebe Wolf vund Juan Puschgeritsch, gebrüeder, dan Nicola Turkhovikh, vnd Johann Mesnikh, vnsseres Granizhauses Voywodten zu Ogulin, Im Namben vnd von wegen der ganzen Gemain alda für vunß Khomben vnd vndterthänigst gebeten, Wüer geruheten, nicht allein derselben gemain Lehengütter, welche von Vnsseren in Gott nuhn mehr Ruehendten glorwürdigsten vor-Eltern Ihnen hierbeuor vmbewillen deren in vill weeg wider dem Erbfeindt Christlichen Nambens dem Türkhen erzaigten threyer Mannheit vund tapferigkeit, genedigst eingeraumbt vnd verliehen: sondern auch waß neulich ist von Vnssern Chroath. gränz Oberisten Hörbarthen Graffen von Auersperg, vermittels gewissen darzue verordneten Commissionen von Neuen außgezaigt worden, genedigst zu bestätigen vnd zu confirmiren. Wann Wüer dann aufgenuegsamb hieriber eingenombenen Berücht souill Befundten, daß durch gemelte Confirmation so wenig vnser Gräniz gerechtigkheit, alß auch Jemandts Andern etwann praeiudiciret, sondern allein denen Supplicanten zu Ihrer vnd dero posteritet mehreren Versicherung dienet, zu vorderist aber Andern zu gleichmässig Redlichen vund tapfern verhalten Bewegliche Vrsach gegeben wirdt, alß haben Wüer in angedeuth der gemain zu Ogulin gehorsambste Bitt gewilliget, vnd wollen krafft dieses offenen Patents ihnen Ihre nach specificirte Gründt vundt Bödten mit Rain vund stain Allerdings wie dieselbe ihnen von denen darzue verordnet gewesenen Comissarien außgezaigt worden, genedigst bestättiget vund confirmiret haben. Erstens von dem Pächel genandt Golyak von der seithen Goymersko auf daß thall Radichu anrainent, Biß zu der gränzstrassen, Bei einem Buchbaumb, so ein Weisse Buchem ist, vnd von denen Comissarien außgethailt, von danen über die Lumbarde, so an den Berg Klek anrainet, von Klek durch den Waldt Szopal von Sophia Kapella auf Zadimliaka biß zum Brunnquell so genandt würdt bresicha migan, von danen auf dem Berg Golchrib, auf welich khranoböthstauden waren, biß zu den weeg, welcher gehet von Maderusch auf die Zwerchstrassen so genandt würdt Galsenik, von aufgang der Sonnen herundterwerths durch das Pächel Muniaua, von Muniaua aber biß zu der strassen, so über gradina halten thuet, auf die Andere Muniaua, widerumb durch Muniaua auf daß Feldt graboruu biß zu dem weeg auf dem grabronoga ob der gemain Kleinak,

des gerathen Weegs auf Vernika biß zu der Überfuhr vnnd den Brunn, allwo die Rendolisische Behausung stehet, von danen auf daß Wasser Vernikkom biß auf die Überfuhr, hinaufwerts Auf Chertake, von Chertak auf die strasse des grossen Pachs Vrillo, vnnd von dorthen durch Ein Thall, darin drei kleine Pächelein stehen, von der Cotesiska gemain nach dem Weeg goymercza biß auf die panorcza, von panorcza sambt dem Thall auf dem Weeg zeleternis viomu, vnd von der strassen biß zu deß Berdary hauß, auf die alte Überfuhr zurückwerts muniaui, vnd wider durch die Munianum biß auf die Zilikische gemain in dem Berg Maya vnnd Veliuna durch ein Feldt bis auf einen Fichten-Baumb, bis auf die Furch von denen Comissarien außgezeichnet, vnd dorthen so dann mit der Furch an das Wasser genant meresnica, wo die Rayner vnnd Confinen sich berühren. Gebütten darauf allen vnnd Jeden Unsfern nachgesezten Obrigkheiten vnnd Andern Vnsseren Undterthanen vnd getreyen, waß standts würden oder wessens die sein, Insonderheit aber Vnsseren Jezigen vnnd khünftigen Oberisten auf der Chroat. Gränizen vnnd auch den Haubtleithen zu Ogulin, Bey solch Ihnen ertheilt vnnd von Vunß confirmiret gründt vnnd Bödten in vnnsser vnnd vnsserer Nachkhombenen Namben, veffgleich schützen, darbei handthaben, vnnd Ruehiglich Bleiben lassen, darwider nichts thuen noch nimandts Andern zu thuen gestatten in Kheine weiß, als Lieb einen ieden sey vnsser vnnd vnsserer nachkhombenen schwere Vngnad vnnd straff zu meiden. Geben in vnsserer Fürstl. Haubtstatt Gräz den dritten Febr Im Sechzehenhundert Acht vnnd Sechzigsten Jahr, Vnserer Reiche des Röm. Im Zehendten, des Hungär. im dreizähendt., vnd des Böhaimb. im zwölften Jahre. Ex Consillio Sacrae Caesareae Majestatis Bellico (L. S.) Johann Christian Gäller Freiherr, Johann Ferdinandt Nouakh. Tertiarum denique series sic sese habet. Wüer Leopoldt ꝛc. ꝛc. Endtbiethen allen vnnd iedem waß standts, ambts oder wessens die seint, zuvorderist aber allen hohen vnnd niederen officieren vnnd Bedienten auf vnsseren gränizen, vnnd sonsten Jedermeniglich, dem dieser Vnser offner Briff fürkhomben wierth, vnsser Kays. vnnd Khönigl. Genadt, vnnd alles guets, vnnd geben genedigst zu ernemmben welcher gestalten für vunß Supplicanten gehorsambst erschienen ist die ganze gemain zu Ogulin, Vndterthänigst Bittend, wür geruheten genedigst Ihro Ihrer von Alters hero possedirt, vnnd so wohlen von Vnsseren Jezigen Generall-Oberisten der Chroat. vnnd Mergränizen, dem hoch vnnd Wohlgebohrnen, Vnssern gehaimben Rath, General Veltwachtmeistern, auch Lieben gethreyen Hörbarth graffen von Auersperg vnnd Gottsche ꝛc. Alß auch Vnseren J. Ö. Hof Kriegs-Rath, über vorhero gethanene vnnd gegangene gethreyliche erkandtnuß zur geaignete Lehen, grunt vnnd Bodten, de nouo wiederumben zu confirmiren; vnnd so wüer nun hiebey genedigst angesehen die villfältige Threy vnnd ersprießliche Dienste, welche Vnß gemelte Oguliner Insgesambt vnd besonders vor vndenklichen Jahren hero mit Darsorgung Guett und Bluetts wider dem Erbfeindt Christlichen Namben dem Türkhen, Bei jeder sich erzaigten Gelegenheit geleistet haben, vnd noch leisten. Alß haben Wüer in dessen Ansehung, zumalen aber über in sachen eingenombenen umbständigen Berücht gemelter gründt vnd Bödten halber, vnd daß selbe vor alters hero naher Ogulin in mediate gehörig gewesen, ihnen in so thanes gehorsambtes petitum zu willigen Kheine Bedenkhen Zutragen, danenhero auch denselben nicht allein mehr gemelte gräniz, Lehen gründt, sondern auch alle Bißhero darüber erworben vnd erhaltenen Freiheit vnd Privilegien hirmit wissentlich genedigst bestätigen vnd confirmiren: vnd zwar erstens, daß man die vier Voywodten, alß Wolfen vnd Johann Puscherich gebrüeder, dan den Nicola Turkhouikh vnd Johann Mesiz, als alt herkhombene adeliche Leithe, Ehren dar-

für halten vnd respectiren solle. Andertens sei sambt der ganzen Ogulinischen Gemain mit Kheinem Zehent oder vngewöhnlicher Dienstbahrkheit ihre ihrer possedierenten grünt halber weliche vnd ihre vor Eltern aus Einer Wüssten gräniz ödten außgereutet vnd erbauet, Belegen oder beschwert. Drittens solle denen Haubtleithen allda zu Ogulin nicht zuegelassen Noch verstattet sein, daß sie sich in gemelter gemain gründt vund Bödten ein Mischen, angesehen selbe als haubtleith alda ohne dessen mit genuegsamben Gründt vnd Akhern, Wäldern auch Fischwassern zu Ihren gebührlichen Vndterhalt versehen seint. Viertens solle Ihnen hiermit zu gelassen vnd vorerwähnt sein, mit gemelten Ihren Gründten wie Eß Ihnen Belieben mechte vnb zu gehen solle, Jedoch vnter ihnen allein vnd Kheinen Frembden zu uerkauffen, zu uersein, zu uerschaffen, vnd daß es woll der Mann alß Weibsstamb imperturbierter zu geniessen haben möge. Fünftens sollen die Haubtleith nicht befuegt sein, der gründt vnd Boden halber einigen vnter Ihnen Bestraffen zu Khönen. Wann aber Sechstens, der gründt halber Streutigkheiten erzaigen möchten, sodann der ganzen gemain vier taugliche Männer erkhüßt werden sollen, welche über soliche Streitsachen Khönen mögen, gleich will die Ratifikation von gemelt vnsseren general-Oberisten Beschechen solle. Sübendten sollen obbedeute vier Voywodten Bei dem von Vnß neulich durch ein Sonders patent genedigst zuerkhent vnd verliehenes wasser Vituina, so weit soliches mit Ihren territorio erstrekht, gleich alß Ihr aigenthumb, von Jedermeniglich vnangefochten gelassen werden. Achtens verwilligen wüer hiemit genedigst, daß obbemelte vier Voywodten, nach Ihren absterben aber andern Vnd also forth an mit einem darzue gegebenen vnd von dem haubtmann vorgeschlagenen Rüchter, souill Obuerstandtener gründt halber sich Streitigkheiten Erheben, rechtmessig vrthl, wie sie soliche verandtworth werden khönen, spröchen mögen, vnd waß etwann straffen erkhent würdet, daß soll auf Fünfthail gethailet: der Erste auf die Vöstung Ogulin applicieret, der Andere dem haubt. alda, der dritte Jhro der Ogulin. Comunitet, welche Zuerlangung dieser privilegien die vncosten hergeb.; der vierte denen gemelten vier Voywodten, alß Richtern, oder auch Ihren Successorn, welche nach vuns sein werden, vnd dan der fünfte Thaill der Khürchen alda zuegetheilt vnd wirklichen uerfolgt werden. Wann aber mehr angedeute vier Rüchter oder Voywodten in einer oder andern sach in gewisse Entscheidung vorzukehren ihnen etwann nicht gethrauen mochten, so dann solle dieselbe sach oder Abhandlung in mediate vor daß Regiments gerücht zu Carlstadt gezogen, vnd daselbst nach Billich dingen entschaiden werden. Neuntens würdet Ihnen Voywodten zuegelassen, im Fahl Jemandt zu der Vöstung Ogulin von Wein, getraydt oder Anderen Victualien etwas Bringh vnd soliches alda verkhauffn wollen, sollen sie daßselbe ordentlich durchsehen, nach Billigkeit schäzen, vund die davon gebührliche Regalis für sich behalten mögen, aber dabey wider die Gebühr niemandten Beschweren oder Betrangen sollen. Woriber an obgemelt alle vnd iede waß standts ambts oder Wessens die seint auch sonst Jedermeniglich so Vnsserer Potmessigkeit vnterworfen, vunsser genedigsten vnd gemessener Befelich hiemit ist, daß sie mehr Angedeute Comunitet zu Ogulin Bei allen denen izt nach am ander berührten punctens vnd Ihnen erthailten Freiheit durchgehents nichts außgenomben, unperturbiret, vnangefochten, vnd allerdings ruhieg verbleiben lassen, darwider auch nichts handlen, weder vornemben sollen, Bei Vermeidung Vnsserer Kais. Vngenade. Geben in Vnsserer haubtstadt Gräz den Vier vnnd zwanzigsten Tag Sebtembris im Sechzehnhundert acht vnd Sechzigsten Jahr, Vnserer Reiche des Röm. im Aylsten, des hungarisch im Vierzehendt. vnd des Böhaimb. im dreizehendten Jahre. Ex Consilio Sacrae Caesareae Majestatis Bellico. (L. S.) Wolf Max von vnd

zu Eubeswald, Freyherr Johann Ferdtinandt von Rouakh. Nos itaque humillima huiusmodi supplicatione ac simul etiam demissa Fidelium nostrorum Reuerendi Sebastiani Glauinich, Segniensis et Modrusiensis Ecclesiarum canonice unitarum Episcopi, et Egregii Georgii Nagy, bonorum nostrorum Fiscalium administratoris, pro parte supra fatorum Incolarum et Inhabitatorum totiusque Comunitatis supradicti presidii Ogulinensis intercessione eatenus nostrae facta modoque quo supra porecta Maiestati Regiae benigniter exaudita clementer et admissa, praenuncupatas ternas privilegiales litteras non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio ac suspitione carentes, praesentibus litteris Nostris de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas et inscriptas, quoad omnes earundem continentias, puncta, clausulas et articulos, eatenus quatenus eaedem rite et legitime existunt emanata iuribusque eorundem veritas suffragatur, ratos gratos et accepta habentes, benigne approbavimus, roboravimus, ratificavimus et pro saepe fatis Incolis et praesidiariis Ogulinensibus, ipsorumque posteris et successoribus (quos omnino tam in praedicta nobilitari praerogativa, quam et aliis Juribus, prerogativis, exemptionibus et Immunitatibus in annotatis litteris privilegialibus uberius denotatis, expressis, saluos, indemnes, ac imperturbatos esse volumus ac decrevimus) perpetuo valituros, gratiose confirmavimus, omnibusque et singulis inibi contentis nostrum Regium Consensum praebuimus, Imo approbamns, roboramus, ratificamus, confirmamus, Consensumque Nostrum regium benevolum pariter praebemus et assensum — saluis iuribus alienis, praesertim vero fisci nostri Regii, harum nostrarum secreto sigillo nostro, quo ut Rex Hungariae utimur, impendenti comunitarum, vigore et testimonio litterarum mediante. Datum per manus fidelis nostri dilecti Reverendi Blasii Jaklin, Episcopi Nitriensis et Comitatus eiusdem Supremi ac perpetui Comitis, Consilarii et Hungarici Aulici Cancellarii nostri. In Civitate nostra Vienna Austriae die octava mensis Augusti 1692., regnorum nostrorum Romani trigesimo quinto, Hungariae et reliquorum trigessimo octavo, Bohemiae vero anno trigesimo sexto.

Leopoldus m. p.

Blasius Jaklin.
Episcopus Nitriensis.

Stephanus Tenturits.

Ex transsumpto meae Collectionis Diplomatum.

CCII.

1626. die 6. Aprilis Viennae.

Ferdinandus II. Rex aliquorum negotiorum Regni Slavoniae causa commissionem mittit, cui regnicolas parere jubet.

Ferdinandus Secundus, Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae &c. Rex.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles, Magnifici, Egregij et Nobiles, Fideles nobis dilecti. Quae Majestati Nostrae tam in literis ad nos datis demisse perscripsistis, quam etiam per Honorabilem Benedictum Vinkovich, Praepositum Majorem et Canonicum Ecclesiae Zagrabiensis nunciastis, in negotio Commissionis Sclavoniae suscipiendae et prosequendae, ex relatione ejusdem clementer intelleximus. Ad constituendum itaque pacatum statum in partibus istis, ac ut ordinationibus nostris, ea in parte iteratis vicibus factis et pro executione commissionibus datis votoque Regnicolarnm satisfieret, pro nunc quoque delegatis Commissarijs nostris prosecutionem Commissionis injunximus. Non dubitamus, quin superinde ab ipso Commissionis Praeside, fideli nostro nobis dilecto Reverendo Nicolao Dalos, Episcopo Jauriense locique ejusdem Comite perpetuo ac Consiliario nostro, de tempore nimirum et loco ac alijs requisitis, quatenus partes interessatae sese accomodare possint, Intimationem accepturi estis. Non dubitamus etiam fidelitates Vestras in hoc negocio Commissionis eo pacto exhibituras esse, ut de obsequiosa accommodatione Vestra, mandatis et ordinationibus nostris declarata, benigne contenti redamur et publico Regni bono et permansioni communi consultum esse queat. Quibus etiam in reliquo gratia et clementia nostra Caesarea et Regia benigne propensi manemus. Datum in Civitate nostra Vienna die sexta Mensis Aprilis. Anno M.DCXXVI.

Ferdinandus.

Stephan Sennyey,
Electus Episcopus Vacziensis.

Ex Protocollo Regni Congregationis A. 1626.

CCIII.

Anno 1626. die 24. Maji. Viennae.

Ferdinandus II. Rex SS. et OO. de commissione praesidii Petrinensis causa exmissa edocet unaque eosdem ad cooperandum provocat.

Ferdinandus Secundus, Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex.

Reverende, Honorabiles, Spectabiles, Magnifici, Egregij et Nobiles, fideles nobis dilecti. Inter reliqua adminicula et media, quibus Status publicus et Regnorum ac Provinciarum Jura ditionesque sarta ac tecta conservantur, et Tranquillitas securitasque paratur, non postremum locum habere de Confinijs peculiaris cura haud dubie reputari debet, potissimum vero ijs in locis, ubi et hostis circumiacet, isque eius sit naturae et instituti, quae experientia ipsa de ipsis condocet, ut merito de securitate exigua assecuratio promitti possit. Hinc est, quod in bonum Regni istius nostri Sclauoniae et ditionum adiacentium defensionem et conservationem nos quoque animum intendentes, in hac etiam parte quantum uspiam temporis moderni conditio ferret, operam et subsidium impendi faceremus. Ordinavimus proinde inter caeteras confiniorum necessitates, per certos Commissarios nostros perlustrandas, ut etiam de restauratione et fortificatione Praesidij Petriniensis singularem curam assumerent, et perlustratione indagationeque necessitatum habita absque dilationibus longioribus de applicatione manuum ad requisitas operas, quantocius debita media et ordinationes instituerentur. Id quod ad fidelitatum Vestrarum quoqne notitiam venire voluimus, ut et salutis permansionisque Regni istius nobis curam esse agnosceretis, et simul pro parte Vestra quoque in beneficium vestrum, si qua opus foret, et Regni quoque communis assistentia requireretur, id pro emolumento et bono proprio et publico prompte atque alacriter praestare haud quaquam gravamini. Quod quidem de fidelitatibus vestris, nobis benigne pollicemur. Quibus etiam in reliquo gratia nostra propensi manemus. Datum in Civitate nostra Vienna vigesima quarta Mensis Maji. Anno Domini M.D.C.XXVI.

Ferdinandus.

Laurentius Ferenczffy.

Ex Protocollo Regni Congregationis a. 1626.

CCIV.

Anno 1627. die 20. Maji. Viennae.

Ferdinandus II. Rex SS. et OO. notum reddit, se Banum nominasse et commissionem in negotio Valachorum constituisse.

Ferdinandus Secundus, Dei gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae &c. Rex.

Reverende, Honorabiles, Spectabiles, Magnifici, Egregij et Nobiles, Prudentes item et Circumspecti, fideles nobis dilecti. Ea quae penes Credentionales vestras literas ad Majestatem nostram datas, Nuntij fidelitatum Vestrarum, Reverendus Benedictns Vinkovich, Praepositus Maior Ecclesiae Zagrabiensis, ac Magnificus Casparus Konyszky de Konschina, Consiliarius noster, nomine vestro, tam constituendo Bano, sicut etiam Commissione illa de Valachorum negotio, ac alijs nonnullis publicis causis, nomine vestro repraesentaverunt, benigne intelleximus ac sufficienter. Ac quidem quoad officium Banatus benigne nos in personam fidelis nostri Spectabilis ac Magnifici Comitis Sigismundi Erdeödy de Moniorokerek, perpetui Montis Claudij et Commitatus Varasdinensis Supremi Comitis, Consiliarii nostri, benigne resolvimus, quem etiam fidelitatibus Vestris per praesentes literas nostras praesentamus, Banumque Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae nominamus et constituimus, volumusque, ut observato rite et more in similibus alias quoque observari consveto, ipsum suscipientes, ac pro vero, legitimo ac indubitato Bano agnoscatis, eidem in omnibus, quae ex requisito talis officii sibi incunbentis ordinaverit, commiseritue, morem gerere ac obtemperare debeatis. In negotio autem Commissionis prosequendae, ut eo quam primum oportuno et idoneo tempore instituatur, necessarias expeditiones fieri demandavimus, easque ad manus Praesidis eiusdem Commissionis, fidelis nostri Reverendi Pauli David, Episcopi Quinque-Ecclesiensis et Consiliarij nostri, medio praefatorum Nunciorum Vestrorum direximus. Habet is in mandatis ut fidelitates Vestras suo tempore de loco et Termino exequendae Commissionis certificet. Caetera quae ad hoc requisita fuerint, ab ipsomet intellecturi. Quibus nos in reliquo gratia et clementia nostra Caesarea et Regia benigne propensi manemus. Datum in Civitate nostra Vienna die vigesima Mensis Maji. Anno Domini M.D.CXXVII.

Ferdinandus.

Laurentius Ferenczffy.

Ex Protocollo Regni Congregationis 1627.

CCV.

Anno 1630 die 5. *Octobris. Ratisbonae.*

Jura et Privilegia Valachis, in Regno Slavoniae inter Savum et Dravum degentibus, a Rege Ferdinando II. concessa.

Nos Ferdinandus Secundus &c. Memoriae Commendamus Tenore praesentium significantes, quibus expedit universis. Postquam ineffabili Dei optimi Maximi munere ad Majestatis nostrae Culmen sublimati, Reipublicae gubernacula gerimus, nil unquam antiquius Chariusve habuimus, quam ut providentiae nostrae studia in ea praecipue conferamus, quae ad Christianitatis augmentum stabilimentumque cedere, ac cunctis Ditionibus et populis, qui Clementiae et sceptrorum nostrorum pariunt Imperio, quoquo modo utilia esse possunt. Unde cum Tota Valachorum Communitas, quae ex antecessorum nostrorum Divae memoriae, Rudolphi secundi et Mathiae, Romanorum Imperatorum et Ungariae Regum, Concessionibus et gratiis iam a Triginta abhinc Annis in Partibus Regni nostri Sclavoniae inter Savum et Dravum domicilium habuerunt, nuper a nobis etiam Singulari nostrae Successorumque nostrorum legitimorum Ungariae Regum protectionis et Directionis Diplomate donati fuissent, Nos iam ulteriori benignitatis nostrae cura, tum ipsorum Valachorum tum totius Christianitatis commodo et tranquillo ac securo statui et conservationi in aliis quoque, quae a benigna Directione nostra dependent, utiliter prospectum esse cupientes, eidem Valachorum communitati inter praedictos Savum et Dravum commoranti, sequentes Legum et statutorum Articulos, quorum norma in posterum vitam ducant et gubernantur, secundum praesentem rerum statum et conditionum clementer concedendos et sanciendos praescribendosque duximus; ut nimirum Regna Ditionesque Nostrae contra infensissimos Christiani nominis Turcos ac alios hostes non minus egregia et fideli huius populi militari opera ac fortitudine, quam Certarum etiam Tramite, atque in Legum, quorum observatione inter eosdem Valachos tam in Toga quam in Sago iuxta iustitiae et disciplinae incrementa vel maxime Omnipotentis gratia et benedictione fructifere conciliari, ac bene Christianoque more recte vivendi ratio Salutaliter conseruari possit, tanto magis ac firmius munirentur obvallenturque. Quorum quidem Articulorum tenor talis est.

De Magistratibus.

Articulus Primus.

Cuilibet Pago Valachorum, inter Dictos Fluvios Savum et Dravum habitantium, suus sit Judex sive Knesius, vir scilicet ad id proprius, Officii obeundi

sufficiens et Idoneus, qui statuto ad id tempore, mense nimirum Aprili ante festum Georgii, a sui pagi communitate pro uno Anno eligatur, et electus Generali ad ipsius notitiam significetur.

Articulus Secundus.

Quemadmodum Universa Valachorum Communitas in trium Capitaneorum Supremorum, nimirum Crisiensis, Caproncensis et Ivanicensis Districtibus commoratur, ita quoque in quolibet Capitaneatu separatim eligatur et constituatur Supremus Judex, Vir peritus Legumque patriarum gnarus, qui una cum Octo Assessoribus Judiciis in suo districtu praesideat, ac universas Causas et controversias secundum praesentia statuta cognoscat et decidat. Electio autem Judicis et Octo Assessorum in vel circa festum Sancti Georgii eo fiat modo; ut nimirum omnes Knesii sui districtus, una cum duobus vel tribus senioribus vel Juratis ex unoquoque pago, in certo eiusdem Capitaneatus loco conveniant, ibique Judicem et Octo Assessores per districtus sui Capitaneatus rite eligant. Qui Judices & Assessores ita in quolibet Capitaneatu electi, Generali proponantur, et ab eo nomine nostro, nullis legitimis obstantibus Causis, confirmantur, aut si quae legitimae Causae obstare viderentur, Illae statim nobis significabuntur. Singulis autem annis Iidem Supremi Judices, tempore et modo, quibus dictum est, per Knesios et Seniores pagorum in quolibet Capitaneatu liberi a officio removebuntur, vel si ita visum fuerit, idque Patriae commodum et utilitas suaderet, in eodem officio relinquantur, et a Generali memorata ratione denuo confirmabuntur.

Articulus Tertius

In delictis publicae tranquillitati et utilitati contrariis, atque aliis etiam Criminalibus, poenam Sangvinis inferentibus, Knesii Delinquentes absque mora comprehendere et Capitaneo Supremo sui Districtus ad manus Profosii tradere teneantur. Interim autem Supremus Judex, cum suis Assessoribus, statim Causas cognoscat, ut idem Delinquentes, cum talis delicti et Criminis Rei Judicati fuerint, ad Regimen bellicum transmittantur, Ibique, servato Juris ordine, non in peccunia vel bonis, sed solum in Corpore, vel opere publico, vel aliis Suppliciis puniantur.

Articulus Quartus

In lenioribus autem Knesii reos carceri includant, donec vel ab ipsis idonea caveatur, vel tempus Juris dicendi apropinquet, et tunc Judicio sistantur, ac contra eos servatis de Jure servandis procedatur.

Articulus Quintus.

Knesiorum muniis non solum illud incumbet, ut in suis districtibus cunctarum numerum Domorum, et familiarum, nec non omnium Capitum virilis sexus, decimum sextum aetatis Annum excedentium, exacte sciant, eumque utrumque nu-

merum in Cathallogo descriptum habeant, sed et ut unusquisque Patrem familias eosdem masculos, annum 17 excedentes, in suis domibus alant et solicitae curae habebunt.

Articulus Sextus.

Si quis ex Turcia vel aliunde transmigrans sub hoc vel illo Capitaneatu sedem figere voluerit, id cum praescitu Supremi Capitanei fieri necesse est. Sin autem Valachus, qui iam semel in aliquo loco sedem fecit, vel alias ibi legitime commoratus est, domicilium in eodem Capitaneatu mutare velet, id, ut cum solo Supremi Judicis, Assessorum et Knesii praescitu fiat, sufficit.

Articulus Septimus.

Knesii summa uigilantia et studio omnia delicta et maleficia praecavere conabuntur; quod si vero quispiam ex iis de praevaricatione et collusione cum reis in quocunque delicto iudicialiter convictus fuerit, et tunc Supremus Judex et Assessores talem Knesium tanquam infamem officio movebunt, juxta qu... ad ipsum factum eius qualitate mulcta merita afficient, vel si enormitas delicti poenam Sanguinis mereri Judicabitur, ad Regimen bellicum transmittent, alio interim id... Juri in locum legitime subordinato.

Articulus Octavus.

Tenebuntur insuper Knesii advigilare, ut fures quamprimum capiantur et Profosio suo assignentur. Res autem furto ablatae apud Judicem Supremum deponantur, et ibi, servatis de Jure servandis, suis dominis restituantur.

Articulus Nonus.

Omnia Conventicula et Congregationes, extra eas, quae pro eligendis Knesiis, Judicibus et Assessoribus, modo quo supradictum est, legitme celebrabuntur, in universum sub poena vitae interdictae sunt. Si quas autem necessitas aegerit, ex permissu Generalis instituantur.

Articulus Decimus.

Juramentum autem Judicum, Assessorum et Knesiorum, per Deum vivum et per gloriosam Dei Genitricem Virginem Mariam, et per omnes Sanctos et electos Dei, in Articulos praemissos concipiatur. Addito insuper, ut promittant se Deo, Christianae Reipublicae, Nobis et Successoribus nostris legitimis Ungariae Regibus, Generali et Supremis Capitaneis, fidem et obedientiam exhibituros, omnia Reipublicae perniliosa et bonis moribus contraria revelaturos, et quoad omnibus et singulis coram se causantibus absque cuiusuis personae, divitis scilicet et pauperis, acceptione, omnibusque prece, praemio, favore, amore et odio postpositis

et remotis, prout scilicet secundum Deum et eius Justitiam cognoverunt, justum et verum Judicium, justitiam atque executionem in omnibus rebus facient, pro suo posse, sic ipsos Deus adiuvet et omnes Sancti.

De Judiciis.

Articulus Primus.

Omne Judicium, una cum Supremo Judice et Octo Assessoribus Valachis, ut supra nominatum est, iuratis, consistere debet; quibus insuper Notarius, et ipse Juratus, adjungatur. Unius autem vel duorum Assessorum absentia Judicium non impediat; et si Judex Supremus ipse Judiciis interesse nequeat, ipsius loco proximus in ordine assessor praesideat.

Articulus Secundus.

Judicis officium sit, una cum assessoribus Dies iudiciales praefigere, ita tamen, ut Termini Citationum et evocationum ultra quindecim dies non excedant, semper autem tertia citatio peremptoria sit.

Articulus Tertius

Reus in Causam attractus ad actoris Instantiam in Jus vocetur, tuncque respondere non teneatur, nisi rite et legitime citetur.

Articulus Quartus.

Reus, si tribus vicibus per litteras Judiciales sive birschagialies citatus non comparuerit, contra eum in contumatiam procedatur, et Actori finale Judicium et Justitia administretur, ipseque Contumax in Expensas condemnetur.

Articulus Quiutus.

In citationibus pro primo sigillo quinquaginta denarii Ungaricales, pro secundo dupplum et pro tertio triplum solvatur, ita ut Causa finita et decisa haec birshagia in duabus partibus pro Judice et Assessoribus, in tertia pro parte Victrici exigantur.

Articulus Sextus.

Nullae exceptiones dilatoriae praeter impedimenta legitima admittantur, ac de caetero etiam processus in omnibus summarius sit, et sine strepitu et figura Judicii Ordinarii observetur, adeoque factum et merita Rei duntaxat simpliciter

et de plano considerentur, et secundum allegata et probata Judicentur. Finaliter autem decisiones et sententiae in casibus, qui in istis statutis specificati non sunt, secundum Regni Jura finiantur.

Articulus Septimus.

In testimoniis deponendis, non more Sclavonico in alterius animam Jurabitur, sed quilibet seorsim de visu et scitu examinatus Juramento testabitur; quis autem melius probavit, Judicis et Assessorum erit determinare.

Articulus Octavus.

Nullus ad Juramentum praestandum nisi Jejunus admittatur.

Articulus Nonus.

A sententia Judicis intra decendium sic ad generalem Appellare fas esto, quod si non fiat, elapsis fatalibus sententia transeat in rem Judicatam, appellans autem appellationem suam intra unum introducere, ac intra duos alios menses prosequi obligatus sit, alterutro enim non ita observato, Appellatio pro deserto habeatur, et Sententia Executionem sorciatur, et qui male appellaverit in Expensis damnabitur.

Articulus Decimus.

Sententiae, ubi nullae Appellationes interpositae fuerint, ellapso decimo die per Knesios vel unum ex Assessoribus Executioni demandentur. Qui autem parere recusaverint, secundum qualitatem delicti puniantur, vel etiam si enormitas resistentiae id ita meruerit, ad Regimen bellicum remittantur, procedente nihilominus executione.

De Rerum Dominio.

Articulus Primus.

Cuilibet Pago vel oppido sui certi limites determinentur.

Articulus Secundus.

Si qui de frumento adhuc in Agris existente, vel de aliis rebus mobilibus cum aliis conveniret, Emptorque hoc duobus vel tribus Testibus probare poterit, contractus validus esto.

Articulus Tertius.

Qui autem domos ut etiam Agros et alios fundos vendere vel opignorare, aut quocunque alio titulo et quacunque de causa alio dare voluerit, id ut coram Knesio et duobus vel tribus Testibus faciat necesse est, alias contractus nullam vim habeto.

Articulus Quartus.

Cuilibet, si fundum suum aliter adire non potest, per agrum vicini sui consveto tempore eundi vehendique Jus esto, sed quantum fieri poterit vicini agro ab ipso parcatur.

Articulus Quintus.

Si quis rem suam alteri ad certum tempus oppignoraverit, illoque tempore ellapso debitum non solverit, tunc ad instantiam Creditoris de redimendo pignore per Knesium admoneatur, et nisi id intra tres menses fecerit, pignus per Eundem Knesium et duos vel tres seniores Pagi estimetur, et de eo Creditoribus debitum, cum eo, quod interest exolvatur, Residuum vero Domino pignoris restituatur.

Articulus Sextus.

Rebus alienis contra pactum vel voluntatem sui proprietarii cum damno eiusdem utens, eidem proprietario pro Arbitrio Judicis secundum iustam damni aestimationem satisfacere teneatur.

Articulus Septimus.

Testamentareae dispositiones coram Knesio et quatvor vel quinque Testibus fidedignis, aut coram Sacerdote et duobus vel tribus itidem fidedignis testibus celebrentur, adhibito tamen semper Notario vel loco ipsius duobus aliis Testibus legitimis.

Articulus Octavus.

Paterfamilias atque liberis defunctis major natu frater vel proximus agnatus, una cum vidua relicta, Familiam gubernet. Quod si vero defunctus iuxta Viduam Liberos quoque reliquerit, ipsa Vidua una cum Tutoribus vel Curatoribus familiae praesit, et iunior Liberorum cum reliquis nullo sexus discrimine habito ex aequo ad haereditatem admittatur.

Articulus Nonus.

Boves, equos, vaccas, sues, capros, porcos, vinum ac frumentum omnis generis cuilibet Valachorum sicut aliis regnicolis, intra et extra Capitaneatos sui

districtus secundum legitimam Regni consvetudinem ac Regia Decreta, observatis observandis, praestitisque praestandis, pro libitu vendere et emere, inducere et educere liberum et permissum sit.

De Delictis Privatis et Publicis.

Articulus Primus.

Omne furtum, cuius pretium triginta vel effractione simul commissa viginti florenos hungaricales non excedit, a Judicibus Supremis vinculis vel opere publico puniatur. Majora autem furta si commitentur, ad Regimen bellicum mittantur, ibi non pecuniariis poenis, sed Suppliciis Corpori inflligendis coercendi.

Articulus Secundus.

Ita etiam si quis secunda vel tertia vice in furto deprehensus sit, atque eiusmodi furta duabus vel tribus vicibus commissa quadraginta florenos excedant, et ipse ad Regimen bellicum in Corpore poenas soluturus transmittatur.

Articulus Tertius.

Si quis violenta manu alteri quippiam surripuerit vel abstulerit, ille raptim cum damno illato restituat, nec non quatuor vel pro arbitrio Judicis plurium, sed ad summum decem florenorum Ungaricalium poenam luat; si vero insuper aliquem etiam absque lethali laesione percusserit vel vulneraverit, ei pecuniaria mulcta maior sed ad plurimum 16 floreni solvendi sint; attamen si reus utroque casu pauperioris sit conditionis, vel ob enormitatem delicti alias id ita videatur, is carcere aut opere pubblico, aut alia eiusmodi animadversione castigetur.

Articulus Quartus.

Si cuiuspiam Jumenta vel Animalia alteri damnum fecerint, illud damnum per vicinos aestimetur, et ab animalis Domino sarciatur. Ac interim damnum passo liberum sit ipsum animal, quod damnum fecit, donec sibi satisfiat, retinere.

Articulus Quintus.

Si quis vero alterius animalia post aestimationem et damni compensationem adhuc detinuerit, ad id quod interest tenebitur.

Articulus Sextus.

Si quis alterius Jumenta noxam commitentia ex malitia verberaverit vel occiderit, is animalium Domino, compensato prius quantum ipse noxae passus sit, damnum refundat, et nihilominus ob malitiam pro qualitate facti puniatur.

Articulus Septimus.

In rixis et tumultibus, qui cum sangvinis profusione fient, reus quinque, vel etiam pro arbitrio Judicii plures, sed ad summum octo florenos Ungaricales ac laeso expensas et damna, nec non Chyrurgo debitam mercedem solvat. In aliis vero, quae absque sanguinis effusione, vibratis gladiis, sola percussione, ad ..i cum signa vel alio insolentiori modo committentur, florenos Ungaricales medium aut integrum florenum, aut ad summum etiam quatuor; Ansam quoque talium rixarum et tumultuum praebentes, singuli medium vel ad summum tres florenos Ungaricales solvant, ita tamen, ut in arbitrio sit Judicii reos jam dictarum mulctarum vices, sicut in tertio articulo pro qualitate personae vel facti, aliis in Corpore suppliciis afficere.

Articulus Octavus.

Post tales autem rixas et tumultus, et si laesa pars ob suam offensionem nullam ad Judicem conferret quaerelam, nihilominus tamen contra Reos, si Judicio ob enormitatem facti ita videbitur, ex officio erit inquirendum, ac pro qualitate facti erit procedendum.

Articulus Nonus.

Fornicarii manifesti, uti et ipsae Fornicariae, uinculis in pane et aqua per aliquot dies vel opere publico puniantur. Adulteri vero et raptores Regimini bellico iudicandi ac etiam in corpore castigandi subiiciantur.

Articulus Decimus.

Inobedientes filii, vel etiam gravius in parentes peccantes, a Judicibus pro gravitate facti carcere vel similibus suppliciis coerceantur, vel etiam si delictum Judicibus ita enorme videatur, ad regimen bellicum transmittantur; si autem levior sit filiorum culpa, contra illos absque Parentum accusatione Judicialiter non procedatur.

Articulus Undecimus.

Peccuniariae mulctae pro Judicum et ceterorum Officialium Salariis aliisque Judicii expensis applicentur.

Articulus Duodecimus.

Profozio ab incarceratis et arestatis personis inposterum non ultra viginti quinque denarios exigere permissum sit.

De re Militari.

Articulus Primus.

Qui ex Valachis stipendia merent, Juri militari, ut reliqui nostri stipendiarii in omnibus subsint, et sua munia fideliter obeant, quod et de reliquis intelligendum, qui licet stipendia non habeant, nihilominus militaria munia obeunt et eorum respectu immunitate donati sunt.

Articulus Secundus.

Vayvodae sint militares viri illibatorum morum et vitae integritate praediti, ac quovis suspitionis vitio carentes; si tamen casu quocunque in alicujus criminis genere suspecti haberentur, vel etiam de malefactis accusati forent, causae tales coram Capitaneo vel vice Capitaneo ac suis Officialibus militaribus, inter quos semper aliquot et adminimum tres vel quatuor Vayvodae sint, examinentur, et prout visum fuerit, rei vel poena merita per eosdem afficiantur, vel ulterius ad Regimen bellicum dirigantur.

Articulus Tertius.

Eadem ratione si Vayvodae quempiam ex suis Haramiis alicuius delicti reum vel accusatum habuerint, id ipsum etiam Capitaneus vel Vice-Capitaneus cum Officialibus militaribus et Vayvodis Judicialiter examinent, et si delictum levius fuerit, in reos pro qualitate animadvertant, in gravioribus autem eosdem ad Regimen transmittant.

Articulus Quartus.

Ita etiam caeterae eiusmodi lites omnes et Controversiae fundos ac alia bona immobilia non concernentes, quae inter vel contra Vayvodas et Haramiales aliosque omnes salarisatos milites motae fuerint, praescripta ratione cognoscantur et dirimantur. Quae autem circa fundos aliasque res immobiles orientur, eae solis Judicibus et Assessoribus subsint decidendae.

Articulus Quintus.

In vayvodarum uti etiam Vexiliferorum aliorumque Officialium demortuorum, vel etiam Judicialiter ab officiis depositorum, loca, alii benemeriti per Communitatem generali commendabuntur.

Articulus Sextus.

Salaria et stipendia a Vayvodis Haramialibus militibus solventur et distribeuentur, iuxta modum et consvetudinem antiquam.

Articulus Septimus.

Cum vero tota Valachorum Communitas rebus potissimum bellicis ac militaribus vacet, ob idque singularibus Privilegiis gaudeat, ideo omnes et singuli ipsorum, sive stipendiarii sint, sive non, ad secandum desertum et sylvas inter Savum et Dravum, singulis annis, relictis tantum in munitionibus vigilibus sufficientibus, sint obligati, ut nimirum eo labore Turcis et inimicis omnis ad illa loca aditus et in Christianos impetus intercludatur.

Articulus Octavus.

Similiter Castella in suam defensionem extructa, aut adhuc extruenda, suis laboribus coadiuvabunt.

Articulus Nonus.

Insidias et Machinationes suspectos fideliter ad nos vel Generalem Nostrum deferent.

Articulus Decimus.

Fines Patriae in omnibus tribus Capitaneatibus, ne ullus Christiani nominis hosti pateat additus, praeter salarisatos milites, etiam caeteri cuncti Valachy Stipendio carentes, suis sufficientibus semper excubiis et vigiliis tueri ac custodire obligati sint.

Articulus Undecimus.

Quocumque autem tempore, quod Deus clementer avertat, quidam impetus aut suspicio maioris momenti oriretur, ex omnibus omnino Capitaneatibus, quotquot inveniuntur, Valachy, imo ipsa Juventus, decimum Octavum Annum excedens, ad Turcos et hostes coniunctis viribus erunt parati, adeoque militaribus signis ad hoc per Generalem deputatis excitati, inter duas vel ad summum tres horas, cum omni bellico apparatu, semper adminimum sex vel septem millia militum Valachorum in unum locum Congregabuntur, donec et qui longius distant precepto Signo accurrere, seque cum illis coniungere vel alio ubi necessitas id requisiverit secundum Generalis dispositionem convolare possint.

Articulus Duodecimus.

Si contra hostem extra Provinciam ducentur, absque stipendio, in partibus Turcae subjectis per quatvordecim dies, in aliis vero Provinciis per Octo dies Castra Generalis sequentur, quibus elapsis, ut reliqui stipendia accipient.

Articulus Tredecimus.

Et quia pauci stipendiarii inveniuntur, plurimaque pars salario caret, Generalis Noster illis omnibus utriusque conditionis prout hactenus moris fuit plumbum pro conficiendis globis et pulverem tormentarium ad sufficientiam suppeditabit.

Quapropter omnibus et Singulis Nostris Ministris et Officialibus aliisque subditis et fidelibus cuiuscunque status, gradus, conditionis, vel praeeminentiae existant, praesertim vero Regimini Nostro bellico, nec non praesentibus et futuris .... Regni Nostri Sclavoniae ... necnon supremis Capitaneis, caeterisque omnibus militaribus Officialibus nostris, hisce benigne ac serio committimus atque mandamus, ut praefatam Valachorum Communitatem, inter Savum et Dravum Commorantem, Secundum Clementem Nostram et Successorum Nostrorum, legitimorum Ungariae Regum, voluntatem, praescriptis legum et statutorum Articulis quiete et absque omni motestia, impedimento et perturbatione, uti, frui et gaudere sinant, illosque in eisdem manuteneant atque defendant, et nil contra eorum tenorem et continentiam attentent, aut faciant, aut ab aliis quovis modo attentari et fieri permittant. Quatenus nostram successorumque nostrorum indignationem ac poenam gravissimam evitare voluerint. Harum Testimonio Litterarum, Manu Nostra propria subscriptarum et Sigilli Nostri Appensione munitarum. Datum in Nostra et Sacri Imperii Civitate Rabisbonae die 5. Octobris 1630.

Ex antiquo transsumpto in Archivo Regni Croatiae, inter Acta Collegii Societatis Jesu Zagrab. asservato. Fasc. VI. Nr. 81.

CCVI.

Anno 1646. Posonii.

Privilegia Nobilium arcis Kalnik

Nos Ferdinandus Tertius, DEI Gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae, Ramae, Serviae, Gallitiae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Morauiae, Dux Lucemburgae ac superioris et inferioris Silesiae, Wierthembergae & Thecae, Princeps Sveviae, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferreti, Cyburgi, Goritiae, Landgravius Alsatiae, Marchio Sacri Romani Imperii supra Anasum, Burgoviae ac superioris et inferioris Lusatiae, Dominus Marchiae Sclavonicae, Portus Naonis et Salinarum &c. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit vniuersis. Quod pro parte et in personis

fidelium nostrorum Nobilium Joannis Pomper de Fölse Radessich, Martini Vissak, Mathiae Hadrovich aliter Sipraak, Nicolai Kamenian de Fölse et Also-Visvoka. Georgii Kerch aliter Chochak de Vrechakovcz, Martini Vahiak aliter Turkovich de Jakussovcz, Petri Zidarich et Antonii Somogy de Zudovcz, Nicolai Koosz, Joannis Jellussich et alterius Joannis Berlich de Kolarcz, Georgii Franetich de Dughi Verh, Petri Mervchich, Nicolai Golobich et Georgii Dienes aliter Gyuresich de Vojnovcz, Andreae Wissak, Stephani Lissichak aliter Magdich et alterius Stephani Benchak de Hissanovcz, Martini Golobich, Joannis Kostich et alterius Martini Osegh, Georgii item Berlekovich, Martini Striga, et Mathiae Kralevechky de Drobkovcz, Mathiae Striga de Czunovcz, Marci Kontercz de Capella sive Capolna et Rakovcz, Joannis et Stanislai Babok aliter Chochek de Voksincz, Lucae Kesser, Nicolai Verchak, et Petri Bagyun de Zaiztovcz, Francisci Furmegh et Petri Dragecz de Lukachovcz, Petri Prussak, Stephani Sattvar aliter Sipkovich de Gostovincz aliter Berlobassevcz, Michaelis Chernchich de Rovcz, Mathiae Horvath aliter Ferlinchich et alterius Mathiae et Georgii Svagell de Fölse Bogacso, Nicolai Kralevechky de Also Bogacsevo aliter Sipkovcz et Blasii Trubecz de Finchevcz aliter Brestovicza, in posessionibus sic dictis omnino in Comitatu Crisiensi existentibus commorantium, aliorumque ibidem Condivisionalium ac legitime Comportionatorum exhibitae sunt Nobis et presentatae certae quaedam quaternae Litterae; Et primae quidem Serenissimi quondam Principis et Domini Mathiae Primi Regis Hungariae in Pargameno patenter confectae, sigilloque eiusdem minori propter vetustatem disrupto impendenti communitae, super imunitate et exemptione taxarum seu Contributionum Regiarum medii Aurei Universis unius sessionis Nobilibus intra Ambitum Regni nostri Sclavoniae ubivis commorantibus concessae et in publica eiusdem Regni nostri Sclavoniae Congregatione in Anno Domini Millesimo sexcentesimo duodecimo, per Status et Ordines denuo acceptatae, prout id ex tenore et superinscriptione ipsarum apparet. Alterae vero speciales Litterae Serenissimi quondam Principis Domini Ludovici itidem Regis Hungariae, praedecessorum Nostrorum felicis memoriae, privilegiales in pargameno in forma libelli confectae, sigilloque eiusdem maiori, quo ut Rex Hungariae utebatur, impendenti communitae, Antecessoribusque eorundem Nobilium et consequenter ipsis quoque, utpote suis successoribus, ex Consilio Dominorum Praelatorum, Baronum et Judicum Regni Ordinariorum judicialiter et gratiose elargitae. Tertiae Spectabilis et Magnifici condam Comitis Georgii Thurzo de Betthlenfalva, alias Regni Hungariae Palatini, similiter in pargameno patenter confectae, sigilloque eiusdem impendenti roboratae, Donationales, novam Donationem una cum jure Regio in se continentes, Nobilibus unius sessionis dicti Commitatus Crisiensis ibidem uberius denominatis, fratribusque ipsorum Congenerationalibus et Condivisionalibus, cum iisdem ibidem legitime comportionatis, haeredibusque et posteritatibus ipsorumque utriusque sexus Universis collatae. Quartae Litterae Honorabilium Capituli Ecclesiae Chasmensis in simplici papyro ex tribus ternionibus sive Arcubus conglutinatis constantes, in longum patenter confectae, sigilloque eiusdem Capituli Autentico superius a tergo impressive communitae, super dicti quondam Palatini Novae Donationis et Juris Regii Collatione, statutoriae et super statutione Relatoriae, in Octaualibus praefati Regni Sclavoniae Judiciis per Cessionem Contradictionis roboratae, tenorum infrascriptorum. Supplicatum itaque nominibus et in personis praefatorum Nobilium unius Sessio-

nis dicti Commitatus Crisiensis Maiestati nostrae extitit humilime, quatenus praenotatas quaternas Litteras omniaque et singula in eisdem contenta, ratas, gratas et accepta habentes Litterisque nostris inseri et inscribi facientes, approbare, roborare, ratificareque ac pro praefatis Nobilibus in Possessionibus praedictis ac in Commitatu antelato Crisiensi existentibus et commorantibus, aliisque ibidem condivisionalibus et legitime comportionatis, iuxta ramum Genealogiae et comportionalitatis eorundem, successoribusque et posteritatibus ipsorum utriusque sexus Universis innovantes, perpetuo valituras gratiose confirmare dignaremur. Quarum quidem Litterarum primarum tenor talis est. Nos Mathias Dei gratia Rex Hungariae, Bohemiae &c. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit Universis, quod cum attentis et consideratis fidelitate et fidelibus servitiis fidelium nostrorum Universorum unius sessionis Nobilium intra Ambitum Regni nostri Sclauoniae ubivis commorantium, per eos Maiestati nostrae exhibitis et impensis, tum vero consideratis illis incommoditatibus, ruinisque et desolationibus, in quas ipsi per frequentes Turcarum incursiones et spolia, desolationesque et combustiones a certis jam retroactis temporibus devenisse dicuntur, volentes igitur ipsos unius sessionis Nobiles de huiusmodi ipsorum Calamitatibus et desolationibus relevare et nostram erga eos aliquantisper ostendere liberalitatem, eosdem a solutione taxarum seu Contributionum nostrarum medii Aurei, quae ab ipsis Maiestati nostrae provenire deberent, in perpetuum gratiose duximus eximendos et supportandos, Imo eximimus et supportamus praesentium per vigorem. Quocirca Vobis fidelibus Nostris Universis et singulis Dicatoribus et exactoribus quarumcunque taxarum seu Contributionum nostrarum medii Aurei in dicto Regno nostro Sclavoniae constitutis et in futurum constituendis harum serie firmissime praecipientes committimus et mandamus, quatenus amodo nullus omnino Vestrum a praefatis Nobilibus unius sessionis aliquam taxam seu Contributionem nostram ullo unquam tempore petere seu exigere, petique seu exigi facere, aut eosdem ratione non solutionis eorundem in Personis rebusque et bonis ipsorum quibusvis contra formam praemisse nostrae gratiosae exemptionis turbare, inquietare, seu quovis modo damnificare praesumat, neque sit ausus quoquo modo, gratiae nostrae sub obtentu. Praesentes autem, quas secreti et Annullaris sigilli nostri appensione comuniri fecimus, post earum lecturam ubique reddi iubemus praesentanti. Datum Sopronii, feria quinta proxima ante Dominicam invocavit. Anno Domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio. Regnorum nostrorum Hungariae &c. Anno vigesimo sexto, Bohemiae vero quarto decimo. Superinscriptionis vero et acceptationis per praefatos Status et Ordines praenotatis Litteris annexae continentia talis est: Anno Domini Millesimo sexcentesimo duodecimo feria secunda post festum Inventionis sanctae Crucis, in generali Congregatione Dominorum Statuum ac Ordininum Regnorum Sclavonie, Dalmatiae et Croatiae, ex edicto Illustrisimi Domini Comitis Thomae Erdödy etc. praedictorum Regnorum Bani in Ciuitate Regia libera montis Graecensis Zagrabiensi celebrata, Praesentes Litterae Privilegiales, exemptionales, publice praesentatae et per DD. SS. et OO. Regni denuo acceptatae ac confirmatae sunt. Stephanus Patachich Magister Vice Protonotarius Regni. Secundarum vero continentia Verbalis sequitur in hunc modum: Nos Ludouicus DEI gracia Rex Hungariae et Bohemiae &c. Memoriae comendamus tenore praesentium significantes quibus expedit Universis: Quod nominibus et in personis fidelium Nostrorum Nobilium Petri de Bogachovcz, Joannis Othav-

lich de Finchewcz, Nicolai de Patthak, Petri literati de Vynarcz, Lucae Otthavlich de Dropkovcz, Andreae Osegh de Barlobasovcz, Georgii de Brezthoicza, Lucae de Dragunovcz, Thomae Savloycz de Savlovcz, Mathiae Nemchich de Gostowincz, Michaelis Werchak de Zayzthowcz, Blasii Drincsich de Rowcz, Georgii de Globothecz, Thomae Thurkovich de Vizoka, Joannis Ferencsich de Radessych, Mathiae Prelosky de Wzdovcz, Balthasaris de Isanovcz, Blasii litterati de Kapolna, Gregorii de Szlavcsina, Clementis Chochek de Chunovcz, Petri Paulekovich de Rakochevcz, Nicolai Ugrinovics de Trokovcz, Gregorii Jakosith de Pisthchianovcz, Stephani Panthich de Zela, Georgii de Kapolna, cunctorumque aliorum Nobilium in et sub districtu Castri maioris Kemlek vocati in Regno nostro Sclavoniae adiacentis comorantium, exhibitae sunt Nobis et praesentatae quaedam Litterae Spectabilis et Magnifici quondam Comitis Stephani de Bathor, alias Judicis Curiae Genitoris Nostri felicis recordacionis ac Vayvodae Transylvaniensis et Siculorum Comitis, adjudicatoriae et Sententionales, in pargameno privilegialiter pro parte ipsorum Nobiliuum ex Causis et rationibus Litteris in eisdem specifice declaratis confectae et emanatae, habentes in se certarum Litterarum per partes collitigantes in eisdem Litteris expressas in robur et levamen jurium suorum ultro vel citro productas. Supplicatum itaque extitit Maiestati Nostrae in personis praedictorum universorum Nobilium eiusdem Distritus Castri maioris Kemlek, ut huiusmodi Litteras praefati quondam Comitis Stephani de Bathor et omnia ac quaevis in illis contenta, ratas, gratas ac accepta habere Litterisque nostris privilegialibus verbotenus inseri et inscribi facere ac pro ipsis Nobilibus eorumque haeredibus et posteritatibus Universis perpetuo valituras ratificare et confirmare dignaremur. Quarum quidem Litterarum tenor talis est: Nos Comes Stephanus de Bathor, Judex Curiae Serenissimi Principis Domini Wladislai Dei gratia Regis Hungariae, Bohemiae ac Dalmatiae, Croatiae &c., Marchionis Moraviae, nec non Vayvoda Transylvanus et Comes Siculorum. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit Universis: Quod Nobiles Valentinus Pallfy de Szenth-Mihaly ac Georgius de Bogathovcz, nec non Joannes Kernyak de Polyana, pro Universis et singulis Nobilibus in et sub districtu Castri Maioris Kemlek commorantibus, cum Regni Sclavoniae Bani Litteris procuratoriis, in praesentibus Octavis festi Beati Michaelis Archangeli, tum de speciali Commissione et mandato praefati Domini nostri Regis nobis superinde iniuncto, tum vero de partium subscriptarum Annuentia et Voluntate, in figura nostri Judicii comparentes, contra Egregium Andream Both de Bayna, Comitem et Castellanum Castri maioris Kemlek, et fratres eiusdem proposuerunt eo modo: Quod licet ipsi antiqua et specialis gratiae prerogativa requirente, a Divis scilicet Regibus Hungariae eisdem Nobilibus gratiose concessa, ea semper libertate usi fuerint et gavisi, ut ab omnibus Censibus, taxis, dicis, muneribusque et servitiis, omnique conditionario nexu et jugo servitutis tanquam veri et indubitati Nobiles Coronae et Regnorum Hungariae et Sclavoniae exempti fuerint et suportati haberentur; Nescitur tamen quali adinventa occasione praefatus Andreas Both de Bayna Nobiles ipsos et eorum quemlibet contra Deum et justiciam eius ac Jurium libertatumque eorum Praerogativam, Censibus inordinatis servitiisque inconsvetis oneraret, et impositis adinventisque super ipsos variis servilibus gravaminibus ab omni prorsus Conditione et statu Liberorum ipsos ad Castrum Kemlek praescriptum ad labores exercendos et munera danda aliaque servitia facienda com-

pelleret et adstringeret, recusantes autem etiam per onera et gravamina, aliaque remedia etiam indebita et saluti contraria arctaret et compelleret, in eorundem Nobilium damnum, libertatisque et consvetudinis eorum praeiudicium satis magnum. Dehinc volentes iidem Procuratores dictorum Nobilium in personis eorundem Actionem eorum praemissam meliori efficatiorique documento comprobare, tres litteras, duas videlicet Serenissimi et potentissimi Principis quondam Domini Mathiae Regis Hungariae et Bohemiae &c. gloriosae memoriae, Domini nostri, unam videlicet Confirmationalem, alteram vero Praeceptoriam, et tertiam Magnifici Ulrici Ciliae, Orthemburgae Zagoriaeque Comitis nec non Regni Sclavoniae Bani, Confirmationalem, privilegialiter confectas: Quarum prima, videlicet confirmationalis, pendenti et Authentico duplici sigillo suo per manus Reverendissimi in Christo Patris Domini Stephani Ecclesiarum Colocensis et Bachiensis Archi-Episcopi Locique eiusdem Comitis perpetui, Aulae suae summi Cancellarii fidelis dilecti Anno Domini 1466 quinto Idus Martii, Regni sui Anno nono, Coronationis vero secundo edita, habens in se confirmative tenorem quarundam Litterarum Illustris Principis quondam Domini Joannis, Patris Mathiae Regis Budae in Vigilia festi Nativitatis B. Joannis Baptistae, sub sigillo eiusdem, quo ut Gubernator Hungariae utebatur, Anno Domini 1449 impendenti communitarum, seriem et continentiam quarundam Litterarum adjudicatoriarum Vice Banorum Regni Sclavoniae ac Comitum et Judicum Nobilium Commitatus Crisiensis, Crisii sexto die feria secunda post octavas festi Epiphaniarum Domini, Anno eiusdem 1446. emanatarum, habentes inter caetera in se transumptive tenorem quarundam duarum Litterarum, unius scilicet Serenissimi Principis condam Domini Sigismundi Regis patenter, et alterius Capituli Ecclesiae Chasmensis privilegial. exinde statutor. Quarum prima, videlicet memorati quondam Domini Sigismundi Regis, Litteram in Thatha feria quinta proxima ante festum Penthecostes 1430. Regnorum autem suorum Anno Hungariae &c. 44. Romanorum 20. et Bohemiae Decimo, ad propriam suam Commissionem maiori suae Majestatis sigillo consignata declarabat, quod praefatus quondam Dominus Sigismundus Rex consideratis et diligenter praemetitis fidelibus et fidelium servitiorum gratuitis meritis et acceptis complacentiis fidelium suorum Nobilium Joannis filii Osl de Herbothya et Magistri Michaelis de Raven Causarum suarum procuratoris et sedis Crisiensis Protonotarii, quibus iidem in diversis locis et temporibus opportunis Maiestati suae se ipsos gratos reddere studuissent et acceptos, supplicationibusque eorundem per ipsos Culmini suo in personis et Nobilium nominibus Universorum Castri maioris Kemlek devoto oblatis, exauditis et admissis, possessiones et terras ipsorum Nobilium Jobbagionum dicti Castri a nexu et jugo omnique conditionaria servitute praedicti Castri et ab eodem Castro eximenda separandas, sequestrandas, distinguendas et removendas, eosdemque Universos Nobiles Jobbagiones Castrenses verae Nobilitatis titulo insigniendos, praemissas Universas et totales possessiones et terras eorum cuilibet ipsorum, sicuti pro tunc possedissent et in eorum dominio pacifice extitissent, Novae suae Donationis et sincerae Nobilitatis titulo simul cum earum cunctis pertinentiis et utilitatibus, in eorundem et successorum ipsorum perpetuam adscripsisset haereditatem, salvis juribus alienis; eosdem etiam Nobiles Jobbagiones suos Castrenses et eorum posteros omnibus Privilegiis, gratiis, imunitatibus, exemptionibus et libertatibus ad instar caeterorum Regni sui Sclavoniae verorum Nobilium, perpetuis futuris temporibus uti, frui et gaudere debere. de

Praelatorum et Baronum suorum ad id accedente Consilio praematuro ac mera Authoritate sua Regia et potestatis plenitudine ex certaque suae Majestatis scientia plenarie decrevisset. Secunda vero ipsarum, puta dicti Capituli Ecclesiae Chasmensis, Littera statutoria, quae quinto decimo die feriae sextae proximae post Octavas Paschae Domini Anno ejusdem 1431 privilegialiter confecta, Alphabeto intercisa manifestabat: Quod praefatum Capitulum Chasmense ad Amicabilem Literatoriamque petitionem condam Spectabilis et Magnifici Domini Hermanni Ciliae et Zagoriae Comitis et dicti Regni Sclavoniae Bani laudandae memoriae, una cum Benedicto filio Nicolai de Szent-Ivan homine ejusdem Domini Hermanni Comitis et Bani, ipsorum hominem videlicet honorabilem Virum Magistrum Bartholomaeum socium et Concanonicum ipsorum, ad infrascriptarum Possessionum statutionem faciendam ipsorum pro testimonio transmisissent fide dignum. Qui ex inde ad ipsum Capitulum reversi, eidem concorditer retulissent eo modo: Quomodo ipsi in praedicta feria sexta proxima post dictas Octavas festi Paschae Domini et aliis diebus ad id aptis et sufficientibus, ad facies praescriptarum universarum possessionum et portionum possessionariarum fatorum Nobilium dicti Castri, per annotatum quondam Dominum Sigismundum Regem a Jobagionatu dicti Castri exemptarum, ipsisque Nobilibus Novae suae Donationis titulo donatarum, Vicinis et Cometaneis earundem Universis inibi legitime convocatis et praesentibus, accedentibus introduxissent praefatos Nobiles in Dominium earundem statuissentque easdem cuilibet ipsorum, prout et in quantum in dominio earundem pro tunc pacifice permansissent et fuissent, praemissis exemptionibus et Novae Regiae donationis titulis ipsis incumbentibus perpetuo possidendas, nullo penitus contradictore apparente. Secunda vero earum, puta praefati quondam Domini Nostri Mathiae Regis Littera, sub secreto et appendenti sigillo suo ad propriam Commissionem Eiusdem hic Budae in festo inventionis S. Crucis Anno Domini 1472., Regnorum Anno Hungariae &c. decimo quinto, Coronationis Nono, Bohemiae vero tertio, confecta manifestabat: Quod Nobilis Georgius de Patak in sua ac Stephani et Martini de eadem Patak, Benedicti de Presethnafew, Stephani de Voynovcz, Andreae de Globothecz et Pauli Literati de Finthovcz, ac aliorum Nobilium in districtu Castri maioris Kemlek commorantium personis, praefato quondam Domino Nostro Mathiae Regi (in forma) admodum gravis quaerelae expositum exstitisset: Quod licet ipsi ab antiquo a quibuslibet Censibus et taxis dicti Castri Kemlek per Divos Reges Hungariae, suos scilicet Prodecessores, exempti fuerint et exonerati, ac eo titulo, quo veri Nobiles Regni sui uterentur, ipsi quoque ex ipsa concessione usi sint. Tamen Illustris Ladislaus Dux S. Sabae quadam adinventa occasione, quosdam novos et inconsvetos Census seu taxas adinveniens super praefatos Nobiles, contra huiusmodi antiqua Jura et libertates eorum imposuisset, ipsosque propterea plurimum impedivisset et vexasset in praeiudicium Libertatis et Jurium eorum atque damnum manifestum; Allegando, ipsos Nobiles non ab Antiquo, sed per Joannem Thuz de Lak, alias Regni Sclavoniae Banum, ab ipsis Censibus et taxis exemptos et Nobilitatos fore. Unde praefato quondam Domino Mathiae Regi in personis praefatorum Nobilium suplicatum fuisset, ut ipsis circa praemissa de remedio providere ac in Juribus et Libertatibus eorum conservare dignaretur. Et quia ipse Dominus Mathias Rex praefatos Nobiles ex Litteris et privilegiis ipsorum Divorum Regum Hungariae coram eodem Domino Rege in specie productis et per eundem confirmatis, a quibuslibet Censibus et taxis ipsius

Castri Kemlek ab olim exemptos et libertatos fuisse comperisset: Ideo fidelitati praefati Ladislai Ducis S. Sabae earundem Litterarum suarum serie firmiter mandasset: Quatenus a tunc in posterum praefatos Nobiles contra praescriptas eorum Libertates et Jura ad solutionem huiusmodi Censuum seu taxarum arctare vel compellere vel eos propterea in personis rebusque et Bonis eorum quibusvis impedire, molestare, seu quovis modo damnificare nusquam et nequaquam praesumeret, nec esset ausus modo aliquali. Alioquin comiserat et earundem serie strictius comisit fidelibus suis Banis vel Vice Banis praescripti Regni sui Sclavoniae, tunc constitutis et in futurum sonstituendis, ut ipsi annotatos Nobiles penes hujusmodi libertates eorum contra ipsum Ducem tueri, protegere et defendere ac indemniter manutenere deberent; Authoritate sua ipsis in hac parte attributa et justitia mediante. Haec autem voluisset etiam per futuros possessores eiusdem Castri Kemlek firmiter observari. Tertia vero earundem, puta antefati condam Ulrici Ciliae Comitis et Regni Sclavoniae Bani Littera, sub appendenti Sigillo eiusdem, Crisii sexto die diei feriae secundae proximae post Octavas festi beati Michaelis Archangeli in Anno Domini 1449 edita, habens in se approbative tenorem quarundam Litterarum Dominorum Praelatorum, Baronum et Procerum Regni Hungariae universorum, similiter privilegialium, hic Budae tertio die feriae secundae proximae post festum Beati Petri et Pauli Apostolorum in Congregatione scilicet generali eorum existentium, in dicto Anno Domini 1449 emanata, inter caetera specificabat. Quod licet alias quondam Dominus Benedictus Episcopus Ecclesiae Zagrabiensis praefatos Nobiles alias Castrenses ad solutionem decimarum compellere et adstringere voluerit, Tamen quia iidem Nobiles per praefatum quondam Sigismundum Regem a praescripto conditionario nexu et jugo servitutis modo praenarato exempti et libertati extitissent; Idem etiam quondam Dominus Sigismundus Rex eosdem Nobiles et eorum posteros omnibus privilegiis, gratiis et exemptionibus et libertatibus ad instar caeterorum Regni Sclavoniae Nobilium perpetuis temporibus frui et gaudere gratiose permisisset, Ideo sicuti, caeteri veri Nobiles Regnorum Hungariae et Sclavoniae eorum antiqua libertate a Divis Regibus Hungariae eis gratiose concessa, a solutione decimarum exempti et supportati fuissent: sic et ipsi Nobiles alias Castrenses maioris Kemlek ab omni solutione Decimarum praedictarum ipsi quondam Domino Benedicto Episcopo Ecclesiae Zagrabiensis et suis successoribus fienda, libertasset et exonerasset et eadem libertate, qua veri Nobiles dictorum Regnorum Hungariae et Sclavoniae frui et gaudere consveti fuissent, ipsi Nobiles et eorum universa posteritas uti et frui debere, nec unquam ad solutionem praescriptarum decimarum quoad personas et Curias ac Domos ipsorum proprias, demptis Jobbagyonibus ipsorum, per praefatum quondam Dominum Benedictum Episcopum eiusque sncoessores dictae Ecclesiae Zagrabiensis Episcopos compelli et arctari posse vel debere judicialiter decrevisset. Quibus exhibitis. praefati Procuratores dictorum Nobilium Actores eisdem per Nos in praemissis juris aequitatem postularunt impertiri. Quo audito Emericus de Reche, pro memorato Andrea Both de Bayna, cum praefati Domini nostri Regis Litteris procuratoriis nostram exurgens in praesentiam, in Contrarium praemissorum Octo Litteras, unam scilicet dicti quondam Domini Sigismundi Regis privilegialem pariter et confirmatoriam et aliam quondam Domini Mathiae Regis praeceptoriam, tertiam vero Capituli Ecclesiae Zagrabiensis fassionalem, quartam autem quondam Mathiae de Boszna

Capitanei utriusque Kemlek, et Benedicti filii Georgii de Presechnafew, Comitum Terrestrium maioris Kemlek, quintam siquidem condam Hans Apprahar ac eiusdem Benedicti filii Georgii de Presechnafew, sextam denique quondam Georgii Pyers et eiusdem Benedicti filii Georgii, septimam vero eiusdem quondam Georgii Pyers et Pauli filii Mykchez de Czirkvena, Octavam denique et ultimam quondam Georgii filii Stephani de Globoczecz, similiter Capitaneorum et Comitum terrestrium de maiori Kemlek, omnes privilegialiter confectas, Nostrum Judiciarium produxit in conspectum. Quarum prima, videlicet praefati quondam Domini Sigismundi Regis Littera privilegialis, sub dupplici et Authentico Sigillo eiusdem per manus Reverendi in Christo Patris Domini Eberhardi Episcopi Zagrabiensis Aulae suae summi Cancellarii fidelis dilecti Anno Domini 1415 Kalendas Augusti, Regni autem sui Anno 17 emanata, habens in se confirmative tenorem quarundam duarum Litterarum, unius scilicet olim Serenissimae Principis Dominae Elisabethae Reginae Matris suae Charissimae, ipsius duplici Authentico impendenti Sigillo privilegialiter tenores quarundam Litterarum quondam Stephani totius Croatiae et Sclavoniae Bani, quandam praerogativam Nobilium Jobbagyonum praescripti Castri explicantis, in se confirmative continentes. ac aliam suam, suo secreto Sigillo patenter consignatas, transcribentes verbaliter continentiam quarundam Litterarum Magnifici viri quondam Eustachij dicti Regni Sclavoniae Bani, super libertatibus annotatorum Nobilium dicti Castri sui Jobbagyonum in eisdem expressis confectarum. Quarum prima videlicet dictae Dominae Elisabethae Hungariae et Bohemiae Reginae privilegialis, Crisii per manus Reverendi in Christo Patris Domini Valentini &c.. Aulae suae summi Cancellarii, duodecimo die mensis Junii Anno Domini Millesimo Trecentesimo Octuagesimo quinto edita, habens in se confirmative tenorem quarundam Litterarum quondam Stephani Sclavoniae et totius Croatiae Bani, septimo die Congregationis suae generalis, in profesto Beati Martini Confessoris Zagrabiae celebratae, Anno Domini 1352 editarum, Nos serie informabat: Quod praefatus condam Stephanus Banus in dicta Congregatione sua generali Universis Nobilibus et aliis cuiusvis conditionis, praeeminentiae et status hominibus, in Regno Sclavoniae existentibus, publica proclamatione facta, feria secunda proxima post festum Beati Martini Confessoris Zagrabiae celebrata, a duodecim Juratis Judicibus Nobilium et Universis Nobilibus praemissae suae Congregationi adhaerentibus fecisset manifeste: Quod Nobiles Jobbagyones Castri Nagy Kemlek ad juramenta et testimonia tam in factis possessionariis, quam aliis quibuslibet deposita et producta, ad Numerum Nobilium Regni semper computati et assumpti exstitissent, et ob hoc iidem Nobiles Jobbagyones Castri Nagy Kemlek, ne huiusmodi eorum libertati in futurum per quempiam aliqualiter possit derogari, Litteras ipsius precum cum instantia ab ipso quondam Stephano Bano ipsis dari petivissent; Ipse igitur quondam Stephanus Banus volens eosdem Nobiles Jobbagyones Castri Nagy Kemlek in praemissa eorum Nobilitate conservare, eisdem annuisset, ut ipsi Nobiles Jobbagyones Castri Nagy Kemlek ad juramenta et testimonia tam in factis possessionariis, quam aliis quibuslibet deponenda et producenda ad Numerum Nobilium Regni computarentur et assumerentur absque derogamine aliquali. Altera vero earum, videlicet dicti quondam Domini Sigismundi Regis, secreto sigillo suo in Dyaco, octavo die festi Beati Petri et Pauli Apostolorum Anno Domini 1394 emanata, habens in se transumptive tenorem quarundam Litterarum

quondam Eustachy similiter Regni Sclavoniae Bani, sub appendenti et authentico sigillo sui Banatus, Crisii, tertio die Inventionis S. Crucis Anno Domini 1362, Nos inter caetera docebamur: Quod Universi Nobiles Jobbagyones Castri maioris Kemlek eiusdem quondam Eustachy Bani accedendo praesentiam, eidem quaerulose super eo significari curassent: Quod ipsi per Castellanum suum de Kemlek et eius vices gerentem intolerabile periculum et perturbationem non modicam perpessi exstitissent et continuo contra libertatem ipsorum ex inusita sua astutia in eo paterentur: Quod idem Castellanus suus vel eius Vicesgerens, ut bona ipsorum per huiusmodi adinventam eius astutiam opprimere posset, ipsos Jobagyones Castri suapte saepius sine Causa solus nullo adversario existente in sui praesentiam, non de jure citari feciendo quemcunque vel quoscunque vellet ex eisdem Actor et Judex existens, in plurimorum judiciorum gravaminibus, juxta nutum suae voluntatis damnificaret, et quod quicunque ex ipsis vinum vel bladum suum proprium quocunque ad Ecclesiarum Cimiteria vel ad aliorum hominum domos aut quocunque extra metas ad conservam duceret, Castellanos suos maioris Kemlek et eius Officiales tributum semper ab iisdem contra libertatem ipsorum et eorundem grande praeiudicium non de Jure exigere conaretur, per quod ipsi ad extremae paupertatis inopiam devenissent: supplicantes eidem quondam Eustachio Bano humiliter et devote, ut ipsos ab huiusmodi Angariationum periculis sublevare dignaretur. Ipse siquidem quondam Banus, qui cunctorum sibi subiectorum incomoditatibus invigilare debebat, eosdem Jobbagyones Castri Kemlek de huiusmodi inconsveta et omnino juri et justitiae contrariosa citatione et praemissa indebita tributaria exactione facienda sublevando commisit et earundem serie comisisset, ut a tunc eosdem Jobbagyones Castri Kemlek vel aliquem ex ipsis Castellanus suus de eodem Castro pro tempore constitutus, vel eius Vicegerens, per se ratione alicuius facti in sui praesentiam nullatenus citari facere posset atque valeret, nisi inter litigantes Judicium et justitiam facere teneretur, moderatione juris requirente; nec ab eorum Vino et Blado proprio quocunque ad Ecclesias vel aliorum Domos aut extra metas ad reponendum deducendum tributum aliquot exigere posset. Igitur idem condam Banus Castellano suo de dicto Castro Kemlek tunc et pro tempore constituto vel ejus Vicegerenti firmiter praecipiendo mandasset, quatenus a tunc praedictos Nobiles Jobbagyones dicti Castri ratione huiusmodi inusitatae citationis nullo modo molestare, nec de eorum Vino et Blado proprio, alias praemisso modo ad reponendum et ducendum aliquod tributum vel tributariam exactionem recipere, sed eosdem in solita libertate ipsorum pacifice et sine omni inquietatione perfrui permitteret, aliud facere non audendo. Secunda vero, puta dicti quondam Domini Mathiae Regis Littera praeceptoria, ad Commissionem suam propriam, Budae die Dominica proxima post festum beati Joannis ante portam Latinam Anno Domini 1489 emanata, nos eatenus docebat: praefatum quondam Dominum Mathiam Regem non sine displicentia intellexisse: Quod licet universi et singuli Nobiles unius sessionis in pertinentiis Castri sui Kemlek constituti et commorantes semper et ab antiquo ad illud Castrum suum Kemlek pertinuerint, illoque solita servitia facere et certos proventos de medio ipsorum administrare obligati fuerint; Illi tamen paulo ante temporibus praeteritis ipsi de sub Jurisdictione eiusdem Castri sese excepissent, huiusmodi solita servitia et proventus facere et administrare iam a certis temporibus recusassent. Quia vero ipse condam Dominus Mathias Rex nullo modo voluisset

idem Castrum suum sua antiqua jurisdictione destitui, fidelitati igitur universorum et singulorum Nobilium unius sessionis praedictorum earundem serie praecepisset et mandasset, quatenus acceptis eisdem a tunc in antea ad dictum Castrum suum Kemlek audire, servitiaque solita facere, ac proventus ad ipsum Castrum suum Kemlek de medio eorum ab antiquo fieri debentes semper tempore suo administrare et administrari facere deberent et tenerentur. Nam alioquin strictius commisisset earundem serie fideli suo Egregio Andreae de Labathlan Capitaneo Castri sui Medve &c, ut ipse ipsos Nobiles et quemlibet eorum ad hoc ipsum faciendum per omnia onera et gravamina ipsorum acerius compeleret et adstringeret, authoritate sua earum serie sibi in hac parte attributa mediante. Aliud igitur nulla ratione facere praesumeret. Ex continentiis autem tertiae Litterae, videlicet dicti Capituli Ecclesiae Zagrabiensis fassionelis et privilegialis, die Dominico proximo ante Dominicam Oculi Anno Domini 1491 praeterito emanatae, inter caetera informabamur: Quod Andreas Both de Bayna Capitaneus Castri Medve, oneribus Egregiorum Ambrosii et Joannis similiter Both fratrum suorum Carnalium, et aliorum proximorum et consangvineorum suorum in se assumptis, ab una, parte vero ex altera Ladislaus Ribicz de Dragosincz et nonnuli alii Nobiles in eisdem Litteris conscripti, in ipsorum et universorum Nobilium in Districtu Castri maioris Kemlek modo simili oneribus et quibuslibet gravaminibus eorum in se ipsos assumptis, coram Venerabilibus Magistris, Joanne Goricziensi, Martino Chasmensi et Stephano de Rasztovicza, Canonicis eiusdem Capituli, quos idem Capitulum ad instantem et legitimam peticionem dicti Andreae Both et dictorum Nobilium, eo, quod idem Andreas Both et Nobiles praedicti propter discrimina et metum Almanorum, qui tunc in serie Capitulari commorati fuissent, ad ipsam fassionem audiendam de ipsorum medio destinassent, taliter inter caetera concordati fuissent. Quod quandocunque in successu temporum Octavae et Judicia Regni celebrarentur ipsisque Nobilibus dicti districtus maioris Kemlek placitum fieret, ex tunc Universa jura et privilegia, praerogativas et exemptiones Litterasque et litteralia ipsorum Instrumenta et eorum Originalia in ipsis Octavis aut judiciis coram Judicibus ordinariis et Magistris Prothonotariis producere et exhibere possent et valerent. Quod si ea Jura, Privilegia, Praerogativae et Exemptiones Litteraeque et litteralia instrumenta ac eorum Originalia per eosdem Judices Ordinarios et Magistros Prothonotarios efficacia et vigorosa ipsisque Nobilibus dicti Districtus super exemptionibus eorum sufficientes Vigorosaque ac efficatia et approbata ex eorum revisione fore comperta fuerint, extunc iidem Nobiles ab omni jurisdictione, subiectione, jugoque et servitute dicti Andreae Both ac fratrum, prolium et consangvineorum, per consequensque dicti Castri maioris Kemlek, futuris temporibus penitus et omnino absoluti, suportati et exonerati, numeroque et caetui ac catervae aliorum verorum Nobilium huius Regni juncti ac connumerati essent et ipso facto haberentur. Si autem Jura, Privilegia, Praerogativae et Exemptiones, litterae et Litteralia Instrumenta per dictos Nobiles in ipsis Octavis aut judiciis coram praefatis judicibus ordinariis et Magistris Prothonotariis producenda, per eosdem Judices ordinarios et Magistros Prothonotarios super Exemptionibus et Praerogativis minus efficacia et vigorosa comperta fuerint Ex tunc ipsi Andreas Both et fratres eiusdem praefatos Nobiles ipsorumque haeredes Universos sub solutione proventuum et exactionum, in iisdem Litteris fassionalibus denotatorum, absque aliquali superapposito onere et gravamine sive impedimento pacifice et

quiete conservare ac confovere tenerentur et essent obligati. Ex seriebus denique quartae, quintae, sextae, septimae et octavae Litterarum jam fatarum, quondam Mathiae de Boszna, Benedicti filii Georgii de Prezechnafew ac Hans Aprahar, Georgii Pyers et Pauli filii Mikchecz de Cirkvena, Capitaneorum et Comitum terrestrium saepefati Castri maioris Kemlek privilegialium, in diversis Annis et locis post sese emanatarum aperte habebatur: Quod praefati Nobiles in Districtu eiusdem maioris Kemlek commorantes, omnes venditiones, prohibitiones, donationes, protestationes, statutiones et alias quaslibet fassiones, tam in facto possessionario quam etiam aliis factis et negotiis fieri consvetas, coram dictis Comitibus eorum terrestribus fecissent, Ipsique Comites et Capitanei terrestres eiusdem Castri maioris Kemlek, Causas et Lites inter ipsos Nobiles emergentes judicassent et judicialiter dirimissent. Quibus exhibitis et praesentatis idem Procurator dicti Andreae Both in Causam attracti, in persona eiusdem subjunxit eo modo. Quod licet hoc verum sit, quod praefati Nobiles in pertinentiis dicti Castri maioris Kemlek commorantes certas haberent libertates, quibus ipsi instar aliorum verorum Regni Hungariae sed et Sclavoniae Nobilium usi fuissent et gavisi, nonnullis tamen servitiis et proventibus ad Castrum Kemlek praescriptum ab antiquo faciendis administrandisque obligarentur, quibus ultra praescriptam eis concessam libertatem nulla ratione supportati esse valerent, et in eo idem Procurator dicti Andreae Both, in Causam attacti, in verificationem Actionis suae praenotatae, in eo tantum modo, ut iidem Nobiles certa Servitia, Actiones, nec non munera, seu taxas, dicas, in signum recognitionis, Capitaneis seu Castellanis ipsius Castri Kemlek pro tempore constitutis, semper et ab antiquo fecerunt et dederunt, se ad communem inquisitionem submittere velle; antefatis quoque Procuratoribus dictorum Nobilium eosdem Nobiles modo simili in eo: quod ipsi a tempore exemptionis sive libertatiouis eorum, per praefatum quondam Dominum Sigismundum Regem ordine praenarato factae, nunquam alia servitia, seu taxas, actiones, sive aliqua alia munera ipsis Capitaneis vel Castellanis ipsius Castri fecissent et dedissent, dempto tempore impacato; Nam fuerunt certi Capitanei sive Castellani forenses, Allemani videlicet, homines ex Officio idem Castrum tenentes, qui necdum servitia aut munera, vel taxas, verum etiam per Personarum eorum detentiones universas res et Bona eorum auferri fecissent et ad servitia inconsveta compulissent, et hoc modo simili ad ipsam communem inquisitionem Nobis legitime requirendam submittebant. Ad quam faciendam partibus petentibus per alias litteras nostras, cum easdem partes ad ipsam communem inqusitionem in facto servitiorum solutionis munerum, Actionum, et exactionis taxarum vel datiorum ad eandem communem inquisitionem comisissemus, iidem procuratores earundem partium in facto exemptionis seu libertatis et Nobilitationis eorundem Nobilium per Nos judicium et justitiam elargiri postulabant. Verum licet idem Emericus de Rethe, Procurator annotati Andreae Both, in eiusdem ac fratrum eiusdem Andreae nominibus et personis exhibitionem praescriptarum Litterarum in superioribus insertarum, hoc est, ut iidem Nobiles in praescripto Districtu Castri Kemlek maioris constituti et existentes semper et ab antiquo ad idem Castrum praescripta servitia solutionesque munerum, actionum, Dicarum seu taxarum fecisse, facereque debere de praesenti allegaverit; tamen quia praefatus quondam Dominus Sigismundns Rex in praescripto Anno Domini 1430 Supplicationibus praefatorum Joannis filii Osl de Herborth et Magistri Michaelis de Rawen, per ipsos Culmini

suo in eorundem ac praefatorum Universorum Nobilium Castri maioris Kemlek praescripti oblatis, exauditis et admissis, possessiones et terras ipsorum Nobilium Jobbagyonum dicti Castri a nexu et jugo omnique conditionaria servitute praefati Castri et ab eodem Castro eximendo, separando, sequestrando, distinquendoque et removendo, eosdem Nobiles Universos Jobbagyones Castrenses verae Nobilitatis titulo insigniendo, praemissas Universas et totales possessiones et terras eorum cuilibet ipsorum sicuti pro tunc possedissent et in eorum Dominio pacifice extitissent, more suae Donationis, sub sincerae Nobilitatis titulo, cum cunctis earum utilitatibus et pertinentiis in eorundem et succesorum suorum perpetuam haereditatem adscripsisse, eosdem etiam et eorum posteritates omnibus privilegiis, gratiis, immunitatibus, exemptionibus et libertatibus instar caeterorum Regni Sclavonia verorum Nobilium perpetuis futuris temporibus Authoritate sua Regia et potestatis plenitudine uti, frui et gaudere debere plenarie decrevisse et annuisse, seque iidem Nobiles ordine praenaratarum communium earundem possesionum et portionum possessionariarum nullo Contradictore comparente statui fecisse, expostque antefato quondam Domino nostro Mathia Rege praemissam Donationem dicti quondam Domini Sigismundi Regis eisdem Nobilibus factam, modo simili patrocinio privilegii sui mediante roborasse et confirmasse reperiebantur manifeste. Propter quod praescripti Nobiles eiusdem Districtus maioris Kemlek vigore antefatae exemptionis separationisque et sequestrationis a praescripto Castro Kemlek, nec non Nobilitationis eorundem Nobilium, per jam fatum quondam Dominum Sigismundum Regem ordine praetacto factis, iidem Nobiles in caetum, numerum et catervam verorum Regis et Regni Nobilium connumerari deputarique et adscribi, iidemque Nobiles verae Nobilitatis titulo uti, frui et gaudere debere, praefato Domino nostro Vladislao Regi in eadem sede pro tribunali assidente ac Reverendissimis in Christo Patribus Dominis Thomae Agriensi summo et Secretario Cancellario Regio, Osvaldo Zagrabiensi, Valentino electo et confirmato Varadiensi, Ladislao Gereb Transylvano, Joanni Vesprimiensi, Stephano Sirmiensi et Personalis praesentiae eiusdem Domini Nostri Regis Locumtenenti, et Lucae electo Bosnensi, Thesaurario Regio, Ecclesiarum Episcopis; nec non Dominico Praeposito Albensi, item Spectabilibus et Magnificis Dominis Stephano de Zapolya Comiti Scepusiensi perpetuo et Regni Hungariae Palatino, ac Nobis nec non Comiti Petro de Bozin et de S. Georgio, Ladislao de Losoncz Tavernicorum, Petro Gereb de Vingarth Janitorum, Bartholomaeo Dragffy de Belthewk Cubiculariorum Regalium Magistris, et Nicolao de Hedervara, caeterisque Baronibus et eiusdem Regni Hungariae Nobilibus Magistrisque Prothonotariis et Juratis Assessoribus, Nobiscum in examine huius causae existentibus et in praemissis diutius deliberantibus perspicue cernebatur. Eorundem igitur Dominorum Praelatorum et Baronum Regnique Nobilium, Magistrorum, Prothonotariorum, Juratorumque Assessorum nostrorum quaesito et assumpto superinde Consilio praematuro, praefatos Universos et singulos Nobiles in pertinentiis et Districtu dicti Castri maioris Kemlek commorantes eorundemque haeredes et posteritates Universos, illis omnibus exemptionibus, Nobilitationibus et aliis quibuslibet gratiosis Praerogativis per dictum quondam Dominum Mathiam et Sigismundum Regem eisdem indultis et concessis, tanquam veros Regni Hungariae et Sclavoniae Nobiles praemisso Nobilitatis titulo frui, gaudere atque uti semper et futuris successivis temporibus ip-

sos ac eorum haeredes debere decernentes et committentes, Imo committimus, gaudere, uti atque frui, Authoritate Regia Nobis in hac parte concessa et nostra Judiciaria mediante. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes Litteras nostras privilegiales pendentis et Authentici sigilli nostri munimine roboratas, eisdem Nobilibus Districtus praescripti Castri maioris Kemlek, ipsorumque haeredibus et posteritatibus Universis duximus concedendas Justitia communi svadente. Datum Budae praedicto tricesimo nono die Octavarum festi beati Michaelis Archangeli praedictarum, Anno Domini 1492. Nos igitur praemissa supplicatione pro parte memoratorum Universorum Nobilium Districtus praedicti Castri maioris Kemlek, Nostrae modo praemisso porrecta Maiestati, Regia Benignitate exaudita et clementer admissa, praescriptas litteras praefati condam Comitis Stephani de Bathor adiudicatorias et sententionales, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, praesentibusque litteris nostris Privilegialibus, de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas, quoad omnes earundem continentias, Clausulas et Articulos, eatenus, quatenus eaedem rite et legitime existunt emanatae, viribusque earum veritas suffragatur, acceptamus, approbamus et ratificamus. Et nihilominus eas ac omnia et singula in eis contenta, pro praefatis universis Nobilibus Districtus dicti Castri maioris Kemlek, eorumque haeredibus et posteritatibus universis innovantes perpetuo valituras confirmamus, praesentis scripti nostri Patrocinio mediante. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes Litteras Nostras Privilegiales Secreto Sigillo nostro, quo ut Rex Hungariae utimur, impendenti communitas, duximus concedendas. Datum Budae in festo Beatae Dorotheae Virginis et Martyris. Anno Domini 1526, Regnorum nostrorum Hungariae et Bohemiae praedictorum &c. Anno decimo.

Tertiarum tenor talis est: Nos Comes Georgius Thurzo de Betthlenfalva, Regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum, nec non de Arva perpetuus eiusdemque Comitatus Supremus ac perpetuus Comes, et Sacratissimi Principis ac Domini Domini Mathiae, Dei gratia electi Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Regis, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae, Marchionis Moraviae, Comitis Tyrolis et Habsburgi &c., intimus Consiliarius et per Hungariam Locumtenens. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis: Quod nos, cum ad nonnullorum instantem supplicationem apud Nos propterea factam, tum vero attentis et consideratis fidelibus servitiis Nobilium Sclavorum unius sessionis infra denominandorum, quae ipsi Sacrae primum Regni Hungariae Coronae ac deinde praefatae quoque Sacratissimae Caesareae Regiaeque Maiestati Domino nostro Clementissimo pro locorum et temporum varietate juxta suae possibilitatis exigentiam fideliter exhibuerunt et impenderunt ac imposterum quoque exhibere sese et impendere velle policentur, Totales ipsorum Nobilium jam specificandorum portiones possessionarias cum Curiis Nobilitaribus, videlicet Michaelis Chochek in Kobiline, Petri Maydrugh, Stephani Pomper, Nicolai et Stephani Thurkovich, Antonii et Matthiae Kuzmich, Joannis Sterlecz in Jakussovcz et Felső Radussiczy, Mathiae Voynoveczky aliter Zokach in Voynovczy, Joannis Flyok de Hisanovcz, Stephani Golecz in praefata Hisanovcz, Martini Plavecz, Joannis Kesser, Michaelis Striga in Drobkovcz et Zaistovcz, Martini de Ugrinovcz in Popovcz aliter Ugrinovcz, Pauli Golecz de

Finthovcz in eadem Finthovcz aliter Breztovicza, Martini Cherachich de Gostovincz, Ladislai Stanek in praedicta Gostovincz et Rewche, Lucae Koos in Kolarczy, Petri Janschak in Lukachovcz, Joannis Guzar, Petri Zerblinovich, Andreae Jussak in Bogachevina aliter Sipowczy, Joannis Mrazovich, Georgii Koritich in Mrazovcz, Pauli Dolecz, Michaelis Nemecz in Finchovcz, Vincza et Breztovica sic dictis Possessionibus, una cum portione ipsorum Promontboriali Velika Obres nuncupata, omnino in Comitatu Crisiensi et Regno Sclavoniae existentibus habitas, quae numerum Triginta duorum Colonorum non excedere, ac in quarum quieto et pacifico Dominio realique usu iidem maiores et progenitores suos utriusque sexus ab antiquo praestitisse, seseque etiam de praesenti pacifice persistere, Litterasque et Litteralia Instrumenta sufficientia habuisse, quae etiam nunc in parte exstare, in parte vero superioribus disturbiorum temporibus a sese deperdita et abalienata esse asserunt. Totum item et omne Jus praefatae Sacratissimae Caesareae Regiaeque Maiestatis Regium, si quod sua Maiestas in praetactis totalibus portionibus possessionariis et Curiis Nobilitaribus in antelatis Possessionibus Kobiline, Jakussovez, Felső Radussichy, Voynovczy, Hisanovcz, Drobkovcz, Zaistovcz, Popovcz aliter Ugrinovcz, Finthovcz aliter Breztovicza, Gostovincz, Rewcse, Kolarczy, Lukachovcz, Bogachevina aliter Sipovczy, Mrazovcz, Finchovcz, Vincza et Breztovicza, nec non portione promonthoriali Velika Obres, omnino in annotato Comitatu Crisiensi et Regno Sclavoniae existentibus habitis, etiam aliter qualitercunque haberet, aut eaedem suam ex quibuscunque causis, viis, modis et rationibus concernerent Maiestatem, simul cum cunctis suis utilitatibus et pertinentiis quibuslibet, terris scilicet arabilibus, cultis et incultis, agris, pratis, pascuis, campis, foenetis, sylvis, nemoribus, montibus, vallibus, vineis, vinearumque promonthoriis, aquis, fluviis, piscinis, piscaturis, aquarumque decursibus, molendinis et eorundem Locis, generaliter vero quarumlibet utilitatum et pertinentiarum suarum integritatibus, quovis nomine, vocabulo vocitatis, sub suis metis et antiquis limitibus existentibus, ac ad easdcm de jure et ab antiquo spectantibus et pertinere debentibus, praemissisque sic ut praefertur stantibus seque habentibus memoratis personis, cuique videlicet eorum in bonis praedeclaratis pro rata et congruenti portione ramumque Genealogiae, vel si qui eorum uxorio jure possiderent, eisdem superstitibus, eorum uxoribus nec non etiam fratribus congenerationalibus et condivisionalibus cum ipsis in possessu praenotatorum Bonorum pro nunc persistentibus et portionatis ipsorumque omnium haeredibus et posteritatibus utriusque sexus universis, Authoritate Nostra Palatinali, qua etiam hac in parte pleno jure fungimur (si et in quantum ad aliquam Ecclesiam vel Suae Maiestatis Arcem non pertinent) novae Donationis titulo dedimus, donavimus et contulimus, imo damus, donamus et conferrimus, jure perpetuo et irrevocabiliter tenendas, possidendas pariter et habendas salvo jure alieno. Harum nostrarum pendentis et Authentici Sigilli nostri munimine roboraturum vigore et testimonio mediante Litterarum, quas praelibata Sacratissima Caesareo-Regia Maiestas in formam privilegii sui redigi faciet, dum Suae Majestati in specie fuerint reportatae. Datum Posonii die vigesima Tertia Mensis Martii Anno Domini 1613, Regnorum Maiestatis Caesareae Regiae Romani primo, Hungariae et reliquorum quinto, Bohemiae vero Anno secundo.

Quartarum Litterarum continentia sequitur in haec verba: Spectabili ac Magnifico Domino Comiti Thomae Erdödy de Monyorokerek, Montis Claudii et Co-

mitatus Varasdinensis Comiti Perpetuo, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bano ac Sacratissimae Caesareo-Regiae Maiestatis Consiliario, Domino ipsorum observandissimo. Capitulum Ecclesiae Chasmensis Salutem in Domino. Vestra noverit Spectabilis ac Magnifica Dominatio, Nos Litteras eiusdem introductorias et statutorias Nobis praeceptorie loquentes et directas honore et reverentia, quibus decuit et licuit, recepisse in haec verba: Amicis suis Reverendis Capitulo Ecclesiae Chasmensis, Comes Thomas Erdödy de Monyorokörek, Montis Claudii et Comitatus Varasdinensis Comes perpetuus, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banus ac Sacrae Caesareo-Regiae Maiestatis Consiliarius, Salutem et Amicitiam paratam cum honore. Dicitur Nobis in personis infrascriptorum unius Sessionis Nobilium in Comitatu Crisiensi degentium, quomodo ipsi uxoresque et fratres eorundem congenerationales et condivisionales in possessu infraspecificandorum Bonorum pro nunc in eisdem persistentes et portionati in Dominium infra declarandarum portionum possessionariarum et Curiarum Nobilitarium, videlicet Michael Chochak in Kobiline, Petrus Maydrugh, Stephanus Pomper, Nicolaus et Stephanus Turkovich, Antonius et Mathias Kuzmich, Joannes Sturlecz in Jakussovcz et Felső Radusycsy, Mathias Voynovechky aliter Zokach in Voynovczy, Joannes Fliok de Hisanovcz, Stephanus Golecz in praefata Hisanovcz, Martinus Plavecz, Joannes Kesser, Michael Striga in Drobkovcz et Zaiztovcz, Martinus Plavecz de Ugrinovcz in Popovcz aliter Ugrinovcz, Paulus Golecz de Finchovcz in eadem Finchovcz aliter Breztovicza, Martinus Chernchich de Gostovincz, Ladislaus Ztanek in praedicta Gostovincz et Rewche, Lukas Kooz in Kolarczy, Petrus Lanschak in Lukachovcz, Joannes Guzar, Petrus Zerblinovich, Andreas Jussak in Bogachevina aliter Sipovczy, Joannes Mrazovich, Georgius Koritich in Mrazovcz, Paulus Golecz, Michael Nemecz in Finchovcz, Vincza et Breztovicza, sic dictarum Possessionum, nec non portionis ipsorum promonthorialis Velika Obres nuncupatae, omnino in praedicto Comitatu Crisiensi et hoc Regno Sclavoniae existentibus habitorum, vigore novae Donationis Illustrissimi Domini Comitis Georgii Thurzo de Bettlenfalva, Regni Hungariae Palatini et Judicis Cumanorum nec non de Arva perpetui eiusdemque Comitatus Supremi ac Perpetui Comitis ac Sacratissimi Principis et Domini Mathiae, Dei Gratia electi Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiaeque Regis, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae Consiliarii et per Hungariam Locumtenentis, Jurisque Regii ipsos virtute praemissae Donationis perpetuo jure concernentis legitime vellent introire. Super quo Amicitiam Vestram harum serie hortamur et requirimus ac nihilominus Authoritate nostra Judiciaria, qua fungimur Banali, vobis committimus et mandamus, quatenus acceptis praesentibus, Vestrum mittatis hominem, vestro pro testimonio fidedignum, quo praesente Egregii et Nobiles Michael Harcha de Zamladincz vel Joannes Berdoczy, ac Petrus Zakmardy, Judices Nobilium praeallegati Comitatus Crisiensis, aliis absentibus, homo noster Banalis, per Nos specialiter ad id transmissus, ad facies praedictarum Possessionum Kobiline, Jakussovcz, Felső Radusichy, Voynovczy, Hisanovcz, Drobkovcz, Zaistovcz, Popovcz aliter Vugrinovcz, Finchovcz aliter Breztovicza, consequenterque praenotatarum portionum possessionariarum et Curiarum Nobilitarium in eisdem habitarum, nec non portionis promonthorialis Velika Obres, Vicinis et Cometaneis earundem universis inibi legitime convocatis et praesentibus accedentibus introducat praememoratos ex-

parentes uxoresque et fratres Congenerationales et Condivisionales ipsorum in Dominium earundem (pro rata portione earundem) dictique Juris Regii in eisdem habiti, statuatque eosdem, et idem eisdem ipsorum haeredibus et posteritatibus utriusque sexus universis simul cum cunctis suis utilitatibus et pertinentiis quibuslibet praemissae novae Donationis ac Juris Regii titulis ipsis incumbentibus, perpetuo possidendas si non fuerit contradictum, contradictores si qui fuerint, evocet eosdem contra annotatas personas, in sedem nostram Banalem, nostri scilicet in praesentiam, ad decimum quintum diem, diei hujusmodi Evocationis, rationem Contradictionis eorundem reddituras efficacem. Et post haec huiusmodi Introductionis et Statutionis seriem simul cum Contradictorum et Evocatorum vicinorumque et Cometaneorum, qui praemissae Statutioni intererunt, nominibus terminoque assignato ut fuerit expediendum Nobis fideliter rescribatis, secus non facturi. Datum Vidovcz Sabbatho proximo ante festum Beatorum Fabiani et Sebastiani Martyrum Anno Domini 1614. Nos itaque Mandatis Vestrae Spectabilis ac Magnificae Dominationis, uti tenemur, obedire cupientes, una cum praefato Nobili Michaele Harcha de Zamladincz, homine Vestrae Spectabilis ac Magnificae Dominationis Banali, Litteris in praeinsertis inter alios specialiter nominato, unum ex Nobis Venerabilem videlicet Georgium Hozyak Socium et Concanonicum Nostrum ad praemissa Mandata fideliter peragenda nostro pro testimonio transmiseramus fidedignum. Qui tandem exinde ad nos reversi nobis sub Corporali ipsorum Juramento, de et super fideli eorundem executione coram Nobis praestito, uniformiter retulerunt in hunc modum. Quomodo praefatus homo Vestrae Spectabilis ac Magnificae Dominationis Banalis ipso nostro testimonio praesente, feria secunda proxima post Dominicam Invocavit, proxime praeteritam, ad facies praedictarum possessionum Kobiline, Jakussovcz et Felső Radusichy, in praeallegato Comitatu Crisiensi habitarum, Vicinis et Cometaneis earundem Universis, signanter autem Egregiis et Nobilibus Blasio, Mathia et Michaele Sturbek de Vrechakovcz, Georgio Gerlovich de Gerlocz et altero Georgio Santachich de Vinarcz, aliisque quamplurimis inibi legitime convocatis et praecedentibus, accedendo introduxisset praenotatos Michaelem Chochak in Kobiline, Petrum Maydrugh, Stephanum Pomper, Nicolaum et Stephanum Thurkovich, Antonium et Mathiam Kuzmich, Joannem Sturlez in Jakussovcz et Felső Radussichy, uxoresque et fratres Congenerationales et Condivisionales ipsorum pro rata unius cuiuscunque portione in Dominium earum dictique Juris Regii in eisdem habiti, statuissetque easdem, et idem eisdem ipsorumque haeredibus et posteritatibus utriusque sexus universis, simul cum cunctis suis utilitatibus et pertinentiis quibuslibet, praemissae Novae Donationis et Juris Regii titulis, ipsis incumbentibus, perpetuo possidendas, nullo penitus Contradictore inibi apparente, legitimis et continuis tribus diebus praeallegatis, Vestrae Spectabilis et Magnificae Dominationis Banalis et nostro hominibus inibi permanentibus et moram continuam protrahentibus. Tandem his modo praemisso rite et legitime peractis, idem homo Vestrae Spectabilis et Magnificae Dominationis Banalis saepefato testimonio nostro Vicinisque praeallegatis ac insuper Egregiis et Nobilibus Luca Gerloych de Gerlocz, Stephano Santechich de Vinarcz et Petro Hergh de Tubakovcz praesentibus, feria quinta proxima post praedictam Dominicam Invocavit proxime praeteritam, ad facies praedictarum Possessionum Voynovcz, Hisanovcz, Drobkovcz, Zaistovcz, Popovcz aliter Ugrinovcz,

Finchovcz aliter Breztovicza, Goztovincz, Revcse, Kolarczy, Lukachovcz, Bogachevina aliter Sipovczy, Mrazovcz et Vincza, consequenterque praenotatarum portionum Possessionariarum et Curiarum Nobilitarium in eisdem habitarum, nec non portionis promonthorialis Velika Obres, in antelato Comitatu Crisiensi existentibus et habitarum, accedendo introduxisset praenotatos Mathiam Voynovechky aliter Zakach in Voynovczy, Joannem Flyok de Hisanovcz, Stephanum Golecz in praefata Hisanovcz, Martinum Plavecz, Joannem Kesser in Zaiztovcz (nam memoratus Martinus Plavecz et Michael Striga se in Zaiztovcz nihil habere prout et Ladislaus Ztanek in Revcse sunt fassi coram Nobis, in Donatione enim per errorem Scribae in iisdem Possessionibus essent nominati), Martinum Plavecz de Ugrinovcz in Popovcz aliter Ugrinovcz, Paulum Golecz de Finchevcz in eadem Finchevcz aliter Breztovicza, Martinum Chernchich de Goztovincz, Ladislaum Ztanek in praedicta Goztovincz, praefatum Martinum Chernchich in Revcse, Lucam Koos in Kolarczy, Petrum Janschak in Lukachovcz, Joannem Guzar, Petrum Zerblinovich, Andream Jussak in Bogachevina aliter Sipovcz, Joannem Mrazovich, Georgium Koritich, in Mrazovecz, Paulum Dolecz, Michaelem Nemecz in Finchovcz, Vinca et Breztovicza, uxoresque et fratres Congenerationales et Condivisionales ipsorum pro rata unius cuiuscunque portione in Dominium earundem dictique juris Regii in eisdem habiti statuisset easdem, et idem eisdem ipsorumque haered bus et posteritatibus utriusque sexus universis simul cum cunctis suis utilitatibus et pertinentiis quibuslibet praemissae Novae Donationis et Juris Regii titulis ipsis incumbentibus, perpetuo possidenda, nullo prorsus Contradictore tunc inibi apparente, legitimis et continuis tribus diebus ipsis Banali et nostro hominibus inibi permanentibus et moram continuam protrahentibus. Verum infra revolutionem sedecim dierum, Sabatho videlicet proximo ante Dominicam Reminiscere proxime praeterito, Nobilis Sigismundus Domjanich in persona Egregii Sebastiani Suppanich, quoad portionem eiusdem ubicunque in praeallegtis Bonis habitam, item feria sexta proxima ante Dominicam Oculi proxime praeteritam Egregius Franciscus Modossoczy, Vice-Comes Comitatus Zagrabiensis, in personis Generosae Dominae Christinae Folnogyevich, Consortis suae, filiae vero Generosae quondam Dominae Annae Bosak et Mathiae Levachich, Michaelis Arras totiusque familiae Bosak, quoad Bona ipsorum in praefata Possessione Kobiline, quae antelatus Michael Chochak ab eisdem protestante titulo pignoris possideret; deinde feria quarta proxima post praetactam Dominicam Oculi proxime praeteritam Nobilis Nicolaus Zenko in persona Nobilis Dominae Ursulae Skropilovich aliter Nagy, Consortis Nobilis Georgii Kasnar, quoad portionem suam in praefata Kolarcz, nostram venientes in praesentiam, praemissae Introductioni et Statutioni Contradictionis velamine obviarunt, eamque inhibuerunt. Ob quam quidem Contradictoriam Inhibitionem Nos diebus suprascriptis antelatos Sebastianum Suppanich medio dicti Sigismundi Domjanich, Christinam Folnogyevich, Mathiam Levachich, Michaelem Arras totamque familiam Bosak medio praefati Francisci Modosoczy, et Ursulam Skropylovich aliter Nagy medio praefati Nicolai Zenko evocavimus contra annotatas personas in sedem Banalem, Vestrae scilicet Spectabilis ac Magnificae Dominationis in praesentiam, ad decimum quintum diem diei huiusmodi Evocationis, rationem Contradictionis eorum reddituros efficacem. Et sic Nos eiusmodi Nostrae Executionis seriem simul cum Contradictorum et Evocatorum vicinorum

et Cometaneorum, qui praemissae Statutioni interant, nominibus, terminoque assignato, ut fuerat expediens, Vestrae Spectabili ac Magnificae Dominationi fideliter rescripsimus. Datum Zagrabiae decimo sexto die diei praenotatae ultimae Executionis Anno Domini 1614. Cessionis autem in praescriptis Litteris super Statutione Relatoriis, dorsaliter insertae sensus sequitur in haec verba: Anno Domini Millesimo sexcentesimo decimo sexto, feria quinta post Festum purificationis Beatae Mariae Virginis, pro Actoribus Martinus Bozdogh cum nostris, et petit rationem dari Contradictionis, in causam attracti omnes personaliter comparentes et totali introscriptae Contradictioni cedunt. Prothonotarius Regni Stephanus Pathachich. Nos itaque hujusmodi humillima supplicatione nominibus et in personis supradictorum Nobilium unius sessionis in annotatis Possessionibus et Comitatu Crisiensi existentibus, Nostrae, modo quo supra, porrecta Majestati, Regia Benignitate exaudita clementer et admissa, praeinsertas quaternas litteras non abrasas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, praesentibus Litteris Nostris Privilegialibus de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas et inscriptas, quoad omnes earundem continentias, Clausulas et Articulos eatenus, quatenus eaedem rite et legitime existunt emanatae, viribusque earundem Veritas suffragatur, ratas, gratas et accepta habentes, approbavimus, roboravimus ratificavimusque ac pro saepefatis Nobilibus in Possessionibus supradictis et Comitatu Crisiensi existentibus, comorantibus, aliisque ibidem Condivisionalibus ac legitime Comportionatis, iuxta ramum Genealogiae et Comportionalitatis eorundem successoribusque et posteritatibus ipsorum utriusque sexus universis innovantes perpetuo valituras gratiose confirmavimus; Imo acceptamus, approbamus, roboramus, ratificamusque et confirmamus, Salvis Juribus Alienis. Harum Nostrarum secreto Sigillo Nostro, quo prout Rex Hungariae utimur, impendenti Communitarum vigore et testimonio Litterarum. Datum per manus fidelis Nostri Nobis dilecti Reverendi Georgii Szelepcheny, Electi Episcopi Ecclesiae Vesprimiensis Locique eiusdem Comitis perpetui et Consiliarii Nostri, ac per dictum Regnum Nostrum Hungariae Aulae Cancellarii, in Arce Nostra Regia Posoniensi die Vigesima Nona Mensis Octobris Anno Domini Millesimo Sexcentesimo quadragesimo sexto, Regnorum Nostrorum Romani decimo, Hungariae & reliquorum vigesimo primo, Bohemiae vero Anno decimo nono, Reverendissimis ac Venerabilibus in Christo Patribus Dominis Georgio Lippay de Zombor Electo Metropolitanae Strigoniensis, & Joanne Thelegdino Colocensis & Bachiensis Ecclesiarum Canonice Unitarum Archi-Episcopis, Georgio Jakusich de Orbava Agriensis, Benedicto Kisdy Electo Varadiensis, Martino Bogdan Zagrabiensis, Stephano Simandy Electo Transylvaniensis, praefato Georgio Szelepcheny Electo Vesprimiensis, altero Georgio Szecheny Electo Quinque-Ecclesiensis, itidem Georgio Draskovich de Trakostyan Jauriensis, Ladislao Hoszuthoty Electo Vacziensis, Joanne Risky Electo Nitriensis, Fratre Andrea Francisci Electo Sirmiensis, altero Fratre Georgio Bielavich Electo Tininiensis, Sigismundo Zongor Electo Chanadiensis, Fratre itidem Joanne Chrisostomo de Sancta Petronella Electo Rosontensis, & Petro Mariany Electo Segniensis & Modrusiensis Ecclesiarum Episcopis Ecclesias DEI feliciter gubernantibus; Item Spectabilibus & Magnificis Comite Joanne Draskovich de dicta Trakostyan, praedicti Regni Nostri Hungariae Palatino, Comite Paulo Palffy de Erdeöd, Judice Curiae Nostrae Re-

giae, praefatorum Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae Officio Banali vacante, Comite Stephano de Chyak Tavernicorum, Comite Nicolao a Zrinio Agazonum, Comite Georgio Erdödy de Monyorokerek Cubiculariorum, Comite Ladislao de praenotata Chyak Janitorum, Comite Adamo de Battyan Dapyferorum, Comite Adamo Forgach de Ghymes Pincernarum, Comite Francisco Nadasd Curiae Nostrae Regalium in Hungaria Magistris, ac dicto Comite Paulo Palffy de praelibata Erdeöd Comite Posoniensis, caeterisque quamplurimis Regni Nostri Hungariae Comitatus tenentibus & Honores.

Ferdinandus m. p.

Georgius Szelepcheny m. p.
Electus Episcopus Vesprimiensis.

Georgius Orosy m. p.

(Locus Sigilli Regii in zona crassiore sericea pendentis.)

Tenor Indorsationis:

Anno Domini Millesimo Octingentesimo Tertio, Die vero Decima Mensis May, sub decursu videlicet Judiciorum Sedrialium. Praesentem Copiam coram considente eotum Sede Judiciaria cum vero et genuino Originali suo de verbo ad verbum collatam eidem, additis marginaliter quidem „omnique conditionario Nexu et Jugo Servitutis" interlinealiter vero „Janitorum" ac tandem vocibus „Haeredibus impendenti, convocatis, Gerloich „Hoszuthoty" correctis per omnia conformem esse recognosco et attestor. Signatum Crisii Anno, Die et Mense quibus supra. Lucas Nemchich Inclyti Comitatus Crisiensis juratus Vicenotarius m. p. Considentibus Nobis Petro Svagell m. p. Vice-Archidiacono et Parocho Crisiensi, Sedriae Assessore, Joanne Bolla Eiusdem I. Comitatus Sedis Judiciariae Assessore, Georgio Lukinich m. p. I. Comitatus Crisiensis Sedis Judiciariae Assessore, Josepho Kardoss antelati Comitatus Distr. Judlium m. p., Emerico Voynovechky aliter Zokach de Voynovcz I. Comitatus Crisiensis Fiscali Magistratuali m p., Josepho Mrachich I. Comitatus Crisiensis Sub-Vicecomite m. p.

Ex duobus transsumptis, uno in Libro Donationum Regiarum Saecularium in Archivo Regni Croatiae, et altero apud Advocatum M. Mrazović asservato, excerptum.

CCVII.

Anno 1647. die 17. Junii. Posonii.

Ferdinandus III. Rex Regno Croatiae et Slavoniae de iisdem in Romano-catholica religione conservandis solemne diploma dat.

Nos Ferdinandus Tertius, Dei Gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, Marchio Moraviae, Dux Lucemburgae, superioris et inferioris Silesiae, Wierthembergae ac utriusque Lusatiae, Comes Habspurgi, Tyrolis et Goritiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Qualiter sub decursu Generalis hujus Diaetae et Congregationis Posoniensis fidelis noster Egregius Magister Joannes Zakmardi de Diankovcz, Protonotarius Regni nostri Sclavoniae et Croatiae, ejusdemque Ablegatus ad ipsam Diaetam Nuncius, suo et annotatorum Regnorum nomine, uti ex fidedigna nonnullorum fidelium nostrorum relatione accepimus, in negotio Religionis coram Regnicolis ita sese declarasset, quod annotatum Regnum nostrum Croatiae et Sclavoniae vagam et fluctuantem, liberamque, ut vocant, Religionem habere nollet, sed potius uni certae Catholicae Romanae fidei, sicut hactenus ita etiam in posterum, inhaereret et semper inhaerere vellet, supplicando Maiestati nostrae perquam humillime: quatenus nos sinceram hanc Fidei declarationem et Catholicae Romanae Religioni adhaesionem ratam, gratam et acceptam habere, et auctoritate nostra Regia confirmare et ratificare, et insuper universos Status et Ordines praemissorum nostrorum Regnorum Croatiae et Sclavoniae in una certa Catholica Religione conservare, gratiosumque nostrum Diploma superinde elargiri clementer dignaremur. Unde nos singulari illo, quo erga Catholicam Religionem obligati sumus et sponte ducimur zelo et affectu inclinati, memoratam dicti Nuncii declarationem unique certae et verae Catholicae Romanae Religioni adhaesionem pro annotato nostro Sclavoniae et Croatiae Regno ratam, gratam et acceptam habentes, de plenitudine auctoritatis nostrae Regiae ratificamus, roboramus et confirmamus. Et insuper fideles nostros universos eorundem Regnorum nostrorum Status et Ordines praesentes et futuros nostro et successorum nostrorum videlicet Hungariae Regum nomine in verbo nostro Regio assecuramus: quod eosdem Status et Ordines memoratorum Regnorum nostrorum Croatiae et Sclavoniae in vera ipsorum Catholica Romana Religione non modo non impedire, sed potius manutenere et conservare tenebimur et memorati successores nostri tenebuntur et erunt obligati. Harum nostrarum secreto Sigillo nostro, quo ut Rex Hungariae utimur, in pen-

denti comunitarum vigore et testimonio Litterarum. Datum in Arce nostra Regia Posoniensi die decima septima Mensis Junii Anno Domini Millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo. Regnorum nostrorum Romani undecimo, Hungariae et reliquorum vigesimo secundo, Bohemiae vero Anno vigesimo.

Ferdinandus m. p.

Georgius Szelepcsény m. p.
Electus Episcopus Nitriensis

Georgius Orosy m. p.

(Locus Sigilli Regii, in zona sericea coloris albi, cerulei, flavi, et rubri pendentis.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 139.

CCVIII.

Anno 1670. die 6. Augusti. Viennae.

Leopoldus Rex se Banum brevi nominaturum aliisque postulatis SS. et OO. remedium laturum promittit.

Leopoldus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus ac Germaniae Hungariae Bohemiae etc. Rex.

Reverende, Honorabiles, Spectabiles Magnifici, Egregii et Nobiles, Prudentes item ac Circumspecti, fideles Nobis dilecti. Tam iis, quae per Ablegatos Vestros, fideles utpote nostros, Egregios Ludovicum Vagich, Zagrabiensis et Crisiensis, nec non Franciscum Ladanyi, Varasdiensis Comitatuum Juratos Notarios, penes Literas Credentionales oretenus, quam etiam per certas alias quasdam Literas Vestras, medio eorundem transmissas nobis praesentanda habuistis clementer intellectis, etiamnum priori benignae nostrae in negotio Banatus officii factae resolutioni inhaerendum, et consequenter collationem eiusdem aliquantisper adhuc suspendendam esse duximus: Fidelitates vestras in eo assecurantes, beneque de nobis sperare cupientes, quod rationibus vestris praetacto in negotio allegatis Vos quoad idem Officium brevi paterne declaraturi, et circa alia quoque postulata vestra condigna et opportuna quamprimum adhibituri simus remedia, ita ut publicae quieti et tranquillitati juribusque ac libertatibus Vestris illibate conservandis, paterno affectu a nobis provisum esse certo cognoscatis. Interim autem nulli dubitamus quin exiguam hanc moram aequo laturi sitis animo. Gratia

nostra Caesarea et Regia vobis in reliquo ingiter propensi manentes. Datum in Civitate Nostra Vienna die sexta Mensis Augusti Anno Domini 1670.

Leopoldus m. p.

Thomas Palffy m. p.
Electus Episcopus Nitriensis.

Stephanus Orban m. p.

Ex Protocollo Regni Congregationum. Nro. 3.

CCIX.

Anno 1671. die 7. Jannuarii. Viennae.

Leopoldus Rex quosdam Nobiles, Zrinii et Frangepani asseclas, in gratiam recipit, idque SS. et OO. notum reddit.

Leopoldus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae &c. Rex.

Reverende, Honorabiles, Spectabiles, Magnifici, Egregii et Nobiles, Prudentes item ac Circumspecti, fideles Nobis dilecti. Benigne vobis intimatum esse voluimus, fidelem nostrum nobis dilectum Consiliarium, Camerarium et Generalem Excubiarum Praefectum, nec non Confiniorum nostrorum Croaticorum Maritimorumque Collonellum, Spectabilem et Magnificum Joannem Josephum Comitem ab Herberstain, Francisco Berislavich, Caspari Cholnich, Ladislao Chernkoczy, Georgio Gotthal, Stephano Gereczy, Georgio Mallinich, Balthasari Pogledich et Joanni Kamenian, vigore proclamatis, contra Comites a Zrin et Frangepani, die vigesima Mensis Martii Anni recenter evoluti, emanati, dum videlicet partes eorundem Comitum deserrendo subito sese cum suis ad signa praefati Comitis ab Herberstain contulissent, erroremque, quem ab initio falsa praememoratorum Comitum a Zrin et Frangepani persuasione commiserant, per hoc correxissent, nomine nostro, ex benigna tamen annuentia et Commissione nostra, gratiam et absolutionem promisisse dedisseque; quam promissam et simul etiam datam Nos quoque, habitis praeviis sufficientibus a fidelibus nostris intimis Graecensibus Consiliariis desuper informationibus, de Regiae Nostrae potestatis ple-

nitudine et gratia speciali clementer confirmavimus, illosque ab omni Rebellionis suspicione absolvimus, nec non singulis eorundem in pristinum statum tam circa honores et dignitates, quam etiam Bona hunc in modum restituimus, ut iis eadem confiscata Bona (exceptis fructibus medio tempore perceptis) per Cameram nostram Hungaricam quandocunque restituantur atque resignentur. Confidentes eosdem Caesaream, ac Regiam hanc benignitatem, gratiam et clementiam Nostram profunda animorum submissione agnituros, debitaque fidelitate ac devotione sua quibusvis affulgentibus in occasionibus omnino reposituros, vel maxime autem se imposterum a nemine seduci aut detineri passuros, verum ad ultimum usque vitae halitum fideles et obsequentes subditos exhibituros. Alioquin hanc gratiam et absolutionem nostram iis modo praemisso factam minime volumus suffragari. Quocirca fidelitates vestras harum serie benigne hortamur, firmiter mandantes, quatenus amodo deinceps praefatos Berislavichium, Cholnichium, Chernkoczium, Gotthalium, Gereczium, Mallinichium, Pogledichium et Kamenianum pro veris fidelibus nostris agnoscere ac tenere neque iis Notam hanc ullo unquam tempore quovis modo objicere, vel exprobrare velitis ac debeatis. Secus itaque nullatenus facturi. Gratia Nostra Caesarea et Regia vobis in reliquo clementer propensi manentes. Datum in Civitate nostra Vienna die decima Mensis Januarii. Anno Domini Millesimo sexcentesimo septuagesimo primo.

Leopoldus m. p.

Thomas Palffy m. p.
Electus Episcopus.

Stephanus Orban m. p.

A tergo:

Lectum et Compositum cum Originali per me Magistrum Nicolaum Pathatich de Zaiezda, Prothonotarium Regni. Idem.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 110.

CCX.

Anno 1673. die 29. Januarii. Viennae.

Privilegium a Leopoldo I. Rege oppido Cirkveno, tardius Confinio militari via facti incorporato, concessum.

Nos Leopoldus Dei Gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex &c. Archidux Austriae &c. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis. Quod cum ampla Principum liberalitas in munificentia & benemeritorum suorum subditorum remuneratione consistat, recte ac sapienter a vetustissimis Imperatoribus & Regibus factum esse judicamus, dum singulos secundum merita amplitudine beneficiorum prosecuti sunt. Quos sicut in aliis optimo Principe Dignis virtutibus, ita hac quoqne in parte libenter imitamur, & propterea ad universorum cum praesentium, tum futurorum notitiam harum serie volumus pervenire: Quod fideles nostri strenui incolae ac inhabitatores universi Oppidi, Castellique & Territorii Czirqueno omnino in Regno nostro Slavoniae & Comitatu Crisiensi existentes habiti, alias quidem antea ad fidelem nostrum, Nobis dilectum Spectabilem & Magnificum Joannem Josephum Comitem ab Herberstein, Liberum Baronem in Neuberg & Guettenhag, Dominum in Lankovicz &c., Camerarium & Consiliarium nostrum spectantis, Majestati Nostrae humillime repraesentarint; qualiter videlicet idem Comes dictum Oppidum, Castellumque ac Territorium simul cum omnibus pertinentiis, Colonis, Inquilinis, terris arabilibus cultis & incultis, agris, pratis, campis, pascuis, pascuationum locis, foenetis & foenilibus, sylvis, nemoribus, montibus, collibus, vallibus, vineis, vinearumque promontoriis, juribus Montanis, Teloniis, Jure gladii, nundinis, metalibus, pontibus, aquis, fluviis, piscinis, piscaturis, pisciumque clausuris, aquarum decursibus, molendinis & eorundem locis, generaliter vero quarumlibet utilitatum ac pertinentiarum suarum, integritatibus, quovis nominis vocabulo vocitatis, ad praenotatum Oppidum, Castellumque ac Territorium Czirkueno de jure & ab antiquo spectantibus & pertinere debentibus, iisdem Oppidanis & Incolis, ipsorumque haeredibus & posteritatibus utriusque sexus universis in & pro florenis Rhenensibus septem millibus, certis, et iis rationabilibus de causis, modisque ac motivis ipsum ad id inducentibus, mediantibus certis litteris fidelium nostrorum Honorabilium Capituli Ecclesiae Zagrabiensis Fassionalibus eatenus sub authentico ejusdem sigillo confectis & emanatis, coramque Cancellaria Nostra Hungarica Aulica in Specie productis, dedisset, vendidisset ac inperpetuasset, Dominiumque illorum de manibus suis, per manus ipsorum Oppidanorum & Incolarum mox & ipso facto apprehendere permisisset, jure perpetuo & irrevocabiliter tenentium, possidentium pariter & habentium, nihil

juris, nihilque Dominii aut proprietatis pro se aut suis, quorum scilicet onera in se assumpsisset, reservando, sed totum et omne jus suum, omnemque juris & Dominii proprietatem, quod & quam in praetacto Oppido, Castello ac Territorio Czirkueno, cunctisque eorum pertinentiis habuisset, aut suos, quos supra in futurum habere posse sperasset, in praememoratos Oppidanos & Incolas ipsorumque praenominatos universos transtulisset, derivando & derivasset transferendo, pleno jure et reali cum affectu. Ac insuper universas literas & litteralia instrumenta factum Oppidi, Castelli ac Territorii jam fatorum, pertinentiarumque eorundem universarum tangentium & concernentium, manibus Oppidanorum & incolarum illorum tradidisset & assignasset, prouti tradidit & assignavit, eosque tali pacto ab omnibus colonialibus Servitiis & Obligationibus eliberasset ac emancipasset, eliberavitque & emancipavit. Unde supplicatum exstitit Majestati Nostrae, pro parte mentionatorum Oppidanorum & Incolarum debita cum Instantia humillime, quatenus eosdem, in iisdem Oppido, Castello ac Territorio, universisque eorum pertinentiis, nec non privilegiis, libertatibus, juribus ac immunitatibus in se per antelatum Comitem ab Herberstein modo praevio translatis, non solum conservare, verum etiam in numerum ac ordinem reliquorum Regiorum & Liberorum Regni Nostri Hungariae partiumque ei adnexarum Oppidorum adscribere & cooptare, tituloque Regii ac Liberi Oppidi Nostri exornare, denique in peculium Nostrum ad instar Civitatis Nostrae Montis Graecensis Zagrabiensis, aliarumque Regnorum Nostrorum Croatiae & Sclavoniae Civitatum recipere, eosque cunctis illarum Privilegiis ac immunitatibus frui permittere dignaremur. Quorum nos humillima Supplicatione Regia benignitate exaudita, Clementer & admissa, eosdem in praemissis omnino conservare, iisque libere uti permittere, ac per alios, quorum interest vel intererit conservari, utique permitti facere volumus. Et insuper cerae viridis in sigillando, et quavis sigilli eorum authentici, Tempellum nempe unum & turriculam cruce insignitam, hacce cum circumscriptione: *Sigillum Oppidi Regii Czirkueno,* repraesentantis impressione, quo scilicet imposterum futuris semper temporibus tam ipsi, quam posteri, successoresque illorum universi, uti valeant, clementer concedimus. Et nihilominus benignum habentes respectum fidelitatis ac fidelium servitiorum & constantiae ipsorum, impraesentiarum usque, tam pacis, quam belli temporibus, Augustae Domui Nostrae Austriacae inviolabiliter conservatae, ex speciali gratia nostra volumus ac decernimus, quatenus iidem, dictique posteri & successores ipsorum, non modo Privilegiis ac immunitatibus illis per praedeclaratum Comitem ab Herberstein in se, eo, quo praemissum est modo translatis, sed illis quoque universis Statutis, libertatibus Juribus & Consvetudinibus, quibus alia Oppida nostra Regia, potissimum autem praetactorum Regnorum nostrorum Croatiae & Sclavoniae Civitates nostrae, tam juxta Privilegia ipsis a Divis quondam Hungariae Regibus, praedecessoribus Nostris colendissimis gloriosae reminiscentiae concessis, quam constitutiones & Leges eorumdem Regnorum Nostrorum utuntur, fruuntur et gaudent, perpetuis semper temporibus libere uti, frui & gaudere, Judicemque & Senatum ac alios etiam Officiales, ad instar earundem Civitatum Nostrarum creare & constituere possint. Quo autem erga ipsos Oppidanos & Incolas, ob conservatam nobis praerepetitam fidem ac fidelitatem suam, Nostrae gratiae ac Clementiae adhuc uberius exstet testimonium, ad devotam & humillimam eorumdem instantiam ac certorum fidelium Nostrorum, praesertim vero Supranominati Comitis ab Herberstein penes

ipsos factam intercessionem & recommendationem, habito etiam Camerarum Nostrarum Aulicae & Hungaricae superinde voto ac opinione, de Regiae nostrae potestatis plenitudine eosdem Oppidanos & Incolas in numerum ac ordinem aliorum Liberorum Regiorumque Oppidorum Nostrorum recipiendos, aggregandos & Oppidum Nostrum Regium, quod felix faustumque Deus O. M. esse velit, nominandum ac intitulandum duximus, statuentes & clementer ac per expressum decernentes, ut iidem Oppidani & Incolae a modo deinceps futuris ac perpetuis semper temporibus, cum praespecificatis omnibus bonis, ad praenotatum Oppidum, Castellumque ac Territorium Czirkueno de Jure & ab antiquo spectantibus & pertinere debentibus, pro Libero ac Regio Oppido nostro, instar aliorum Oppidorum Nostrorum, ab omnibus fidelibus subditis & Regnicolis nostris Hungariae, Croatiaeque & Sclavoniae agnosci, scribi, dici, nominari ac intitulari debeat. Ita tamen & ea conditione, ut ipsi Oppidani & Incolae Czirkuenovienses sese in omnibus Oppidis, Civitatibusque nostris Liberis ac Regiis conformare & ab ingratitudinis ac infidelitatis nota & macula, sub poena amissionis & ablationis hujus ac aliorum praemissorum omnium Privilegiorum & libertatum suarum, quam ipso facto incurrent, perpetuo sibi cavere, hocque insigne beneficium & non vulgarem gratiam & clementiam nostram, in ipsos collatam de nostra Majestate & consequenter praetitulata Augusta Domo nostra, haeredibusque & successoribus nostris legitimis nimirum Hungariae Regibus omni fide, constantia & fidelitate jugiter demereri studere debeant ac teneantur. Imo conservamus, anuimus, concedimus, recipimus, annumeramus, adscribimus, cooptamus, exornamus, nominamus, intitulamus, statuimusque ac decernimus; praesentibus Privilegii Nostri patrocinio mediante. Salvo jure alieno. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam hasce Litteras nostras Privilegiales secreto sigillo Nostro, quo ut Rex Hungariae utimur impendentis munimine roboratas, saepefatis Oppidanis & Incolis Czirkuenoviensibus, ipsorumpue posteris & successoribus universis perpetuo valituras gratiose dandas duximus & concedendas. Datum per manus fidelis Nostri, nobis dilecti, Reverendi Thomae Pálffy ab Erdöd Episcopi Ecclesiae Nitriensis, locique & Comitatus ejusdem supremi ac perpetui Comitis, Consiliarii Nostri & per Suprafatum Regnum Nostrum Hungariae Aulae Nostrae Cancellarii, in Civitate nostra Vienna Austriae, die vigesima nona Mensis Januarii, Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio. Regnorum Nostrorum Romani decimo quinto, Hungariae & reliquorum decimo octavo, Bohemiae vero anno decimo septimo.

Leopoldus m. p.

(L. S.)

Thomas Pálffy m. p.
Episcopus Nitriensis.

Stephanus Orbàn m. p.

A tergo:

Anno Domini Millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto, die duodecima Mensis Februarii, in generali Dominorum Statuum & Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae Congregatione Varasdini celebrata, praesentes

Litterae Privilegiales praesentatae, publicatae & acceptatae sunt, solo duntaxat egregio Budor ex parte sua & reliquorum foeminini sexus hominum Familiae Kerechenianae eidem Privilegio super incorporatione & acceptatione contradicente.

Magister Ludovicus Vagics de Nagy Mlaka m. p.
Protonotarius Regni.

Ex supplici Libello L. et R. Oppidi Cirkveno, Comitiis Regni Hungariae porrecto et typis vulgato.

CCXI.

Anno 1673. die 30. Julii. Viennae.

Leopoldus Rex stipendia pro confiniaria militia promittit; Locumtenentem Bani ultro quoque suo officio fungi vult; renovationem diplomatis de fidelitate Croatorum spondet.

Reverende, Honorabiles, Spectabiles, Magnifici, Egregii et Nobiles, Prudentes item ac Circumspecti, fideles nobis dilecti. Ea omnia, quae tam per Litteras Supplicesque Libellos, quam per Ablegatos Vestros Maiestati nostrae diebus hisce praeteritis demisse proponenda repraesentandaque habuistis, clementer intelligentes, hoc ut sequitur modo nosmet eatenus punctatim resolvimus.

Et primo quidem quoad Militiam nostram confiniariam ad pristinum numerum redigendam, solutionemque illius maturandam et accelerandam, eandem haud ita pridem ad Mille Capita reductam pro vigiliis obeundis Regnorumque horum nostrorum defensione, modo in locis Stationum suarum et Praesidiis Nostris constanter permaneat, sufficere posse iudicantes, Camerae Nostrae Aulicae serio commisimus, ne solutionem illam confiniariam ullo modo amplius differat, verum ad debita sua loca praetacta videlicet nostra Confinia propediem expediat et pro futuro de medio in medium Annum ordinarium Militem nostrum Confiniarium exolvat. Cui benignae Nostrae dispositioni et Mandato eandem Cameram Nostram ex debito officii sui rite satisfacturam nulli dubitamus.

Secundo circa Officium Banatus. Cum modernus eiusdem Locumtenens fidelis utpote noster Spectabilis et Magnificus Comes Nicolaus Erdödy de Monyorokerek, Montis Claudii et Comitatus Varasdinensis perpetuus Comes, Praesidii Nostri Petrinensis Supremus Capitaneus, Camerarius et Consiliarius noster, idem officium cum plenaria authoritate effective et actualiter exerceat, fidelibusque nostris Regnicolis vigore huiuscemodi sibi concessae authoritatis Juris et Justitiae complementum administrare valeat, ideoque in solo duntaxat nomine sit differentia, nihil pro nunc hac in parte immutari, verum tali quoque modo et sub

dicto praefati Locumtenentis titulo mentionatum exerceri posse Banatum. Unde prioribus benignis nostris eatenus factis Resolutionibus etiamnum inhaerendum statuimus.

Tertio, quantum porro petitum a nobis ex parte vestra diploma concernit, plurima, eaque rara illibatae Fidelitatis et Constantiae vestrae argumenta cum alias semper, tum vero hisce proxime praeteritis pernitiosarum seditionum temporibus luculenter declarata gratissima mente recolentes, clementer quidem annuimus, ut diploma illud a Sua Sacratissima quondam Caesarea Regiaque Maiestate Domino Genitore Nostro desideratissimo Gloriosae reminiscentiae Vobis concessum, pro moderno rerum Statu immutari, renovari, confirmari possit.

Quarto demum ac ultimo quoad tuitionem ac defensionem Privilegiorum, Juriumque ac Immunitatum vestrarum. Ea quoque in parte condignam Vestrum omnium rationem habentes, per Cancellariam nostram Austriacam Aulicam et Consilium Bellicum iam ubique, debitis nimirum in locis, intimari publicarique fecimus, ne Vobis aut Vestrum alicui in Juribus suis nobilitaribus ullum per Militiam nostram Germanicam praeiudicium adferatur vel generetur. Per hoc enim quod Nobilis Michael Mikula tanquam seditiosus et criminis laesae Maiestatis aliqua in parte reus Jureque Regio captus et incarceratus fuisset, nihil praerogativis Jurisdictionique Vestrae derogatum esse vobis persvasum habere velitis.

Et haec erant, quae fidelitatibus Vestris, eo quo praemissum est modo ac ordine, responsi loco breviter insinuanda intimandaque habuimus. Iisdem in reliquo gratia nostra Caesarea et Regia iugiter propensi manentes. Datum in Civitate nostra Vienna die trigesima Mensis Julii. Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo tertio.

Leopoldus m. p.

Thomas Pallfy m. p.
Episcopus Nitriensis.

Stephanus Orban m. p.

Originale in Archivo Regni Croatiae.

CCXII.

Anno 1677. die 9. Augusti. Viennae.

Leopoldus Rex SS. et OO. significat, se necdum posse votis eorundem nominatione realis Bani satisfacere.

Reverendo, Honorabilibus, Spectabilibus, Magnificis, Egregiis et Nobilibus, Prudentibus item ac Circumspectis N. N. Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae universis Statibus et Ordinibus etc. Fidelibus nobis dilectis.

Leopoldus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae Rex. Reverende, Honorabiles, Spectabiles, Magnifici, Egregii et Nobiles, Prudentes item ac Circumspecti, Fideles nobis dilecti. Ea, quae fidelitates vestrae penes literas Credentionales, medio certorum Ablegatorum suorum, utpote fidelium itidem nostrorum, Honorabilis ac Magnifici Alexandri Ignatii Mikulich de Brukonowcz, Archi-Diaconi Cathedralis et Canonici Capituli Ecclesiae Zagrabiensis, nec non Egregii Petri Antolchich, Vice Comitis Comitatus Crisiensis, occasione fidelis aeque nostri Locumtenentis Bani Comitis Nicolai Erdeödy de Monyorokerek &c. plenario Banali titulo et munere decorandi Maiestati nostrae demisse exhibitas, repraesentata esse voluerunt, benigne intelleximus.

Et quamvis benigna mens nostra et intentio ea fuerit, ut pro Paterno, quo erga Fidelitates vestras et vestrum singulos ferimur favore et affectu, omnia illa, quae ad salutem et permansionem libertatumque ac immunitatum vestrarum conservationem spectare videntur, debitis ac optatis proficiant incrementis; Demissa tamen iterata vestra ratione dicti Banalis Officii ad pristinum suae integrae plenitudinis et nominis statum reducendi instantia, quominus hic et nunc admitti, quin potius tantisper suspendi debuerit, praegnantes quaedam ac maioris importantiae et indaginis rationes obstiterunt.

Interim curae nostrae erit, ut memoratum Officium absque longiori dilatione, uti nempe nobis opportunum magis et expediens visum fuerit, Personae a vobis recommendatae, utpote praenominato Comiti Nicolao Erdeödy, ob praeclara etiam ipsius et Illustris Familiae suae benemerita, modo supradeclarato conferatur, fidelitatesque Vestrae experiantur, quam specialem illibatae earundem erga nos et Augustam Domum Nostram Austriacam multis argumentis contestatae fidelitatis et constantis devotionis servemus memoriam et respectum. Gratia benignitateque nostra Caesarea et Regia iisdem fidelitatibus vestris in reliquo iugiter propensi manentes. Datum in Civitate nostra Vienna die nona mensis Augusti Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo Septimo.

Leopoldus m. p.

Thomas Palfy m. p.
Episcopus Nitriensis.

Stephanus Orban m. p.

Ex Protocollo Regni Congr. in Archivo Regni Croatiae asservato.

CCXIII.

Anno 1680. die 27. Aprilis. Viennae.

Leopoldus Rex SS. et OO. hortatur, ut quo majore numero contra Turcas insurgant seseque copiis belliducis Leslie adjungant.

Leopoldus Dei Gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae &c. Rex.

Reverende, Honorabiles, Spectabiles item ac Magnifici, nec non Egregii et Nobiles, Fideles Nobis dilecti. Durantibus adhuc imo ingravescentibus magis Belli Turcici motibus, summe necessarium esse iudicavimus, ut maiori, quo fieri poterit numero, auctus Exercitus Christianus ad fluvium Dravum rursus constituatur; intuitu cuius avitam generositatem et virilem ac heroicam in perniciemque perfidi hostis illius Turcae semper promptum et alacrem animum Vestrum considerantes, intermittere nequivimus, quin ad renovandum hunc continuandumque iusti furoris impetum, ad intersurgendum videlicet iterum contra praedictum truculentum hostem vos denuo hortaremur et paterne admonemus, spe firma freti, quod promissionis Vestrae, quam in abducto nuper illic hybernante, et aliis Fidelibus nostris satis iam antea et ultra vires aggravatis, superinducto Milite Nostro Germanico nobis dedistis, ita et innatae heroicae Virtutis vestrae memores, praesentem adipiscendae gloriae occasionem, seposita omni cunctatione una Arma et ferrum prompte atque avide sitis arrepturi.

Unde vos hisce paterne requirendos esse duximus, serio etiam iisdem committentes: quatenus penes intimum Consiliarium nostrum et Camerarium inferiorisque Austriae Consilii Aulae Bellici Praesidem, Campi Mareschalum et constitutum Collonellum, Jacobum Comitem de Leszlie, pro gloria Gentis Vestrae cum Copiis Vestris, Armis aliisque ad belligerendum quam optime instructi, insurgere, praetactumque christianum exercitum numeroso milite augere, et ipsi operationibus consveta correspondentia mediante pro viribus ita assistere velitis ac debeatis, ut conatus hostium non solum reprimi semper, sed ipse hostis etiam auxiliante Divino Numine coniuncta virtute vestra gloriose profligari valeat. Facturi estis in eo rem Officio suo congruam, deffensioni Patriae proficuam, et praememoratae promissioni Vestrae conformem, vobis vero totique Christianitati summe gratam atque acceptam. De reliquo vobis Caesarea et Regia Gratia Nostra

benigne propensi manentes. Datum in Civitate nostra Vienna Austriae die Vigesima Septima Mensis Aprilis Anno Domini M.D.C.LXXX.

Leopoldus m. p.

(L. S.)

Joannes Gubasoczy m. p.
Archiepiscopus Collocensis.

Joannes Maholany m. p.

Orig. in Archivo Regni Croatiae.

CCXIV.

Anno 1681. die 1. Novembris. Sopronii.

Leopoldus I. Rex Nuncios Regni Croatiae et Slavoniae in Diaeta Regni Hungariae contra conclusionem ejusdem intuitu Augustanae et Helveticae confessionis solemniter protestatos fuisse testatur.

Nos Leopoldus Dei Gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque &c. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Moraviae, Comes Habspurghi, Tyrolis et Goritiae &c. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis. Quod Feria secunda proxima post Dominicam decimam octavam Sacrosanctae et individuae Trinitatis in Anno modo labente Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo primo proxime transacta, praeteritam hic in Libera Regiaque Civitate nostra Soproniensi et Comitatu nominis eiusdem adiacente habita, sub Termino videlicet Generalis praedicti Regni nostri Hungariae et Partium eidem annexarum Diaetae, universis fidelibus nostris Statibus ac Ordinibus in diem vigesimam octavam praeterlapsi Mensis Aprilis in eandem Civitatem nostram pro pertractandis publicis attacti Regni nostri Hungariae et Partium praescriptarum negotiis per Maiestatem nostram Regiam clementer indictae ac promulgatae, fidelis noster Egregius Magister Petrus Antolchich, praelibatorum Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Protonotarius, uti etiam eorundem Regnorum nostrorum ad praesentem Generalem Diaetam Ablegatus Nuncius, e medio reliquorum Regnicolarum nostrorum nostram personalem exurgens in praesentiam, per modum solennis Protestationis, Contradictionis, Inhibitionis et Prohibitionis tam suo, quam annotatorum Principalium suorum nominibus et in personis detexit et significavit, detegique et significari curavit hunc in modum. Quod cum videlicet certa quaedam praetensa Augustanae et Helveticae Confessionis addictorum gravamina in re et negotio Religionis ipsorum concinnata publico in Consessu attactorum Regnicolarum no-

strorum proposita fuissent, ac ex parte quoque Maiestatis nostrae Regiae secutae eatenus benignae Resolutionis puncta seu Capitulationes iisdem Augustanae Helveticaeque Confessionis addictis pro bono pacis et tranquillitate praefati Regni nostri Hungariae, eiusdemque paterna cura et sollicitudine nostra gratiose impertitae perlecta exstitissent. Extunc idem Magister Protonotarius, interposita eatenus solenni protestatione de non consentiendo in eandem benignam Resolutionem nostram eiusque universa Puncta et quaslibet Capitulationes, neve eadem et eaedem de praenotatis Regnis nostris Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae intelligantur, ne quidquam Juribus ipsius protestantis et dictorum Principalium suorum praeiudicare possit et valeat quoquo modo de praesenti vel etiam in futurum. Qua eiusmodi exaudita et bene intellecta, praementionatorum Augustanae et Helvecticae Confessioni addictorum Ablegati et Plenipotentiarii protestationi ibidem una cum caeteris Regnicolis in Domo Consessus soliti existentes, nihil se in praelibatis Regnis nostris Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae quoad praemissa gravamina, postulationes et Instantias suas et suorum Principalium, praeviaeque benignae Resolutionis nostrae Puncta et Capitulationes, inductionesque aut quascunque excogitabiles interpraetationes et formalitates, sanciendos denique forsitan superinde articulos, Leges vel Statuta postulare, aut quovis sub praetextu vel colore habere velle, multo minus praetendere uno ore conclamantes respondissent, unanimique voce et voto assecurassent, imo sponte ac benevole ultroque in eandem antelati Protestantis contradictionem, Inhibitionem et protestationem modo, quo supra, factam consensissent, eandemque acceptando ratam, gratam atque firmam pronunciassent. Unde tam coram Eadem praesentia nostra Regia, quam et antelatis universis Statibus et Ordinibus iterum atque iterum superinde solenniter protestando, universis et singulis praeviae benignae Resolutionis nostrae punctis et capitulationibus nostris contradixisset, eademque et easdem prohibuisset et inhibuisset, prout protestatus fuisset contradicendo, inhibendo et prohibendo contradiceret, denique et inhiberet prohiberetque protestando palam, publice et manifeste. Harum nostrarum Sigilli nostri Judicialis et authentici, apud praememoratam praesentiam nostram habiti, munimine roboratarum vigore et testimonio Litterarum mediante. Datum in praeattacta Civitate nostra Soproniensi pro Festo omnium Sanctorum Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo primo supranotato.

Leopoldus m. p.

(Locus Sigilli Judicialis Regii.)

In dextro inferiori margine.

Lecta et extradata per me Stephanum Orban Altetitulatae Suae Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Personalis Praesentiae in Judiciis Locumtenentem et Consiliarium m. p.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 140 $^{1}/_{2}$.

CCXV.

Anno 1683. 21. Julii. Passaviae.

Leopoldus Rex Banum requirit, ut quo majores copias in Regno colligat, quae a Turcis obsessae Viennae in auxilium mitti possent.

Leopoldus Diuina fauente clementia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus.

Spectabilis ac Magnifice, fidelis Nobis syncere dilecte. Notum erit, hostiles Turcarum et Tartarorum copias, rupto ad Arrabonem passu, non solum partem Regni Hungariae, sed etiam Austriae vndequaquam caede, incendio, rapina, adeoque ferro flammaque cuncta devastasse, et tandem numerosum Exercitum Turcicum vsque ad maenia ciuitatis Viennensis penetrasse, quae etiamnum ex aliquot suggestibus tormentis quattuntur, Praesidio nostro interea se valorose defendente. Nunciatur, omnes ferme, paucis exceptis, in regno Hungariae manus dedisse, atque ad contrariam inclinare partem.

Nos autem continuo fidelitatis et erga Nos Domumque Nostram Austriacam deuotionis studio, quo praedecessores Vestri claruerunt et Vosmet semper hucusque pari fervore et zelo exhibuistis, totiusque Regni Croatiae constantiae confisi, benigne speramus, hoc periculoso et turbulento tempore ex amore etiam Religionis, una cum Magnatibus alijsque statibus Regni, nullotenus a Nobis recessuros, sed firmos tam fide quam valore mansuros, aliorum infidelium obtrectatione spreta et non curata.

Praestolamur auxiliares copias non solum ex Regno Poloniae, sed etiam ab Electoribus et circulis Romani Imperij, mox adventuras, quibus armis Nostris accedentibus succursum et solutionem obsidionis Viennensis sumus tentaturi. Interea copias, quantas poteritis, ibidem contrahi et paratas haberi desideramus, quatenus etiam cum memoratis auxilijs coniunctae, simul operam suam militarem exhibere et operationis tam importantis effectum promouere possint. Facietis in eo officium auito Vestro Nomini conveniens et simul Nobis totique Christianitati proficuum; cedet quoque in vestri laudem et memoriam immortalem, firmiter sperantes, Deo opitulante, per copias auxiliares undique affluentes, vestramque cooperationem, breui status moderni faciem mutatam iri, futuramque occasionem, hanc Vestram singularem et deuotam contestationem, gratia Nostra Imperiali ac Regia certisque privilegiis et recompensationibus recognoscendi. Praestolamur super eo responsum vna cum opinione vestra, quomodo hanc benignam intentionem Nostram effectui mancipare existimetis. De reliquo Caesarea Regiaque gratia Nostra vos benigne complectentes. Dabantur in ciuitate Passauiensi die Vi-

gesima Mensis Julij, Anno Millesimo Sexcentesimo octuagesimo tertio, Regnorum Nostrorum Romani Vigesimo Sexto, Hungarici Vigesimo nono et Bohemiae Vigesimo Septimo.

Leopoldus m. p.

Hermanus M. Badensis m. p.

Ad Mandatum Sacrae Caesareae Majestatis proprium:

Christophorus Dorsch m. p.

Joannes Adamus Wöber m. p.

A tergo:

Spectabili ac Magnifico Comiti Nicolao Erdöedy de Monyorokerek Montis Claudij, Consiliario et Camerario Nostro, Dalmatiae et Croatiae Bano, fideli Nobis syncere dilecto.

Grätz wnd weithers wo Er anzutreffan.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congregationis a. 1683. Nr. 18.

CCXVI.

Anno 1683. 26. Julii. Passavii.

Leopoldus Rex occasione a Turcis obsessae Vindobonae maximas spes in succursum Croatorum locat.

Leopoldus Diuina Favente Clementia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus &c.

Spectabilis ac Magnifice, fidelis nobis dilecte. Non absque singulari consolatione ex Literis Vestris, decima octava huius datis, et relatione Capitanei Stephani Jellachich percepimus, vos vna cum natione Croatica paratos stare, auitam fidelitatem hoc periculoso et Turcarum, Tartarorum atque rebellium incursione turbulento tempore vsque ad vltimum halitum spiritus contestari.

Anterioribus Nostris de vigesima prima huius Vobis notificauimus, Viennam durante adhuc induciarum tempore tormentis impeti et arcta premi obsidione; propugnatur ab obsessis generose, cum non exigua, vti fertur, hostium strage; speramus continuationem huius defensionis, usque dum succursus, ex Romano Imperio promissi, et partim adventantes, praesto esse hostemque inde repellere possint.

Interea omnem confidentiam in Vos Statusque et Ordines Regni Croatiae ponimus in hac publica necessitate praedecessorum Vestrorum vestigijs insistendo, minime defuturos, quin tantisper, donec plenarius succursus simul fuerit, ope et assistentia legionum ibidem assistentium, Metternich, Aspermont, Saurau et supplementorum Sereni atque Strasoldo, hostium insultus, excursiones et pagorum incinerationes repressuros, illasque Provincias ab vlteriore ruina protecturos, etiam hostium ditiones invadendo, illasque damnificando, cum sufficiente tamen cautela et servato receptu securo; Tandem Vobis vlterius notificabitur, qua via, ratione et modo, succursus Viennae obsessae quoque ex parte Vestra promovere et adjuuare poteritis.

Inaudimus etiam Comitem Batthiani defecisse; et cum Leogradium non parum ad Insulae defensionem conferat, illud praesidium Vestrae directioni committimus, simulque Literas obedientionales ex Consilio Nostro Bellico emanatas hisce includimus; ratione religionis vero quoad illum locum pro tempore paulisper connivere poteritis.

Interea Grecium pro Commendante Militiae Nostrae expedivimus Campi Mareschalli locumtenentem Comitem Carolum de Strasoldo. qui mutua correspondentia mediante negotia militaria et Patriae defensionem sedulo promovere studebit.

Recognoscemus Suo tempore hanc Vestram Devotionis et fidelitatis contestationem singularibus Privilegijs et remunerationibus erga Vos Statusque et Ordines Regni, quos omnes et singulos interea Imperiali Regiaque gratia Nostra benigne complectimur. Dabantur Passauij die vigesima sexta Mensis Julij Anno Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo tertio, Regnorum Nostrorum Romani vigesimo quinto, Hungarici vigesimo nono, Bohemici vero vigesimo septimo.

Leopoldus m. p.

Hermanus Marchio Badensis m. p.

Ad mandatum Sacratissimae Caesareae Majestatis proprium:

Christophorus Dorsch m. p.

Joannes Adamus Wöber m. p.

A tergo:

Spectabili ac Magnifico Comiti Nicolao Erdeödy de Monyorokerek, Montis Claudij et Comitatus Varasdiensis perpetuo Comiti, Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclauoniae Bano, Camerario et Consiliario Nostro, Fideli Nobis Dilecto.

Nota Bani. Dominus Jellachich qua Ablegatus tempore modernae Reuolutionis Passauio a Sua Majestate Sacratissima die 5. Augusti ad Castra Czuin postitta (sic) Mandatum hocce apportauit 1683.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. 1683 Nr. 20.

CCXVII.

Anno 1683. 26. Julii. Passavii.

Leopoldus Rex intemeratam Croatorum fidelitatem summis extollit laudibus, eosdemque provocat, ut in unione cum aliis caesareis copiis defensioni Austriacarum et Regni Croatiae terrarum studeant.

Spectabiles, Magnifici, Generosi, Fideles dilecti. Illibatam et Continuam jnclyti Regni Croatiae fidem, et Ordinum horum jntemeratam pro re Christiana tuenda Constantiam, et Nostri Gloriosi probauerunt Praedecesores, Nosque jpsi hoc praecipue exulcerato tempore gratanter experimur. Non eos, ut reliquos, in transuersum et jgnominiosam juramenti praestiti obliuionem agit jmmanissimi Turcae Pacifragium, Non allicit jllius uenenosus Suasus in perfidorum multorum Hungarorum Coalescentem Societatem, neque deturbat eos a Statu auitae fidelitatis Turcarum praesentanea Violentia, truculenta in Regna et Provincias Nostras jruptio, aut jpsiusmet Metropolis Austriae Vrbis Viennensis obsidio, et quaquaversum illata foeda Vastatio. Gratulamur proinde Nobis de tam fidis et juramenti atque Obligationis Naturalis tam tenacibus Subditis, Vobis autem ob Vestram per omnis aetatis memoriam in toto Christiano Orbe depraedicandam Constantiam, Neque dubitamus, quin his et alijs a fidelium ope expectatis Subsidijs truculentissimi hostis perfidia in propriam Sui Confusionem proxime sit retundenda. Nequaquam enim in Solatij Vicem celare Vos uolumus, undecunque tam ex Prouincijs Nostris haereditarijs, quam ex Imperio Romano Confluere Auxilia, quibus Nostrates aductos hostem a muris Viennae, quae fortissime etiamnum hostiles insultus repellit, quin jmo ex Omnibus Austriae et Regni Nostri Hungariae partibus exturbare posse Confidimus. Adsunt in Styria quoque tres integrae legiones cum uarijs et multis Supplementis; aduenient Copiae Archi-Episcopi Salisburgensis; Consilio et gnaua sua Experientia assistet Campi Vice Marescalus Noster Comes Strasoldius, a Nobis gubernationi Vrbis Graecensis deputatus; Miles insuper Noster una cum numerosis Auxiliaribus ad radicem Montium Styriacorum sistere se cogitat, ut et Vestra facilius tueri seque cum Copijs interioribus ad succurendum obsessae Vrbis Viennensis conjungere queat. Jugis itaque et exacta Correspondentia inter Vos, Ministros Nostros Graecenses, atque ipsum Nostrum Armorum Ducem Generalem Principem Lotharingiae opus est, ut Consilijs, animis et propositis junctis pro Austriacis et Regni Nostri Croatici terris, quas uno et non dissimili affectu paterno complectimur, pro instituto et fidelitate Majorum fortissime pugnetis. Nos sane Graecensibus Nostris Consiliarijs stricte et serio commisimus, ut in omnibus Vobiscum confidentissime communicent; et quatenus prouinciae jllae pollent, ope omni possibili Vobis praesto sint et ad-

miniculentur; Prout de Vobis etiam omnino Nobis pollicemur, ut vicissim ijsdem fideliter astituri, Vosque jnuicem pari amore et fide, fraterno utique Vinculo mutuo obstrictos, Consideraturi sitis. Quibus plane freti Caesaream et Regiam Nostram Gratiam Vobis amplissimam Confirmamus.

Datum Passauij die uigesima sexta Julij Anno Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo tertio, Regnorum Nostrorum Romani uigesimo quinto, Hungarici uigesimo nono, Bohemici uero uigesimo septimo.

Leopoldus m. p.

T. A. Henr. l. b. de Stratman m. p.

Ad mandatum Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis proprium:

Joannes Georgius Koch m. p.

A tergo:

Spectabilibus, Magnificis, Generosis, Fidelibus Nobis dilectis Regni Nostri Croatiae Statibus et Ordinibus.

Orig. in Arch. Reg. Croat. Acta Regni Congr. 1683, Nr. 19.

CCXVIII.

Anno 1683. die 28. Julii. Passavii

Leopoldus Rex fidelitatem Croatorum summis extollit laudibus eosque ad fortiter hosti resistendem monet.

Reuerendi, Honorabiles, Spectabiles, Magnifici, Egregii, Nobiles, Fideles Nobis dilecti. Inter alia, quae de modernis Turcarum et Tartarorum hostilitatibus sparguntur nova, inexpectatus sane ad aures nostras pervenit rumor, potiores videlicet nonnullos Regni Nostri Hungariae Magnates et Consiliarios nostros praedictis Christiani nominis hostibus non solum ultro manus dedisse, verum cum iisdem in attacto nostro Regno Hungariae et vicinis partibus et provinciis nostris infessa simul ac inimica arma circumferri et Vos etiam in parem foedae defectionis complicitatem sollicitare. Quae res tanto acerbior nobis accidit, quod etiam ab illis promanare intelligamus, quos summis honoribus et dignitatibus condecoratos pro sinceris fidelibus semper habuimus. Leniit tamen et sublevavit conceptum ex his maiorem numerum innata vobis heroica et nunquam satis lau-

danda virtus Vestra, ac erga nos sacrumque dilecti Regni Hungariae Diadema debita observantia constantisque animi robur, integra et rara fides ac fidelitas, quam vos Nobis unanimini resolutione obtulisse, eamque hoc periculoso rerum statu ad omnem fortunae casum et eventum contra praetactos immanissimos hostes et ipsos Rebelles ad ultimae sanguinis nostri Guttae perfusione contestari velle, ex contextu ac tenore Litterarum fidelis nostri nobis sincere dilecti Comitis Bani nostri recenter ad nos datis abunde simul et hilari animo intelleximus. Ut autem sciatis Nos quoque singularem (non obstante arcta illa, qua per Turcas durante adhuc induciarum tempore premitur Civitas Nostra Viennensis) defensionis et conservationis Vestrae curam habere: Ordinavimus praeterea Graecium pro Commendante Militiae Nostrae Campi Mareschalum Locumtenentem Carolum Comitem a Strasoldo, qui habita cum attactis Comite Bano Nostro mutua intelligentia, una vobiscum et legionum ibidem existentium, Metternich, Aspermont et Sarau ac ipsiusmet Strasoldo supplementorum ope et auxilio tum militaria negotia curare, tum vero hostium conatibus se opponere, ac Patriae Vestrae defensionem sollicite promovere tantisper debeat, usque dum succursus ex sacro nostro Romano Imperio deputatus, et ab aliis etiam Christianis Regibus promissi, imo partim iam etiam adventantes, hostem a praetacta obsidione Viennensi et Succesive a cervicibus quoque nostris amovere et repellere possint. Quapropter fidelitates Vestras harum serie benigne hortamur et requirimus, quatenus avitae Virtutis vestrae memores, in fide et fidelitate Nobis et Sacrae iam fati Regni nostri Hungariae debita instar maiorum et Praedecessorum Vestrorum inconcusse imperteriteque persistere et perseverare, conatibus hostium obviare, Machinationes quascunque et insultus ipsos audacter reprimere, simulque Vos et patriam Vestram charissimam ab excursionibus et incinerationibus praeservare, omnia denique ad propulsandum hostem opportuna media curare et adhibere, ac fidelium Regnicolarum et Subditorum Officia sedulo intrepideque praestare velitis ac debeatis; Securi in eo existentes, quod non solum succursu a praedicto Sacro nostro Romano Imperio aliisque Christianis Regibus et Principibus suppeditando propediem Suppetias vobis allaturi, verum constantiam fidemque et heroicam virtutem vestram novis Caesareae et Regiae Gratiae nostrae atque clementiae argumentis uberrime contestaturi sumus. Datum Passavii die 28. Mensis Julii Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo tertio.

Leopoldus m. p.

Ex Protocollo Regni Congregationis A. 1683.

CCXIX.

Anno 1683. 7. August. Passavii.

Leopoldus Rex Banum de modo belli contra Turcas et rebelles Hungaros gerendi edocet.

Leopoldus Diuina Fauente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus.

Spectabilis ac Magnifice, fidelis Nobis dilecte. Percepimus perbenigno animo Caesareo Regioque ex litteris tuis responsorijs, de Vigesima nona praeterlapsi mensis Julij ex Castris ad Ripam Draui, ad Nos datis Zelum et constantiam firmitatemque deuotionis et fidelitatis tuae gentisque tecum Croaticae contestatam, per tot actus iam in praesentibus rerum urgentijs et calamitatibus, contra inualescentes hostium conatus et inuasiones, eundemque ulterius contestando laudabili hoc tuo impulsu, de quo tibi non tam de Patria meritorum cumulum, quam apud posteritatem magnum gloriae pondus comparere necesse est. Nos contra laborantes modis omnibus ad congregandas vires sufficientes, quae eiusmodi potentiae se opponere ualeant, speramus intra perpaucos dies arma nostra tam per proprias quam auxiliares hinc inde conquisitas copias in tantum aucta et instaurata, ut non solum redimendae Viennae, Residentiae Nostrae, ab obsidione, quam etiam reprimendis alijs hostium progressibus sese sat valide obijcere valebunt. Eam ergo in te fiduciam clementer habentes, te non minus, quod tuarum partium est, et apud gentem tibi concreditam ijsdem inuigilaturum, gratum Nobis fuit ex ijsdem suis litteris intelligere, quod desideratam et omnino necessariam bonam correspondentiam cum Consiliarijs nostris Intimis Bellicis Graecensibus hactenus seruaueris, in eadem seruatura te totaliter bene dispositum agnoscamus. Hanc ijsdem nostris Consiliarijs etiam instantius commendamus, prouti etiam nostris Ducibus et officialibus bellicis eadem demandamus, quibus dum mentem nostra circa operationes in hosticum exponimus, non minus eandem tibi hocce nostro rescripto pro mutuo cum ijsdem bona intelligentia et rerum dispositione declarare voluimus.

Desiderauerunt dicti consiliarij nostri et Duces scire, qualiter producendum esset contra hostiles insultus, potissimum ubi a parte Batthyanorum, qui a fidelitate sua deflexerunt, iam etiam ipsorum actus in incendia, deuastationes et expilationes eruperint. Demandamus itaque, ut quantocius ipsi Comiti Batthyani suisque asseclis nuncietur, sin ad eiusmodi tales enormitates ultra sese proripere tentauerit, se non minus idem experturos; et haec quidem praecavendis locorum exustionibusque interpellanda duximus; In reliquo autem, cum satis superque palam sit, non tam eiusmodi fidelitatis suae immemores Hungaros, quam Turcas ipsos communes Nostros hostes esse, sic nec dubitandum, quin non pari studio

contra ipsos agendum sit, ea tamen cum cautela, ne in similibus occasiones arripiantur, quae plus damni affere possint quam emolumenti, et ne dum bouem lucrari intendimus, prouincias integras perdamus, sed cum ea circumspectione et prudentia, unde probabiliter bonus possit sperari effectus. Haec ita dictis nostris Consiliarijs et Ducibus iniungimus, et nec tuam in hisce defuturam prouidentiam et dexteritatem non ambigimus.

Caeterum permansurae sunt nostrae copiae germanicae, ibi partium degentes, usque ad ulteriorem dispositionem; Sin autem Exercitus noster ad soluendam obsidionem Viennensem eo forte regionis moueret, qua partes illae per eundem tectae permanerent, tunc facilius erit, easdem quoque copias potiori ex parte ad eundem finem et effectum Exercitui coniungere. Et haec tibi nota voluimus, gratiam simul nostram Caesaream et Regiam perbenigne confirmamus. Dabantur Passavij die septima Mensis Augusti, anno milesimo sexcentesimo octuagesimo tertio. Regnorum nostrorum Romani Vigesimo sexto, Hungarici Vigesimo nono, Bohemici vero Vigesimo septimo.

Leopoldus m. p.

Ad mandatum Sacratissimae Caesareae Majestatis proprium:

Christophorus Dorsch m. p.

Hieronimus a Pozzo m. p.

A tergo:

Spectabili ac Magnifico Comiti Nicolao Erdöedy de Monyorokerek, Montis Claudij et Comitatus Varasdiensis perpetuo Comiti, Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bano, Camerario et Consiliario nostro. Fideli nobis dilecto.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. 1683, Nr. 22.

CCXX.

1699. die 2. Novembris. Viennae.

Leopoldus Rex prohibet, ne domini, jure gladii pollentes, malefactoribus condemnatis vitam donare praesumant.

Leopoldus Secundus, Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiaeque &c. Rex.

Reuerendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, nec non Egregij et Nobiles, Prudentes item ac Circumspecti, Fideles Nobis dilecti. Ex casu fide-

digna Relatione benigne informamur, nonnullos Dominos Terrestres Magnates ac Nobiles in hisce Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnis nostris degentes, jure Gladii, Virtute antiquorum Praedecessoribus suis benigne collatorum, vel vero recentius quoque a nobis impetratorum Privilegiorum suorum gaudentes, Malefactoribus propter eorundem Excessus captis, ac in privatis eorundem Sedibus Dominalibus in amissione Vitae convictis et condemnatis, Gratiam Vitae dare eosque impune demittere praesumere.

Quia vero Malefactoribus vel quoquomodo delinquentibus, judicialiter jn amissione Vitae convictis, Gratiam & Misericordiam facere, Jurisque vigorem lenitare, Misericordiae temperare, Soli Regiae nostrae Auctoritati & potestati jncumberet, neque licitum esset ulli Magistratui, tantominus privato alicui, ex benigna Collatione et Concessione Specialique Gratia nostra Regia Jure Gladij gaudenti, se in Jurisdictionem nostram Regiam immittere; Cum & alias etiam Ejusmodi benignae Dominationis meae, fidelibus nostris super jure Gladij elargiri solitae, id, ne eo utentes malefactores impunitos, Pecuniae vel aliarum Rerum Causa, dimittere, Gratiamque eis concedere praesumant, per expressum vetarent et prohiberent.

Proinde Vobis harum Serie firmiter praecipiendo committimus & mandamus, quatenus acceptis praesentibus, omnes & singulos Status & Ordines ac Magistratus quoscunque in medio Vestri degentes, Jurisque Gladij ex Speciali dumtaxat Gratia nostra gaudentes, Verbo nostro Regio serio monere, ijsdemque, (ut contra Malefactores captos, servato juris ordine, indilate procedant, capitaliterque convictis & sententionatis, sub amissione Privilegij sui ac insuper gravi animadversione nostra Regia Gratiam neutiquam dare praesumant aut attentent) injungere & demandare, eos vero, si qui forte hactenus id facere attentassent, facta prius Rei seria investigatione, Nobis vel Cancellariae nostrae Regiae Hungaricae Aulicae nominotenus revelare modis omnibus velitis debeatisque & teneamini. Secus non facturi. Vobis in reliquo Gratia nostra Caesareo-Regia benigne propensi manemus. Datum in Civitate nostra Vienna Austriae, die Secundo mensis Novembris, Anno Millesimo sexcentesimo nonagesimo nono.

Leopoldus m. p.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congregationum a. 1699, Nr. 18.

CCXXI.

Anno 1700. die 22. Januarii. Viennae.

Leopoldus Rex eos Regni Slavoniae incolas, qui in terris, a Turcarum dominio liberatis, jus aliquod possessionis praetendunt, coram Neoacquistica commissione comparere jubet.

Leopoldus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiaeque &c. Rex.

Reuerendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Egregij & Nobiles, Prudentes item ac Circumspecti, Fideles nobis dilecti. Quum inter reliquos Comitatus, antehac Turcis dedititios, jam vero auxiliante DEO Victoriosis Armis nostris Neoacquisitos et recuperatos, Comitatus etiam in Regnis nostris Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae situati, signanter autem Sirmiensis, Poseghaiensis, Valkoiensis, Crisiensis, Verouiticzensis, Corbauiensis & Likensis, in quantum Neoacquisiti essent, e jugo Turcico eliberati extitissent, alijsque in similibus Comitatibus Bona possidentes & praetendentes coram Commissione nostra in facto Bonorum & Locorum Neoacquisitorum, Titulorumque Possessionis eatenus edendorum seu liquidandorum, hic Viennae jnstituta, in Terminis iisdem Praefixis comparuerunt, et soli in attactis Comitatibus praefati Regni nostri Sclavoniae Bona tenentes & praetendentes ad edendos Possessionis suae Titulos restarent.

Eapropter Fidelitatibus Vestris serio ac firmiter praecipiendo committimus et mandamus, quatenus acceptis praesentibus, universos et singulos, quorumcunque Bonorum in praenominatis Comitatibus nostris situatorum Possessores, primo quoque tempore serio et peremtive admoneatis, ut pro die secunda et subsequentibus affuturi Mensis Maij cum Literalibus Instrumentis et Documentis suis sub Poena Contumaciae et perpetui Silentii coram praefata Commissione nostra ad edendos seu comprabandos Possessionis suae Titulos infallibiliter vel per se, vel per certos Mandatorios suos comparere nouerint ac debeant. Neque secus facturi. Vobis in reliquo Gratia nostra Caesareo-Regia jugiter benigne propensi manentes. Datum in Ciuitate nostra Vienna Austriae, die vigesima secunda Mensis Januarij, Anno Domini Millesimo septingentesimo.

Leopoldus m. p.

Ladislaus Mátyássovsky m. p.
Episcopus Nitriensis.

Franciscus Somogy m. p.

Ab inferiori margine

Statibus Regni Croatiae mandatur, ut admoneant Comitatus Neoacquisticos in Sclauonia adiacen. ad comparendum coram Commissione Neoaquistica pro die 2. May et subsequent.

A tergo:

Reuerendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Egregijs et Nobilibus, Prudentibus item ac Circumspectis N. N. Universis Statibus ac Ordinibus Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae & Sclauoniae &c. Fidelibus Nobis dilectis.

Varasdinum.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congregat. 1700, N. 4.

CCXXII.

Anno 1700. die 30. Septembris. Zagrabiae.

Comes Adamus de Batthyan, Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae Banus, suo et suorum successorum nomine cum SS. & OO. Regni Croatiae et Slavoniae intuitu jurium, iisdem SS. et OO. in Confinio Militari competentium, solemnia pacta init.

Nos Comes Adamus de Batthyan Perpetuus in Németh-Uyvár, Judex Curiae Regiae, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banus, Confiniorum eiusdem Regni Sclavoniae Colapianorum & Unanorum Supremus Capitaneus, Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Actualis Intimus Consiliarius, Camerarius, Partium Regni Hungariae Cis-Danubianarum et Confiniorum Canisae annexorum Generalis Capitaneus. Damus pro memoria: Quod nos consideratis et exacte perpensis tot et tantis ultra iam Saeculum pro Divis Hungariae Regibus et Augustisissima Domo Austriaca cum amplissimarum fortunarum jactura, copiosissima Sangvinis profusione, totque et tam charorum Concivium suorum caede, diuturna praeterea et sumptuosa Confiniariae Militiae aere proprio exolutione, per Inclytos Status et Ordines praefatorum Regnorum Croatiae et Sclavoniae adversus varios et plurimos Naturalis Hostis in eadem Regna insultus, in conservationem Confiniorum suorum Colapianorum praestitis servitiis, et quod deinceps quoque non modo in praefatis Collapianis, sed Vnanis quoque et Glinanis Confiniis pro modernae Suae Sacratissimae Maiestatis Caesareae et Regiae Suorumque Augustissi-

morum Successorum servitio conservandis et manutenendis propriis similiter sumptibus, curam ac solicitudinem se impensuros et eo aplicaturos prompte et resolute promisissent et declarassent. Horum itaque tam rari meriti et alti pretii operum atque servitiorum justo ex respectu, et intuitu, et ut hac infrascripta Resolutione et condescensione Nostra modernis Dominis Statibus et eorum Successoribus in vicem debitae laborum et meritorum suorum gratitudinis et recognitionis, pro ipsorum apud Nos propterea in Anno currenti, die vero vigesima nona Mensis Maii Viennae Austriae, medio Perillustris ac Generosi Domini Georgii Plemich, Sacratissimae Maiestatis Caesareae et Regiae Consiliarij ac Praefatorum Regnorum Magistri Prothonotarii, et in moderna quoque eorum Generali hic Zagrabiae celebrata Congregatione, facta Instantia, Eosdem Dominos Status et Ordines justo hoc ipsisque a pridem debito et competenti medio consolaremur, statuimus et resolvimus, promittimusque et obligamus Nos et Vniversos in praemisso Banatus Officio Successores Nostros, pro immunitate et praerogativa eorundem Dominorum Statuum et Ordinum praenominatorum Regnorum, Conditiones infrascriptas perpetuo observaturos. Primo: ne extranei in Stipendia, minus in Officia Confiniaria nunc vel in futurum praeter expressum praefatorum Dominorum Statuum et Ordinum assensum promoveantur; sed Stipendia eiusmodi et Officia Nationalibus duntaxat conferantur. Secundo: ne ammodo Officia Confiniaria incipiendo a Vayvodatu inclusive altiora ulla, praeterquam cum voto et praesentatione per Dominos Status et Ordines fienda, Subiectorum Trium in re militari expertorum, habita etiam praestitorum Servitiorum bellicorum ratione, a Nobis Comite Bano vel Successoribus Nostris conferantur. Salvo tamen et eo modo Dominorum Vice-Capitaneorum debito Interesse. Tertio: ut absente Comite Bano e Regno, Confiniorum molles et Gubernium integrale per Subalternum sibi Regnicolam cum cointelligentia et relatione ad Dominos Status sustineatur et administretur. Quarto: Dominis Statibus liberum erit et admissum, medio constituendorum et exmittendorum Commissariorum suorum annis singulis militiam Confiniariam et Praesidia, Confiniaque universa lustrare, cum Officialibus, remque militarem et suppellectilem tractantibus rationem inire, de succumbentibus Executione mediante satisfactionem (praevio tamen ad Dominum Banum desuper recursu) sibi impendere. Quinto: ut Commissariis Regni in Confiniis constitutis per Officiales et milites Confiniarios alter immediate post Dominum Banum honor et authoritas tribuatur. In quorum omnium firmitatem perpetuam inviolabiliter observandam, praesentes Litteras nostras sub authentico Sigillo nostro Banali ac manus Nostrae propriae subscriptione memoratis Dominis Statibus et Ordinibus antefatorum Regnorum extradandas esse duximus et concedendas. Datum Zagrabiae Die Trigesima Mensis Septembris, Anno Domini Millesimo Septingentesimo.

Comes Adamus de Batthyan m. p.

(*Sigillum authenticum Banale impressum.*)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae Priv. Nr. 140.

CCXXIII.

Anno 1701. die 11. Junii. Viennae.

Leopoldus Rex novas salium officinas in Croatiae et Slavoniae Regno errigit; salis marini quaestum, sub aliquibus tamen conditionibus, liberum dicit.

Leopoldus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiaeque &c. Rex.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Egregij et Nobiles, Prudentes item ac Circumspecti, fideles nobis dilecti. Siquidem in negotio Salis, nobis haud ita pridem demisse proposito, habita benignissima consideratione et intuitu, quod instante moderno Bello Italico earum Partium Passus et Trajectus maritimi, et exhinc maritima Salium Comercia. concomitatusque, perfacile praecludi, nostra Croatiae et Sclavoniae Regna necessarijs Salibus destitui vel saltem per privatos eiusmodi Salium Quaestores in pretio plus quam justo aggrauari possent: juxta mentem Articuli vigesimi Sigismundi Imperatoris .... clementer resoluissemus, quatenus ambo praefata nostra Croatiae et Sclavoniae Regna ad instar dicti Regni nostri Hungariae necessario posthac requisito Sale ex eiusmodi Salium Officinis nostris Caesareo-Regiis undequaque prouideantur; et ut eum in finem ibidem Locorum, signanter autem in Szalankamen, et Brod vel Gradiske, nec non in Siszek vel Legrad, novae quoque eiusmodi officinae Salinariae erigantur, et per Officiales nostros tam Militares quam Cameraticos manuteneantur, nec non ut illiciti abusus, e contra vero in quantum fieri poterit, pro possibili tollantur, neminique alteri istiusmodi Salis Quaestus permittantur, atque ita misera Plebs eatenus de condigno subleuetur; ita tamen ex quo Articulus quadragesimus tertius Anni Millesimi Sexcentesimi trigesimi quinti liberum Salis maritimi Quaestum erga frugum permutationem permittat, ut omnibus quidem licitum sit ex oris maritimis eiusmodi Sales in praedicta ambo Regna inducere, hocce tamen per expressum reseruato, ut ejusmodi Salium maritimorum Inductores, tales Sales suos ad Emporia Caesarea seu officinas nostras Caesareas Regias immediate deportare, neminique alteri quam eatenus constitutis Officialibus Cameraticis pro condigno Pretio diuendere, vel vero pro Frugibus cum ijsdem commutare teneantur; in quem finem etiam, et ad cujus Commutationis effectum necessaria quoque Horrea ejusmodi Frugibus adimplenda erigentur. Salem Turcicum porro quod attinet, Quandoquidem de istiusmodi Salibus in Generali Regni nostri Hungariae Decreto ne quidem mentio fiat, et ex quo horum Salium usus aliunde neutiquam concessus sit: Ideo benignissime statuimus, ne absque Sche-

dis nostris Regijs ejusmodi Sales vel emere, vel vendere, et in antellata Regna inducere vel Domi suae servare sub Poena Confiscationis absolute ulli liceat.

Quocirca Fidelitatibus vestris harum serie firmiter praecipiendo committimus et mandamus, quatenus acceptis praesentibus benignissimam hancce Caesareo-Regiam Resolutionem nostram in praefatorum Regnorum nostrorum Comitatibus debito modo publicare et obseruare, ulterioresque superinde dispositiones quanto ..... facere, modis omnibus veletis, debeatisque et teneamini. Secus non facturi. Vobis in reliquo Gratia nostra Caesareo-Regia benigne propensi manentes. Datum in Ciuitate nostra Vienna Austriae, die undecima Mensis Junij, Anno Domini Millesimo Septingentesimo primo.

Leopoldus m. p.

Originale in Archivo Regni Croatiae. Acta R. Congregationum 1701. Nr. 20.

CCXXIV.

Anno 1701. Mense Decembri. In Districtu Medjumurje.

Parochi districtus Medjumurje testantur, in eodem districtu solam linguam croaticam vigere et in administratione sacramentorum verbique divini annuntiatione adhiberi.

Nos infrascripti totius Insulae, intra Dravum et Muram fluvios consistentis, sub Dominio Arcis Chaktornya, Parochialium Ecclesiarum Rectores, ad instantiam Reverendorum Patrum Croatorum Ordinis S. Pauli Eremitae, in Monasterio Chaktornensi existentium, fatemur, attestamur et recognoscimus in fide nostra Sacerdotali per praesentes: quod in toto Districtu praefatae Insulae Dravo Muraköz, lingua unice croatica seu sclavonica sit Matrix et vulgaris, tam quoad communem usum, quam quoad Sacramenti Poenitentiae et Matrimonii administrationem, nec non praedicationem Verbi Dei ad populum, prout mox singuli nostrum declaraturi sumus, et in fidem subscripsimus Sigillisque nostris obsignavimus.

Ego Stephanus Tatarics, Parochialis Ecclesiae Sancti Michaelis Archangeli sub Arce Chaktornya Rector et Vice-Archidiaconus totius Districtus Insulae, intra Dravum et Muram existentis, Dioecesis Zagrabiensis, testor uti supra respectu omnium Parochiarum totius Insulae praefatae, Linguam Matricem et vulgarem esse Croaticam seu Sclavonicam, omnesque Rectores hujus Insulae sola lingua Croatica Sacramenta administrare ac Verbum Dei praedicare, praeter uni-

cum, qui in fine hujus Insulae vicinam Parochiam Canisae habet, ob eandemque causam non in tantum propter suos parochianos, quantum propter Canisienses Transmuranos Sacramenta quandoque Hungarico Idiomate administrat, Verbumque Dei praedicat; Meque in Parochia mea nullum poenitentem habere Hungarum, solaque lingua Croatica Poenitentiae Sacramentum et Matrimonii administrare ac Verbum Dei Populo meo praedicare; meque ipsum esse Croatam. Et in fidem subscripsi ac Sigillo meo communivi. Datum in Curia mea Parochiali Die 14. Mensis Decembris 1701.

Stephanus Tatarics, Vice-Archidiaconus Insulanus et Rector Ecclesiae Parochialis Sancti Michaelis Archangeli m. p.

(L. S.)

Ego Nicolaus Graczky, parochialis Ecclesiae Beatissimae Virginis Mariae in Coelos Assumptae in Bellicza fundatae Rector, Dioecesis Zagrabiensis, in Districtu Insulae intra Dravum et Muram existentis, testor: me in Parochia mea nullum habere poenitentem Hungarum, solaque lingua Croatica Sacramenta poenitentiae et Matrimonii &c. administrare, et Verbum Dei populo meo praedicare, meque ipsum esse Croatam. Et in fidem subscripsi ac Sigillo meo communivi. In Curia meaParochiali die 14. Mensis Decembris 1701.

Nicolaus Graczky Rector Ecclesiae Parochialis Beatissimae Virginis Mariae in Coelos Assumptae in Bellicza fundatae m. p.

(L. S.)

Ego Casparus Koczian, Parochialis Ecclesiae Beatissimae V. Mariae Natae in Possessione Szoboticza fundatae Rector, Dioecesis Zagrabiensis, in districtu Insulae intra Dravum et Muram existentis, testor: me in Parochia mea nullum habere poenitentem Hungarum, solaque lingua Croatica Sacramenta Poenitentiae et Matrimonii &c. administrare, et Verbum Dei Populo meo praedicare, meque ipsum esse Croatam. Et in fidem scripsi ac Sigillo meo communivi, in Curia mea Parochiali Die 14. Mensis Decembris Anno 1701.

Casparus Koczian, Rector Ecclesiae Parochialis B. V. Mariae Natae in Possessione Szoboticza fundatae m. p.

(L. S.)

Ego Daniel Lengyel, Parochialis Ecclesiae S. Georgii M. et M. in Spinis fundatae Rector, Dioecesis Zagrabiensis, in Districtu Insulae intra Dravum et Muram existentis, testor: me in Parochia mea nullum habere poenitentem Ungarum solaque lingua Croatica Sacramenta poenitentiae et Matrimonii &c. administrare, et Verbum Divinum populo meo praedicare, me vero esse Ungarum. Et in fidem subscripsi ac Sigillo meo communivi, in Curia mea Parochiali Die 14. Decembris Anno 1701.

Daniel Lengyel, Rector Ecclesiae S. Georgii M. et M. in Spinis fundatae m. p.

(L. S.)

Ego Joannes Orach, Parochus Ecclesiae Sancti Jacobi. Apostoli fundatae in oppido Perlak, Dioecesis Zagrabiensis, in Districtu Insulae intra Dravum et Muram existentis, testor: me in Parochia mea nullum habere poenitentem Hungarum, solaque lingua Croatica Sacramenta Poenitentiae et Matrimonii &c. administrare, et Verbum Dei Populo meo praedicare, meque ipsum esse Croatam. Et in fidem subscripsi ac Sigillo meo communivi. In Curia mea Parochiali die 15. Decembris 1701.

Joannes Orach, idem qui supra m. p.

(L. S.)

Ego Joannes Josephus Jarnich, Parochialis Ecclesiae St. Viti, Modesti atque Crescentiae M. M. fundatae in inferiori Vidovecz Rector, Dioecesis Zagrabiensis, in Districtu Insulae intra Dravum et Muram existentis, testor: me in Parochia mea nullum habere Poenitentem Hungarum, solaque lingua Croatica Sacramenta Poenitentiae et Matrimonii &c. administrare et Verbum Dei Populo meo praedicare, meque solum esse verum Croatam et non Hungarum. Et in fidem subscripsi ac Sigillo meo communivi. In Curia mea Parochiali die 15. Mensis Decembris Anno Domini 1701.

Joannes Josephus Jarnich, Ecclesiae Parochialis S. S. Viti, Modesti atque Crescentiae M. M. fundatae Rector m. p.

(L. S.)

Ego Stephanus Prekreth, Parochialis Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis in Praesidio Legrad fundatae Rector, Dioecesis Zagrabiensis, in fine Insulae intra Dravum et Muram existentis, testor: me in Parochia mea alternis diebus festis et Dominicis (tam verbum Dei, quam Poenitentiae et Matrimonii Sacramenta, toties quocies necessitas occurit) administrare, meque ipsum esse Natione Ungarum. Et in fidem subscripsi ac Sigillo meo communivi. Datum in Curia mea Parochiali die 15. Mensis Decembris Anno 1701.

Idem qui supra Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis in Legrad fundatae Rector m. p.

(L. S.)

Ego Henricus Eques de Gvaltenberg, Regni Bohemiae Provincialis, Excell. D. D. Sacko Im. Comitis de Königseeg, Consiliarius, nec non Excell. et Ill. D. Dni Marchionis de Prie, totius Insulae Muraköz bonorum ab Arce Chaktornya dependentium Conplenipotentiarius, Testor Suprascriptos Dominos Rectores vere in praenominata Insula Muraköz intra Dravum et Muram omnino in territorio et pertinentiis ad Arcem Chatornya pertinentibus commorari vulgaremque ac communem linguam esse Croaticam seu Sclavonicam. In cujus rei majorem fidem me propria manu subscipsi et Sigillo meo communivi. Chaktornyae 20. Decembris 1701.

Henricus de Gvaltenberg m. p.

(L. S.)

Ex Actis Augustianorum Fluminensium, in Archivo Regni Croatiae asservatis.

CCXXV.

Anno 1703. die 15. Junii. Viennae.

Leopoldus Rex Valachos, inter Unam, Colapim et Savum fluvios degentes, Regni Croatiae Banique jurisdictioni subjicit ac Capitneatum Petrinensem abolet.

Nos Leopoldus Divina Favente Clementia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus ac Germaniae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carnfoliae et Wirthembergae, Superioris et Inferioris Silesiae, Marchio Moraviae, Superioris et Inferioris Lusatiae, Comes Habsburgi, Tyrolis et Goritiae &c. omnibus et Singulis Valachicae Nationis, intra Wnam, Colapim et Zavum constitutis, Officialibus militaribus, Knezijs, caeterisque Gregarijs ac incolis ibidem Commorantibus, hisce benigne notum facimus. Quemadmodum hucusque nihil propensius curavimus, quam ut Valachicae Natfonis (quae ob Insignem Christiani sui Zeli impulsum excusso Turcicae Servitutis Jugo Suas intra Unam, Colapiam et Savum quietae permansionis novique Patrimonii, a nostra Maiestate Caesarea Regiaque ipsis concessas, fixerat Sedes, Salutem ac Tranquillitatem cum omni prosperitatis Civilis incremento promoveremus. Ita Sane nihil indignius experti sumus, nec quidquam maiori cum animi egritudine intelleximus, quam quod eadem Generosa Natio sinistris hinc inde persvasionibus in contrarium acta, Consilij nostri Aulae Bellici decretis publicatis debitum non gesserit morem, sepositaque Banali et Regni nostri Croatiae Auctoritate et Jurisdictione, munia sua militaria eidem concredita obire recusaverit, pluresque alias inobedientiae ac turbulentae etiam pervicatiae notas aediderit, imo in nuper demandato abhinc territorij Novensis vigore almae pacis ad portam Ottomanicam resignandi, actu cessionario, Alay Begum Bosniae, tanquam ex Parte Portae Ottomanicae constitutum eo fine commissarium, ejusque cohortes, conjunctis aliquot armatorum millibus, hostiliter prorsus pacifrage invaserit. His itaque commoti, ad avertendas quasvis ulteriores eatenus Confusiones ac mala, quae in Servitij nostri reique publicae detrimentum ex longiori rerum illis in partibus incertitudine suborire possent, gratiose resolvimus et determinavimus, accurateque executum habere volumus, ut Spectabilis et Magnificus Consiliarius intimus, Camerarius, Regni Nostri Hungariae Judex Curiae, Regnorumpue nostrorum Dalmatiae Croatiae et Sclavoniae Banus, nec non Campi Mareschali Locumtenens et fidelis nobis dilectus Adamus Comes de Batthyan, perpetuus in Nemeth Vyvar, totum illud intra Unam, Colapim et Savum situm, nostraeque Ditioni ex almae Pacis mente legitime subjectum Territorium, una cum Inhabitatoribus ejusdem omnibus cujuscunque Nationis Inco-

lis protinus nostro nomine in fidem Obedientiamque nobis debitam recipiat, et huic actui personali cum praesentia intersit, simulque universo populo Valachicho et Incolis intra praedictos fluviorum Unae, Colapis atque Savi limites constitutis, nostro itidem nomine publicari faciat, dictam mox Valachorum gentem totamque illam praedefinitam Terrae plagam, ex nunc deinceps, quoad Jurisdictionalia et Civilia quaevis ac Spiritualia immediate Regno nostro Croatiae, quoad militaria vero Consilio nostro Aulae Bellico et sub ejusdem Dispositione praefato Bano nostro ejusque subalternis officialibus perpetuo et constanter subesse debere, uti et in reliquo quidquid Terrae extra seu retro Lineam, actuali Confiniorum Custodiae destinatam, super est, quoad proprietatem et Vtilitates Camerales a Camera nostra Aulica dependere, eaque porro de Causa Supremum Capitaneatum Petrinensem, pui Generalatui Varasdinensi hucusque subiectus fuerat, quippe cum Locus ille, promotis ultra per DEI gratiam et Victricia Arma nostra Limitibus, pro Fortalitio Confiniario amplius haberi nequeat, una cum Militia ibidem existente, penitus aboleri et abrogari, idque ipsum vbivis quoad necessum fuerit, declarari atque publicari facere, Cancellariae Aulicae Interioris Austriae nostrae benigne ac serio comisimus, gravique sub Indignatione nostra poenisque rigorosissimis prohibuimus, ne quisquam modernorum Commendantum aut Officialium Varasdinensium, Coprinicensium, S. Georgij, Crisiensium, Ivanicensium, Petrinensium, aut vbivis alibi constitutorum, suprameinoratos iam Valachos aut Incolas illos directe vel indirecte versus Regni et Bani Dispositiones concitare, vel ab obedientia illis debita avertere, aut alios qualescunque modos, hanc gentem aliorsum inducendj suggerere, ullo prorsus sub praetextu audeat vel praesumat; quin potius ubi unus aut alter ex praefata Gente ad Confiniarios Interioris Austriae nostrae Commendantes quaeribundus refugeret, ijs aut ii ab iisdem ad dictum nostrum Regni Banum illiusque Instantiam sine mora remitantur. Vltra quae amplius etiam Supremo Capitaneo Petrinensi injunximus, si militiam quampiam ex suis Kosztanicae stipendiatam adhuc haberet, aut ubicunque alia eiusmodi in praetacto districtu moraretur, Vt illam confestim abinde avocet, postque eductionem nihil prorsus sibi curae aut negotii illis in locis vltra sumat; verum ipsi Petrinenses hactenus Petrinae et hac in adjacentia locati (qui ibidem subsistere et suam habitationem continuare velent), Bano et regno parere ac subesse debeant; sicque si respectu Territorij sui se maiorem titulum quam Episcopi Zagrabiensis productas Donationales habere ac authentice demonstrare praetenderent, et consequenter Venerabili Capitulo dictoque Episcopo litem desuper movere intenderent, tunc Causam hanc suam via Juris ordinaria coram praeattacto nostro Bano, tamquam in hisce realibus actionibus competente Judice, prosequi noverint; interea vero ab omni violento ausu ac possessionis ullius arrogatione abstinere; non minus item Petrinenses, dictae Nationis Valachicae instigatores atque Concitatores, ad alia Interioris Austriae Confinia procul inde amoveri, omnesque alios illarum partium Officiales cujuscunque dignitatis aut Officij existentes (siquidem isthaec officia in posterum a nemine alio, praeterquam praelibato nostro Regni Croatiae Bano conferenda veniant) penitus exauthorari ac debito cum respectu eidem subjici et assignari, ipsi vero quoad Juridictionalia huic sese submittere, ubi et militaria mandata, a Consilio hoc Aulae Bellico ad eundem dirigenda, prompte exequi, quoad Cameralia vero a Camera nostra Aulica dependere omnimode debeant ac teneantur;

benigne praeterea assecurantes Valachicam hanc nobis Charam Nationem, omnesque toties fati districtus Incolas, quod Vniversis et singulis Justitiam quacunque ex Causa debite administrari, eosque tanquam fideles subditos, qui in ultimi cruenti Belli decursu prae caeteris generositatis suae aedidere specimina, protectione nostra Caesarea ac Regia plenarie frui atque gaudere faciemus, uti et illos, qui in linea limitanea constituti, adeoque militaribus Confiniorum servitijs actualiter applicati fuerint, a Decimis alijsque oneribus publicis immunes haberi ac caeteris quoque Privilegijs militaribus donari curabimus. Omnibus demum et Singulis praerecensitis hisce iterum pro Conclusione serio injungentes, quatenus benignum Caesareum hocce ac Regium Mandatum nostrum ad evitandam severam alias animadversionem (erga secus facientes irremisibiliter secuturam) firmiter observari debeant, nec populum ultra quocunque sub praetextu commoveri, tumultuari, aut Jussis nostris Regijs reniti patiantur, ne fortioribus, quod plane abhoremus remedijs almae pacis conservationi subactorunque nostrorum tranquilitati consulere necessitemur. Dabantur in Civitate nostra Viennensi die Decima quinta Mensis Jnnij. Anno Millesimo Septingentessimo Tertio. Regnorum nostrorum Romani Quadragesimo quinto, Hungarici Quadragesimo Nono, Bohemici vero quadragesimo septimo.

Leopoldus m. p.

M. a Mansfelt m. p.

(L. S.)

Ad Mandatum Sac. Caer. Majestatis proprium:

Joannes a Tiell m. p.

Ex ant. Copia in Archivo Regni Croatiae inter Acta Collegii S. J. Zagr. Fasc. 6. N. 46. asservato.

CCXXVI.

Anno 1704. die 18. Januarii. In oppido Miskolcz..

Copia litterarum Principis Francisci Rakoczy, quibus SS. & OO. Regni Croatiae in suas partes inducere nititur.

I.

Nos Dei gratia Franciscus Rakoczy, Princeps de Felső Vadás, Dux Munkacsinensis ac Makovicsensis, Perpetuus ac supremus Comes de Saros, nec non arcium Saros Patak, Regecz, Lednicze, Szerencs, Ecshett, Szomlye, Tokay, Onod &c. haereditarius Dominus &c. &c., Inclytis Croatiae Regni Statibus et Ordinibus omnem prosperitatem.

Quisquis vel solum disponentibus Superis sumtorum, vel jam clementer faventibus ad intimas dulcissimae Patriae oras victoriose effusorum lateque patentium armorum nostrorum famam hactenus probe inaudiit, non alterius eum omnino quam ad restaurandos afflicti sub Austriaco jugo inclyti Regni Hungariae Provinciarumque eidem annexarum libertatisque animos nos locare operam, esse opinionis indubie praecognoscitur. Dedimus patentia jam justae exercitationis nostrae documenta, publicis Orbi christiano manifestata scriptis; ad quae dum candide ruminanda integritate causae tuti exteros relegamus, nobis indigenis, vel iis silentio praeteritis, communes toti Regno relicto per fatale regimen Austriacum Calamitates illatae praesenti rerum occurrunt testimonio. Languescunt pedetentim partes, ubi principalius corporis extrema aegritudo occupat; nec secus, dum florentissimum potentissimi olim Regni Hungariae statum per inauditam intolerabilium pensionum exactionem, adempta indigenis officia, tyrannicam Procerum Regni exstirpationem, occupata per exteros via facti bona, apertam denique Regni legum convulsionem, ad eas, quae luctuosis omnium nostrum obtutibus sese offerunt, devenisse experiemur miserias; quid aliud quam certa nobilissimam quoque hanc sacrae Regni Coronae provinciam maneat ruina, unicuique altius trutinandum dolore linquimus. Quotusquisque est, qui non Austriacos a continuo suscepti Regiminis tempore eo collimasse, ut lento edoctae pseudopolitices gradu attracti in exteros summo armorum jure, enervatisque tacite retento nationis odio indigenis, servili liberam gentem submittant jugo, inque absolutum ambitiosae haereditatis sese erigant dominium, clare intelligat. Loquatur, tacentibus nobis, confusus cum vicinis adjacentibus Provinciis Regni Croatici status, Camerae Styriacae ut plurimum subditus, cujus dum imperiosum aegre ferre guberninm, illegitimam a sacra regni Hungariae Corona avulsionem, Regiisque Austriacorum cauta diplomatibus, digna exprobrat querimonia, sumpsit in dies liberrime omnia, contra diplomata, sua audendi incrementa. Per exercitatos hos actus Austriaca libido, dum suis Regnum per partes mutilat limitibus, orisque partim maritimis,

partim aliis tractibus uni et alteri Provinciarum particularium adunitis, a solita Regni dispositione licenciose exigit, donec ad extremum Comitatibus etiam Sclavoniae, tam cameralibus quam et militaribus officialibus, praejudiciose, et sub forma praedocinii subtractis, transformata Religionis specie, cum haereditariis suis coalescere faciat. Palam est praejudiciosa generalatuum, Varasdinensis et Carolostadiensis, acta dudum a gubernio Regni avulsio, tota damnosa omnium malorum scaturigo, ut post scissas regni vires non restet aliud, quam praesidiatis jam extera natione Patriae fortalitiis, ludibrioso pro hac libera gente fraeno coercitis, absoluto Provinciae dominentur jure. Quanta hic inter populum divisum emergit seditionis materies! quot violenti extorsionum excessus! largiori deductione haud indiget; adulari eum oporteat, necesse est, qui militaria penes Regnicolas officia manere subinferat; subripiuntur opinione per exteros dignitates, ut vacuas periculique plenas Regnicolis linquant; ac dum integre perque inique solitis hujusmodi illecebris subditorum sibi animos infascinant, nonnisi graves Regno curas, ingentemque portionalia tributa exaequantem pro tuendis praesidiis nationalibus profundendarum expensarum molem ex composito causant. Quis non videat speciosam Comitatuum jurisdictionem praescitis subterjacentem Generalibus? interjacent vici contigui mixtim; hos tamen Regno obsequiosos multumque oneratos premi, alios vero juribus suis sub violenta protectione immerito frui, ac in rebus etiam politicis a Regni jure praejudiciose eximi; non nisi dividere in diversa, vires ut vincant et regnent, est res intentionis praecognitae. Mutilata est, si verum fateri volumus, prisca dignitatis Banalis authoritas, et cui quondam per integrum quaqua patet trium Regnorum complexum pleno fungi jure licuit, nonnisi intra circumscriptos totidem Comitatuum cancellos adeo coarctorum conspicimus, ut solum dumtaxat coloratum tantae dignitatis titulum superesse doleamus. Regnat Camera praetextuosis variarum extorsionum actibus, ac prout in principali Hungariae Regno, nec secus in Provinciis ejusdem solitam juris neoquisiti exercet tyrranidem. Longum foret, ruinarum patriae exprimere statum; nulla enim constitutionum Regni decreta statutaque regionum diplomata, conditiones, si cui pervolvere lubeat, sine Austriaca praevaricatione salva supermansisse aequa liquescet trutinio. Convertite, inclyti Status ac Ordines fractos tot malis animos per Austriacos, tot heroica gloriosi Nominis Stemmata; ubi Zrinii celebrata toto orbe gentis vestrae gloria? ubi Frangepani stabiles quondam pro defensione patriae Columnae? non quievit praeconcepta in Austiacis Despotici imperii libido, donec Primores Regni procerum (ut violentam nuperam Drascovicii mortem praetereamus) jugi gloria perennaturos dulcissimae Patriae faceret Martyres. Ast ne innocentiae nostrae quoque Austriacam evitare austeritatem licuerit, dum commissionali tot legibus Regni vetito judicio subjectae immanem jam mortem (nisi rata Dei benignitas liberos non esse visisset) odiose decreverat. Quis luculentam hanc Austriaci regiminis, diplomata sua pro libitu violantis, iniquitatem ferat ulterius? favet aether, certissimaque concurrentibus exterorum Principum foederibus, redintegrandae a jugo genti liberae, sese offert occasio. Succurrite itaque justae causae, Inclyti Status et Ordines, conjunctis animis, ac dum omnem a nobis dominandi ambitionem (teste triuno Deo) longe abesse, totamque dulcissimae Patriae causam felici eventu terminandam assumpsisse credere eosdem volumus, nec secus ad fidelitatem labenti Patriae consecrandam, conjungendaque cum exercitibus nostris arma permanenter ac serio commonefacimus. Quod si

vero quispiam, patentibus hisce litteris nostris palam vel occulte averso a publici boni animo resistere praesumpserit, indubitatos certa et manifesta Legum et Libertatum Patriae proditores et hostes semetipsos declarabunt. Zelosos vero Patriae Cives cumulatissima omnium dignitatum manebit merces, praematuraque immortalis Nominis sequetur gloria. Datum in oppido Miskolz 18. Januarii Anno 1704.

Franciscus Rakoczy Princeps.

(L. S.)

II.

Responsoriae SS. et OO. Croatiae, datae Principi Francisco Rakoczy.

Illustrissime Domine Comes!

Accepimus eas, quas ad nos ex oppido Miskolz transmisistis litteras, quibus nobis significastis, quatenus nostros animos armaque nostra una vobiscum conjungeremus contra domum Austriacam, ejusdemque Domus augustissimae Imperatorem Leopoldum pientissimum, Regem nostrum invictissimum. Cum vero has inter cunctas Revolutiones Croatiae Status et Ordines constanter mansere semper Deo, Regi, Regno et Coronae fideles, qua Catholici, in quantum numquam ad novitates Lutheranae et Calvinianae sectae prolapsi fuerant: ideo bellicis vestris expeditionibus intenti, vigiliis excubamus, ut par pari referre, imo castra armaque vestra retundere valeamus, imperterrite invigilaturi. Datum ex Castris Ormosdinum inter et Varasdinum 25. Januarii 1704.

Comes Banus totumque Regnum.

Copia e Manuscripto Monasterii Sitticensis, in Ducatu Carnioliae siti, nobis a Rev. D. Petro Hitzinger communicata.

CCXXVII.

Anno 1704. die 8. Februarii Viennae.

Leopoldus Rex SS et OO. Regni Croatiae ad fidem servandam et ad arma contra rebelles in Hungaria summenda hortat.

LEOPOLDVS DEI gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae Bohemiaeque &c. Rex.

Reuerendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Egregij & Nobiles, Prudentes item et Circumspecti, Fideles nobis dilecti. Quanta animi cura et sollicitudine hactenus in id incubuerimus, ut tot Vicissitudinibus lacessitum et nouissimis jntestinis motibus exagitatum praefatum Regnum nostrum Hungariae in priorem redigeretur tranquillitatem, abunde constat tum ex benignissimis Literis nostris Amnystialibus, Tenore quarum a debito obsequio et fidelitate nostra deuios in sinum Gratiae nostrae recipere institueramus, tum vero alijs benignis Literis nostris, quibus mediantibus ab omni omnino Contributione usque ad futuram Diaetam Regnicolas supportandos et eximendos declarraueramus. Verum hac benignitatis nostrae Exuberantia concitatae perfidae Factionis Authores minus attenta in sceleratis suis Ausibus pertinaciter persistere ac detestabile Perduellionis malum in perniciem totius Regni et fidelium nostrorum ruinam diffundere, spretisque Diuinis et humanis Legibus jureque naturae vilipenso in propria viscera igne et ferro desaeuire ac uniuersas Fidelium nostrorum Facultates in praedam agere, miseram Plebem sub vindicandae Libertatis titulo dementare, alios seu timore perculsos seu vanis pollicitationibus illectos infascinare, alios denique vi et armis in suas pertractos partes nefando suo Agmini ad associandum se cogere, ac taliter vires suas augere, jamque fere totum dictum Regnum nostrum Hungariae inundare non exhorruerunt, ita, ut compluribus Arcibus, Praesidio nostro munitis, proditorio non minus ac nefario ausu occupatis, ad Limites usque et Terminos Regni huius nostri Croatiae Virus suum exeruerint, dubio procul Fidelitates quoque vestras, prout alibi factum, per diuersas Patentes, seu Invitatorias, seu Comminatorias ad simile Perfidiae Crimen variis sub Praetextibus et omni arte sollicitaturi. Et licet in auita Fidelitate vestra, hactenus omni tempore illibate continuata et contestata, indubiam nobis spem benigne polliceamur, Fidelitatesque vestras non degeneres Majorum Suorum et Charae Patriae Filios et homagialis Sacro Diademati nostro debitae Obligationis memores esse confidamus: Attamen, ne in tam Subitanea rerum Vicissitudine quispiam Vestrum seu metu seu alio quocunque modo se per memoratos seditiosos circumveniri patiatur, Easdem Fidelitates Vestras hisce benigne hortamur, et juratae nobis ac debitae fidei et

Fidelitatis hactenus jntemeratae ac synceri erga Patriam et Gentem suam remque domesticam Amoris commonefacimus, et forti vos et inconcusso animo subque indubitata Paternae erga Fidelitates Vestras Sollicitudinis et Gratiae nostrae ac aduentantis sufficientis Subsidij et Suppetiarum spe esse Clementer jubemus, ut vel jnterea nemo Vestrum se patiatur seduci, quin potius unitis pro posse Viribus Vitae et Fortunis suis insidianti Hosti semet strenue opponere et in conseruanda Regni huius erga Majestatem nostram deuotione, omnem eam, quod auita Nominis Croatici gloria et existimatio ac syncera erga Regem et Dominum hactenus Semper contestata Fidelitas et deuotio, Patriamque suam amor et jnclinatio exposcunt, operam impendere velint, nec jntermittant Eaedem Fidelitates Vestrae, integrum vicissim benignissimi Animi nostri affectum et Paternum desiderium, omnemque possibilem Consolationem experturae. Gratia in reliquo nostra Caesareo-Regia ijsdem benigne propensi manentes. Dabantur in Ciuitate nostra Vienna Austriae, die octaua Mensis Februarij. Anno Domini millesimo septingentesimo quarto.

Leopoldus m. p.

Ladislaus Matyássovsky m. p.
Episcopus Nitriensis.

Ladislaus Hunyady m. p.

In inferiori margine:

Status Croatiae ad seruandam Majestati Vestrae Sacratissimae fidelitatem adhortantur et simul ut se Rebellibus opponant commonentur.

A tergo:

Reuerendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Egregijs & Nobilibus, Prudentibus item ac Circumspectis N. N. Vniversis Statibus & Ordinibus Dalmatiae, Croatiae & Sclauoniae Regnorum nostrorum &c. Fidelibus nobis dilectis. Varasdinum per Graeczium.

(Sigillum Regium ab extus appressum.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congregationis a. 1704. Nr. 4.

CCXXVIII.

Anno 1704. 5. Julii. Viennae.

Leopoldus Rex fidelitatem SS. et OO. Regni Croatiae et Slavoniae laudat et conservationem libertatum et jurium eorundem SS. et OO. spondet.

Fideles, Devoti, Dilecti. Relata mihi est a Cancellaria mea Aulico-Austriaca Rebellantium Hungarorum pessima intentio et perversum studium, quo perduelles Ragocziani Asseclae defectique Militis Praefecti a fide et pietate, quam mihi Regi suo debent, vos inclytos Regnorum meorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Status et Ordines, disseminatis quibusdam literis Patentibus, sub pristinae libertatis recuperandae praetextu Vobis falso suggesto, in idem flagitium trahere et nomen vestrum una cum eorum Deo et orbi exosum reddere satagebant; Et quam Nobili e converso, constanti et imperterrito semper animo non solum venenosis ejusmodi blanditijs et seductionibus, imo et subsecutis minis, incendijs et devastationibus hucusque fortiter restiteritis, verum et qua fide, quibusque viribus, et quo rerum felici successu vim vi repuleritis, ditionibus meis interioris Austriae opem tuleritis, et non minus rebellem factionem Patria Vestra ejeceritis, quam eandem ipsa quoque in propria sui Patria nudato chalybe ultum iueritis.

Equidem Constantiam hanc, fidem hanc et devotionem in Regem Vestrum virtuti vestrae acceptam ferimus, et saepius eandem mihi et gloriosis Praedecessoribus meis egregia et laudabilia sane facta vestra et Majorum vestrorum quavis in fortuna probarunt, indeque Singularem meam et totius Imperialis Regiaeque Stirpis meae in me, Nationem Vestram et Patriam, gratiam et propensionem meruerunt; Hanc igitur et imposterum conservate, et juxta innatum vobis valorem virtutemque, fidem et amorem in Reges et Principes vestros continuis benemeritis vestris augete; Certi, quod, sicut eadem benigna prorsus mente recolo, et me tam avitico Antenatorum vestrorum incorruptae Constantiae Zelo, quam in his pendentibus rebellionis Hungaricae turbulentijs, vestro quoque erga me et Augustam Domum meam mihi devote hactenus demonstrato illibatae fidelitatis Candore Summopere contentum et consolatum agnosco, ita quoque gratijs meis pro solatijs et incrementis vestris non deero, prouti nimirum hisce Missilibus meis Caesaream et Regiam gratiam meam vobis amplam Confirmo, vosque apud Jura, immunitates et libertates Privilegiaque vestra, sicut hucusque, ita et deinceps absque interruptione firmiter manutenere velle Clementissime polliceor. Datum Viennae die 5. Julij 1704.

Leopoldus m. p.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Egregijs et Nobilibus, Prudentibus item ac Circumspectis N. N. Universis Statibus et ordinibus Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum Nostrorum &c. Fidelibus Nobis Dilectis.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congregationum. 1704. N. 23.

CCXXIX.

Anno 1705. die 14. Maji. Viennae.

Josephus I. Rex se post mortem patris sui thronum conscendisse SS. et OO. Regni Croatiae nunciat; eosdemque SS. et OO. ad fidelitatem hortatur, sua ex parte conservationem jurium et libertatum promittendo.

Josephus Dei Gratia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque &c. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Morauiae, Comes Habspurgi, Tyrolis et Goritiae &c. Fidelibus nostris Universis & singulis, Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus, Magnificis, Egregiis item & Nobilibus, nec non Prudentibus & Circumspectis, praefatorum Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae Regnorum nostrorum Statibus & Ordinibus Salutem & gratiam. Quandoquidem Diuinae Potentiae Eiusque inscrutabili Prouidentiae, quae in suis Dispositionibus non fallitur, Sacram olim Romanorum Imperatoriam ac Regiam Maiestatem Dominum Leopoldum, gloriosissimae reminiscentiae Genitorem nostrum desideratissimum, die quinta modo labentis Mensis May, ex hoc transitorio saeculo ad beatae jmmortalitatis quietem transferre visum fuit, jntermittere noluimus quin tristem hunc, qui nobis communiter accidit Casum, prout reliquis aliorum Regnorum nostrorum fidelibus Subditis nostris, ita horum quoque Regnorum nostrorum Statibus & Ordinibus dolenter significaremus. Et quia post luctuosum hunc euentum Nos, velut jmmediatus eiusdem condam Domini & genitoris nostri successor & haeres, praeter Sacri Romani Imperij & reliquorum Regnorum, praefati quoque Regni Hungariae & consequenter horum etiam Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae Regnorum nostrorum, vi Legum & constitutionum Patriarum benignissimique Diplomatis nostri Regij, tempore solemnis Coronationis & jnaugrationis nostrae Uniuersis Statibus & Ordinibus Clementer elargiti, feliciter simus auspicati, illudque susceperimus & ijsdem gubernandis supremas

CCXXVIII.

Anno 1704. 5. Julii. Viennae.

Leopoldus Rex fidelitatem SS. et OO. Regni Croatiae et Slavoniae laudat et conservationem libertatum et jurium eorundem SS. et OO. spondet.

Fideles, Devoti, Dilecti. Relata mihi est a Cancellaria mea Aulico-Austriaca Rebellantium Hungarorum pessima intentio et perversum studium, quo perduelles Ragocziani Asseclae defectique Militis Praefecti a fide et pietate, quam mihi Regi suo debent, vos inclytos Regnorum meorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Status et Ordines, disseminatis quibusdam literis Patentibus, sub pristinae libertatis recuperandae praetextu Vobis falso suggesto, in idem flagitium trahere et nomen vestrum una cum eorum Deo et orbi exosum reddere satagebant; Et quam Nobili e converso, constanti et imperterrito semper animo non solum venenosis ejusmodi blanditijs et seductionibus, imo et subsecutis minis, incendijs et devastationibus hucusque fortiter restiteritis, verum et qua fide, quibusque viribus, et quo rerum felici successu vim vi repuleritis, ditionibus meis interioris Austriae opem tuleritis, et non minus rebellem factionem Patria Vestra ejeceritis, quam eandem ipsa quoque in propria sui Patria nudato chalybe ultum iveritis.

Equidem Constantiam hanc, fidem hanc et devotionem in Regem Vestrum virtuti vestrae acceptam ferimus, et saepius eandem mihi et gloriosis Praedecessoribus meis egregia et laudabilia sane facta vestra et Majorum vestrorum quavis in fortuna probarunt, indeque Singularem meam et totius Imperialis Regiaeque Stirpis meae in me, Nationem Vestram et Patriam, gratiam et propensionem meruerunt; Hanc igitur et imposterum conservate, et juxta innatum vobis valorem virtutemque, fidem et amorem in Reges et Principes vestros continuis benemeritis vestris augete; Certi, quod, sicut eadem benigna prorsus mente recolo, et me tam avilico Antenatorum vestrorum incorruptae Constantiae Zelo, quam in his pendentibus rebellionis Hungaricae turbulentijs, vestro quoque erga me et Augustam Domum meam mihi devote hactenus demonstrato illibatae fidelitatis Candore Summopere contentum et consolatum agnosco, ita quoque gratijs meis pro solatijs et incrementis vestris non deero, prouti nimirum hisce Missilibus meis Caesaream et Regiam gratiam meam vobis amplam Confirmo, vosque apud Jura, immunitates et libertates Privilegiaque vestra, sicut hucusque, ita et deinceps absque interruptione firmiter manutenere velle Clementissime polliceor. Datum Viennae die 5. Julij 1704.

Leopoldus m. p.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Egregijs et Nobilibus, Prudentibus item ac Circumspectis N. N. Universis Statibus et ordinibus Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum Nostrorum &c. Fidelibus Nobis Dilectis.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congregationum. 1704. N. 23.

CCXXIX.

Anno 1705. die 14. Maji. Viennae.

Josephus I. Rex se post mortem patris sui thronum conscendisse SS. et OO. Regni Croatiae nunciat; eosdemque SS. et OO. ad fidelitatem hortatur, sua ex parte conservationem jurium et libertatum promittendo.

Josephus Dei Gratia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque &c. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Morauiae, Comes Habspurgi, Tyrolis et Goritiae &c. Fidelibus nostris Universis & singulis, Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus, Magnificis, Egregiis item & Nobilibus, nec non Prudentibus & Circumspectis, praefatorum Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae Regnorum nostrorum Statibus & Ordinibus Salutem & gratiam. Quandoquidem Diuinae Potentiae Eiusque inscrutabili Prouidentiae, quae in suis Dispositionibus non fallitur, Sacram olim Romanorum Imperatoriam ac Regiam Maiestatem Dominum Leopoldum, gloriosissimae reminiscentiae Genitorem nostrum desideratissimum, die quinta modo labentis Mensis May, ex hoc transitorio saeculo ad beatae jmmortalitatis quietem transferre visum fuit, jntermittere noluimus quin tristem hunc, qui nobis communiter accidit Casum, prout reliquis aliorum Regnorum nostrorum fidelibus Subditis nostris, ita horum quoque Regnorum nostrorum Statibus & Ordinibus dolenter significaremus. Et quia post luctuosum hunc euentum Nos, velut jmmediatus eiusdem condam Domini & genitoris nostri successor & haeres, praeter Sacri Romani Imperij & reliquorum Regnorum, praefati quoque Regni Hungariae & consequenter horum etiam Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae Regnorum nostrorum, vi Legum & constitutionum Patriarum benignissimique Diplomatis nostri Regij, tempore solemnis Coronationis & jnaugrationis nostrae Uniuersis Statibus & Ordinibus Clementer elargiti, feliciter simus auspicati, illudque susceperimus & ijsdem gubernandis supremas

admoverimus manus. Ea propter universos & singulos horum Regnorum nostrorum Status & Ordines harum serie Regia nostra adhortatur Clementia, quatenus visis aut jntellectis ijsdem, Homagialis Obligationis suae memores, debita quaevis fidelia obsequia, nobis, tanquam legitimo Regi & Domino suo Clementissimo rite coronato, praestare & haud minori quam reliqua Regna & Prouinciae nostrae haereditariae deuotione syncere demonstrare ac exhibere studeant. Securi in eo existentes, quod nos haecce Regna nostra Omnesque Eorundem fideles Status & Ordines in suis Juribus, Priuilegijs, Libertatibus & jmmunitatibus, juxta etiam praeattactum benignum Diploma nostrum Regium Assecuratorium jpsis extradatum, illibate et inviolabiliter observabimus & obseruari faciemus, ac nihil eorum, quae ad Conseruationem, defensionem, procurandam Tranquillitatem & Emolumentum praefatorum Regnorum nostrorum pertinere animadverterimus, seu in Generali Diaeta, quam aliunde proxima Commodiori Occasione celebrare intendimus, seu alias etiam, jntermittemus, Imo omnem conatum & operam in eo adhibituri, ut in nobis benignissimum Dominum ac Regem experiri valeant, Nosque omnium subditorum nostrorum optimam de Nobis Expectationem si non superare ast certe aequare adnitemur, Gratiae & Clementiae nostrae Caesareo-Regiae sinum nemini praeclusum volentes. Datum in Civitate nostra Vienna Austriae, die decima quarta Mensis Maji, Anno Domini Millesimo Septingentesimo quinto. Regnorum nostrorum Romani decimo sexto, Hungariae & reliquorum decimo octauo. Bohemiae uero Anno primo.

Josephus m. p.

(L S.)

Paulus Mednyanszky m. p.

Ladislaus Hunyady m. p.

In margine:

Patens ad Status Regni Croatiae, quibus obitus Augustissimi intimatur, et ad seruandam Vestrae Maiestati Sacratissimae fidelitatem adhortatur.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congregationis a. 1705. Nr. 3.

CCXXX.

Anno 1706. die 25. Maji. Viennae.

Josephus Rex fidelia Croatarum servitia laudat.

Leopoldus Divina Favente Clementia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus &c. &c.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, nec non Egregij et Nobiles. Fideles Nobis dilecti. Dum benigna recordatione revolvimus, qua illibata fidelitate, Candore animi et alacri promptitudine Status et Ordines Regni Nostri haereditarij Croatiae in omnibus priorum temporum etiam periculosissimis revolutionibus pro Augustissima Domo Nostra se et sua impenderint, et non tantum Contra Communem Christianitatis hostem cum multa profusione Sanguinis strenue semper decertantes plurima generosi pectoris specimina exhibuerint, verum etiam nefarios Hungariae tumultus semper abhorrentes refrectaria Seditione nunquam se Contaminarint: Certe non sine speciali et abundanti voluptate animi hoc memorare possumus; Siquidem quae antehac tam laudabiliter facta sunt, apud Nos et tempore Nostri gloriosi Regiminis fienda Nobis fidentissime adpromittimus, praesertim in occurrentijs, quae rem Communem et Regni incolumitatem spectant, aut ad sedandos perniciosos Hungariae tumultus requiri possent. Qua in fiducia vos benigne assecuramus, officia et servitia Nobis et Domui Nostrae praestanda in ea semper consideratione futura, ut de innata clementia Nostra et Copiosis Caesareis Regijsque gratijs continuo securi esse poteritis, prouti Vobis gratiam Nostram Caesaream ac Regiam hisce benigne affirmamus. Dabantur in civitate Nostra Vienna Austriae, die vigesima sexta mensis Maij Anno millesimo septingentesimo sexto, Regnorum Nostrorum Romani Decimo septimo, Hungariae Decimo nono, Bohemiae vero secundo.

Josephus m. p.

Leop. Comes ab Herberstein m. p.

Ad Mandatum Sacratissimae Caesareae Maiestatis proprium:

Zacharias Manophilus Campmiller m. p.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, nec non Egregijs et Nobilibus N. N. universis Statibus et Ordinibus Regnorum Nostrorum, fidelibus Nobis Dilectis.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. 1706 Nr. 19.

CCXXXI.

Anno 1706. die 3. Novembris. Viennae.

Josephus I. Rex Croatas, qui Rakoczii incitamentis restiterunt, ob eorum fidelitatem laudat.

Josephus Divina Favente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus &c.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, nec non Egregij et Nobiles, Fideles nobis dilecti. Relatum Nobis demisse fuit a Consilio Nostro Aulae Bellico, qualiter a devotione Nobis debita devius Rakoczius temerarias Patentes, ejusdemque perduellis Assecla Voinovich partim illectorias, partim vero comminatorias pro declinando ab intemerata fidei suae constantia charo Nostro Croatiae Regno Literas Colonello Nostro Delisimonovich, ad Fidelitates Vestras ulterius promovendas direxerit. Contestabatur autem desuper Episcopus Noster Zagrabiensis Martinus Braikovich, qui ex instinctu Zeli sui aeque illibati universa praeattacta seditiosa Rebellium documenta Literalia supra recensito Consilio Nostro Aulae Bellico sincere communicaverat, tum Eundem, quam Fidelitates Vestras (prout et id ipsum ab ijsdem hucusque probe perspectum habemus) ac Universam demum Regni Nobilitatem homagialem suam erga Nos devotionem cum immolatione etiam (si infaustus casus aut iniqua sors ita ferret) facultatum imo Vitae et Sangvinis inalterabiliter comprobaturam fore.

In quo itaque egregio erga Servitium Nostrum studio et claris adeo ac insignibus integritatis argumentis dum Nobis benigne complacemus, ideoque et Caesareo-Nostris Regijs gratijs benigne id ipsum Nos agnituros declaramus.

Fidelitates Vestras clementer insimul cohortamur, quatenus ulterioris etiam in eximio ac laudabili virtutis suae inconcussae debito continuantes, universos etiam Regnicolas ibidem Nostros ad parem perseverantiam viriliter animare velint, securique vicissim confidant, Nos pro conservatione et firma tuitione charae Nobis praesertim Provinciae contra perniciosas illas ac quasvis alias perduellium machinationes aut apertos insultus, tum per itidem dictum Consilium Nostrum Au-

lae Bellicum, quam similiter dein labore ac cura Bani Nostri Croatiae Joannis Comitis a Palffy, finita quam primum moderna in Hungariae Regno Expeditione Campestri ad Patriae Oras personaliter rursus remittendi, omnem operam navari congruasque eatenus ac efficaces dispositiones et vigiles semper praecautiones institui facere haud quaquam praetermissuros esse. Vobis in reliquo gratia Nostra Caesareo Regia benigne propensi manentes. Dabantur in Civitate Nostra Viennensi, die Tertia Mensis Novembris, Anno millesimo Septingentesimo sexto. Regnorum Nostrorum Romani decimo septimo, Hungarici decimo nono, Bohemici vero Anno secundo.

Josephus m. p.

Leop. Com. ab Herberstein m. p.

Ad Mandatum Sacrae Caesareae Maiestatis proprium:

Joannes a Tiell m. p.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, nec non Egregijs et Nobilibus N. N. Universis Statibus et Ordinibus Regnorum Nostrorum, Fidelibus Nobis dilectis.

Zagrabiae.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congregationum a. 1706, Nr. 27.

CCXXII.

Anno 1708. die 21. Novembris. Viennae.

Josephus I. Rex Bano, in Hungaria bellicis negotiis occupato, locumtenentem dat.

Josephus Divina Favente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus &c.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, nec non Egregij et Nobiles, Fideles Nobis dilecti. Relatum est Majestati Nostrae, in Regno Nostro

Croatiae diversas quasdam Inconvenientias ea praesertim de causa, quod Noster Banus Joannes Comes Pallffy absens esset, Vice-Banus autem aeque Noster Seu Regius interea Locumtenens Petrus Comes a Keglevich sufficiente ad gerendum interea Banale munus authoritate haud polleret, nocive serpere; Et licet Vos quidem evitandarum similium inconvenientiarum ergo pro reditu mox dicti Bani demisse supplicassetis, cum tamen Eundem adhuc in Hungaria & bellicis ibidem operationibus secundum Characteris Sui militaris obligamen necessario et valde utiliter applicatum inde avocari Servitium Nostrum de praesenti neutiquam permittat.

Nos igitur, ut pro ingenito Nobis erga charum Nostrum Croatiae Regnum affectu nihilominus integre Eidem provisum esse Securi simus, benigne volumus et serio demandamus, ut supramemoratus Comes Keglevich qua Vice Banus et Regius interim Locumtenens Noster tam quoad Militaria per Consilium Nostrum Aulae Bellicum, quam itidem quoad Politicas Provinciales et Judiciales, nec non universas alias officium Banale dependenter concomitantes functiones, medio Nostrae Cancellariae Regio-Hungaricae Aulicae (a qua id, quod e re necessarium censebitur, ad Vos consveto Stylo et congruo ordine eatenus expedietur) tali omnimoda authoritate et potestate, qua Banus Noster, cujus interea personam repraesentat, in Loco gauderet, solennius et plene instruatur

Quod ipsum proinde Vobis clementer significantes Paterne insimul confidimus, Vos homagialem erga nos naturalem et legitimum Regem Vestrum devotionem Vestram ac in difficillimis quibusvis temporibus constanter probatam fidem ulteriori intemerato cultu contestaturos, cum Vice-Bano Nostro bonam pro more cointelligentiam gesturos, nec non oboriundas fors quasvis indecentes confusiones efficaciter pro posse praepedituros, sicque demum Servitium Nostrum et Regni Salutem conjunctis Viribus et opera strenue promoturos esse. Vobis in reliquo gratia nostra Caesareo-Regia benigne propensi manentes. Dabantur in Civitate Nostra Viennensi, die vigesima prima mensis Novembris Anno Domini Millesimo septingentesimo octavo. Regnorum Nostrorum Romani decimo nono, Hungarici vigesimo primo, Bohemici vero quarto.

Josephus m. p.

Leopoldus Comes ab Herberstein m. p.

Ad mandatum Sacratissimae Caesareae Majestatis proprium:

Joannes a Tiell m. p.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, nec non Egregijs et Nobilibus N. N. Universis Statibus et Ordinibus Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum Nostrarum , Fidelibus Nobis dilectis.

Zagrabiae.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congregat. 1708, N. 31.

CCXXXIII.

Anno 1708. die 26. Novembris. Viennae.

Josephus I. Rex a Bano constitutum Locumtenentem Banalem in hac dignitate confirmat.

Josephus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus ac Germaniae, Hungariae Bohemiaeque etc. Rex.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Egregij et Nobiles, Prudentes item ac Circumspecti, Fideles Nobis dilecti. Quandoquidem ex certis fidedignis Relationibus Maiestati nostrae jnnotuisset, in suprafato Regno nostro Croatiae diversas confusiones ea potissimum de causa orirj, quod fidelis noster nobis dilectus Spectabilis ac Magnificus Comes Joannes Palffy, antelatorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum nostrorum Banus, absens esset, alter autem fidelis noster Spectabilis ac Magnificus Comes Petrus Keglevich, per eundem ad jnterim substitutus Banus, adeoque Locumtenens Eiusdem, ad gerendum munus Banale sufficiente haud polleret Authoritate, Eaque propter fidelitates Vestras pro reditu praefati Comitis Bani demisse suplicasse; verum quia Eundem Comitem Banum adhuc in memorato Regno nostro Hungariae et Bellicis ibidem operationibus secundum Caracteris sui militaris, Equitatus videlicet Generalis obligamen, necessario et valde utiliter applicatum, inde in Croatiam avocari posse, Servitium Nostrum de praesenti neutiquam concedat. Hinc ut praetacti Regni nostri Croatiae Bano et Saluti Servitioque nostro absque neglectu & integre provisum sit, Eundem Comitem Petrum Keglevich in antelata substitutione Officij Banalis benigne confirmavimus, simulque clementer resolvimus, ut memoratus Comes Petrus Keglevich, qua praevio modo Substitutus Banus, adeoque Locumtenens interim Banalis, non solum Militares sed & Politicas Provinciales, Officium Banale dependenter concernentes Functiones, tali Auctoritate et potestate, qua suprafatus Comes Banus, Cuius interea Personam repraesentat, ipsemet in Loco gaudere soleret, usque ad reditum Saepefati Comitis Bani, in praeattacto Regno nostro Croatiae exercere possit ac valeat. Quapropter Fidelitates Vestras harum serie benigne simul ac firmiter hortandas esse duximus, qualenus intellecta hacce benigna Resolutione nostra, non modo Universas et quaslibet confusiones ac dissensiones, in praedicto Regno nostro Croatiae ob absentiam memorati Comitis Bani nefors exortas vel expost exoriendas, antevertere & praecavere, verum etiam Suprafati Comitis Petri Keglevich, praevio modo substituti ac per Majestatem Nostram Confirmati ad interim Bani, tam in Militaribus, quam Politicis, ad officium Banale Spectantibus rebus & Negotijs per Eundem disponendis, usque ed reditum toties fati Comitis Bani omnimode parere, ac in reliquo etiam Con-

stantem ac debitam Homagialem erga Nos, qua naturalem et legitimum suum Regem ac Dominum, devotionem atque intemeratae ac fidei cultum, quemadmodum hactenus semper laudabili exemplo, ita in posterum quoque zelose contestari modis omnibus velint ac debeant Eaedem fidelitates Vestrae. Gratia et Clementia nostra Caesarea & Regia ijsdem in reliquo benigne propensi manentes. Datum in Civitate nostra Vienna Austriae, die vigesima sexta Mensis Novembris, Anno Domini Millesimo septingentesimo octavo.

Josephus m. p.

Comes Nicolaus Illésházy m. p.

Franciscus Somogy m. p.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Egregijs et Nobilibus, Prudentibus item ac Circumspectis N. N. Universis Statibus et Ordinibus, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum Nostrorum, Fidelibus Nobis dilectis.

Graecio Varasdinum.

(L. S.)

Orig. in Arch. Reg. Croat. Acta Regni Congr. 1708, Nr. 32.

CCXXXIV.

Anno 1712. 16. Maji. Viennae.

Carolus III. Rex de fidelitate Croatarum noviter edoctus, eosdem de conservandis eorum juribus et libertatibus certiores reddit.

CAROLUS Sextus Divina Favente Clementia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus, Germaniae, Hispaniarum, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Rex, Archi-Dux Austriae &c.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Generosi, Fideles, Dilecti. Quam grata Nobis fuerit declarata rursum et in nupero Conventu Zagrabiensi et per Solennem Legationem a fidelissimis inclytorum Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Statibus in Nos totamque Augustam Domum avita devotio providaque avertendorum, quantum fieri queat, futurorum discriminum Solicitudo, ipsi Ablegati Vestri, Reverendus, Spectabiles et Magnifici, Generosusque Comes Emericus Esterhazy de Galantha, Episcopus Zagrabiensis, Abbas B. Mariae Virginis de Thoputzka, Consiliarius olim Caesareus et officij Banalis in Politicis Locumtenens, Joannes Draskovich de Trakostain, Consiliarius nuper quoque Caesareus et Camerariorum per Hungariam Magister, Generalis Vigiliarum Praefectus, Comitatuum Valkowar et Burona Supremus Comes, denique Georgius Plenich de Ottok, Consiliarius antea pariter Caesareus, Regnorumque Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Protonotarius, testimonium perhibere poterunt. Referent Vobis ijdem, quid ad rem tam salutarem omnino perficiendam et quam solidissime stabiliendam Nobis necessarium visum fuerit: neque adeo dubitamus, quin una Nobiscum, ubicunque usus postulaverit, Vos porro sedulo incubituri sitis. Vobis vicissim firmissime spondemus, non solum Vestra Vobis jura, Privilegia et immunitates a Nobis Successoribusque Nostris inviolabiliter Semper conservatum, sed nec praeterea quicquam omissum iri, quod ad ingenitam Austriaci Sanguinis benignitatem et clementiam demonstrandam Regnorumque optime meritorum commoda ulterius provehenda facere queat. Superest, ut probatos jam luculento judicio vestro ipsosmet Ablegatos vestros obita apud Nos egregie functione reduces Nostris quoque Verbis commendemus, Vosque simul de perenni gratia Nostra Caesareo-Regia quam certissimos reddamus, quod et lubentissimo animo ac benignissima in Vos omnes et singulos Voluntate nunc agimus. Da-

buntur Viennae die 16. May Anno Milesimo Septingentesimo Duodecimo, Regnorum Nostrorum Romani primo, Hispanici nono, Hungarici vero et Bohemici Secundo.

Carolus m. p.

Joan. Frid. B. a Seilern m. p.

Ad mandatum Sacrae Caesareo-Regiae Majestatis proprium

Joannes Georgius Buol m. p.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Egregijs et Nobilibus, Prudentibus item ac circumspectis N. N. Universis Statibus ac Ordinibus Dalmatiae, Croatiae & Slavoniae Regnorum nostrorum Fidelibus Nobis dilectis.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congregationis A. 1712. N. 25.

CCXXXV.

Anno 1714. die 22. Junii. Viennae.

Carolus III. Rex salis turcici usum in Regno Croatiae prohibet, maritimi vero concedit.

CAROLVS VI. DEI gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, Hungariae, Bohemiaeque &c. REX.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Egregij item ac Nobiles, nec non Prudentes ac Circumspecti, fideles Nobis dilecti. Ex demissa Camerae nostrae Aulicae repraesentatione benigne informamur, Quod tametsi intuitu iteratorum praecedentium, novissime autem benigni nostri, sub dato in Civitate nostra Vienna Austriae, die Vigesima Secunda Mensis Aprilis Anni proxime praeteriti Millesimi Septingentesimi decimi Tertij emanati, Fidelitatibusque Vestris sonantis Mandati, inductio Salis Turcici, potiori in parte cessare videatur, e contra

Salis nostri maritimi Commercium redintegrari incipiat; Necdum tamen praenotati Salis Turcici usus ex integro et ubique in Croatiae et Sclavoniae Regnis nostris sublatus esset, ac Seriae eatenus Inhibitiones nostrae cum Vilipendio benignorum Mandatorum ac damno et praejudicio aerarij nostri non observarentur.

Quapropter Fidelitatibus Vestris harum serie iterato et firmiter praecipientes committimus et mandamus, quatenus ad mentem praecitati prioris benigni Mandati nostri praementionatam Salis Turcici palam vel occulte attentandam inductionem, quaestum, Ejusque usum, denuo et absolute inhibere, adeoque penitus eliminare, maritimi vero legalem usum continuare velint debeantque Eaedem Fidelitates Vestrae. Gratia in reliquo nostra Caesareo-Regia ijsdem benigne propensi manemus. Datum in Ciuitate nostra Vienna Austriae, die Vigesima Secunda Mensis Junij, Anno Millesimo septingentesimo decimo quarto.

Carolus m. p.

Ladislaus Adamus Comes Erdödy m p.
Episcopus Nitriensis.

Ladislaus Hunyady m. p.

A tergo:

Reuerendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregiis et Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis N. N. Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae & Sclauoniae Vniuersis Statibus et Ordinibus &c. Fidelibus Nobis dilectis.

Varasdinum.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. A. 1714. N. 9.

CCXXXVI.

1720. die 28. Augusti. Viennae.

Carolus III. Rex contractum, inter Cameram Interioris Austriae et Croatiae Status ratione bonorum Zrinjiano-Frangepaniorum innitum, confirmat.

CAROLVS VI. DEI gratia electus Romanorum Imperator Semper Augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, Hungariae, Bohemiaeque &c. Rex.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item & Egregij, Nobiles, nec non Prudentes ac Circumspecti, Fideles Nobis dilecti. Rite meminerint Fidelitates Vestrae, qualemnam Contractum circa Bona Maritima Zriniano- & Frangepano-Fiscalia, alioquin legitimo Venditionis Titulo per Fiscum Regium in Interioris Austriae Cameram Suo modo translata, in Anno adhuc Domini 1695 cum modofata Camera iniverint. Contra cujusmodi Transactionem & quidem ratione onerum Extraordinariorum a praespecificatis Bonis in medium Fidelitatum Vestrarum praestandorum, dum nonnulla gravamina ex parte praelibatae Camerae Genitori nostro desideratissimo gloriosae memoriae Imperatori & Regi Leopoldo demisse repraesentata extitissent. Eidem benigne visum fuit, Sub Dato Diei Decimae Mensis Martij Anni 1703 clementer resolvere: Ut praetacta gravamina in novo Congressu, isthic Viennae Austriae instituendo, examinentur & juxta aequum & justum tollantur. Et licet istiusmodi Congressus eotum, aut expost etiam ob diversa eatenus intervenientia impedimenta institui nequivisset; Fidelitates nihilominus Vestrae ad implementum praeallegatae Transactionis coram Fidele nostro, Spectabile ac Magnifico Comite Joanne Draskovich de Trakostyan, Comitatus de Valpo Supremo Comite, Cubiculariorum nostrorum Regalium per Hungariam Magistro, Generali item Campi Mareschali Locumentente, Camerario & Consiliario nostro, contra praefatam Cameram nostram Interioris Austriae processerunt, Eandemque ex praetensa Ejusdem Contumacia in certa Summa Pecuniaria convinci curando, hujusmodi convictivam Sententiam per realem Bonorum Ozaliensium apprehensionem in majori parte in Executionem quoque summi fecerunt, resultante adhuc Executione Benigno Mandato nostro, attentandae cujuspiam in Bonis Cameralibus Executionis Suspensorio superveniente, usque ulteriorem eo in passu subsequendam Benignam Resolutionem nostram in Suspenso relicta. Quibus taliter gestis, ac tam Fidelitatibus Vestris, quam etiam praefatae Camerae nostrae sub decursu Anni proxime praeteriti 1719 demisse ad Majestatem nostram recurrentibus, & ex nonnullis in medium adductis rationibus, antelata quidem Camera nostra pro annullatione praedeclaratae Sententiae contra se latae, per consequens etiam Bonorum modo praevio in Executionem sumptorum Re-

executione; Fidelitatibus vero Vestris pro praeattacti Benigni Suspensorij Mandati nostri relaxatione, adeoque inchoatae Executionis ulterioris continnationis admissione perquam demisse supplicantibus, habita ad praeadductam pijssimae memoriae Genitoris condam nostri desideratissimi circa istiusmodi differentias, modo praevio expeditam Caesareo-Regiam Resolutionem benigna reflexione, in conformitate Eiusdem clementer ordinavimus, ut sub Praesidio Fidelis nostri sincere dilecti, Reverendi, Spectabilis & Magnifici Comitis Emerici Eszterhazy, Episcopi Zagrabiensis & Actualis Intimi Consiliarij nostri, cum interventu subsequentium Membrorum ex Camera nostra Aulica & Cancellaria nostra Regio Hungarica pariter Aulica, pro Commissarijs per Majestatem nostram nominetenus deputatorum. Fidelium quippe nostrorum, Francisci Josephi a Kraph, Joannis Theodori a Weissenbergh, Ladislai Hunyady, Joannis Francisci Peterffy & Josephi Koller, praemisso in negotio, certus authoritativus Congressus isthic Viennae quantocyus eo fine instituatur; quo auditis plene ac perpensis & ponderatis utriusque Partis fundamentis & rationibus, praedeclarata differentia, aut amicabili unanimique cointelligentia de aequo & bono complanetur, aut tentata incassum modofata Amicabili compositione, totus rei Status Majestati nostrae ad Clementissimam Resolutionem & Decisionem nostram quam demississime referatur. Dum igitur praerecensita Aulica Commissio nostra Partes in praemissis dissidentes per sufficienter eatenus instructos Plenipotentiarios comparituros in praesentiam sui citasset, ac contra eaedem, ex parte quidem praescriptae Camerae Interioris Austriae, Fidelis noster Spectabilis & Magnificus Comes Adelmus Antonius a Petaz. Camerarius Noster & Bonorum nostrorum Bucariensium Capitaneus, cum Plenipotentialibus Camerae nostrae Aulicae Literis, die 18. Mensis Januarij Anni currentis expeditis, Nomine autem Fidelitatum Vestrarum, Fidelis pariter noster Egregius Adamus Oresky, Comitatus Zagrabiensis Vice-Comes, penes Fidelitatum Vestrarum Plenipotentiales ex Generali earundem Congregatione, Zagrabiae 4. et sequentibus Mensis Decembris diebus Anni praeteriti 1719 celebrata expeditas comparuissent; modofati Plenipotentiarij in diversis eatenus habitis Congressibus, ad effectum exoperandae circa praemissa Amicabilis Compositionis, deductiones Suas pro & contra exhibentes, tandem super eo, qualiternam Transactio modo praevio in Anno 1695 inita (per cujus videlicet Punctum Numero secundum saepefata Interioris Austriae Camera nostra se nimium gravatam fuisse querularetur, Fidelitates autem Vestrae circa alia Ejusdem Puncta suas habuissent considerationes et reflectiones) modificanda esset, ijdem Plenipotentiarij, et quidem Cameralis modalitate sub Litera A. praesentibns annexa, Fidelitatum Vestrarum autem, uti sub Littera B. accluderetur, finaliter sese declararunt. Quibus ad invicem combinatis compertum fuisset, quoad Punctum

Primum. Nullam superesse difficultatem, ex quo in eadem forma ab utraque Parte projectatum haberetur, quo vero ad

Secundum. Fidelitates Vestras ac memoratam Cameram Interioris Austriae in eo convenisse, ut praespecificata Bona ab ordinarijs quibusvis oneribus deinceps quoque exempta sint & immunia, in supportationem vero communium & Extraordinariorum Regni onerum, ut sunt gratuiti Labores, novorum Confiniorum Annua Exolutio, Praesidiorum Reparatio et Fortificatio, tempore Belli Militum et Salariorum auctio, Tormentorum, omnium denique necessariorum pro Confinijs & Praesidijs, pro circumstantia temporis emergentium & occurrentium

Publicarum necessitatum provisio & his similia, intervenientibus Publicis necessitatibus per fidelitates Vestras praestantur & imponi solent, ex parte praelibatae Camerae ab hocce 1720 Anno inclusive Annuatim 300 Floreni praestentur. Quod si autem in futurum ultra praespecificata etiam alia, quae pro nunc praevideri vix possent, Regis et Sacrae Coronae onera Fidelitatibus Vestris imponi contingeret, praeter praenotatam 300 Florenorum Summam etiam in talismodi onerum Exolutionem, juxta justam et aequam ex primitus instituenda totius Regni Conscriptione eruendam proportionem, praenotata Bona Cameralia concurrant. Circa quae cupivisset antelata Camera per expressum adhuc declarari, quod si etiam per speciale Benignum Mandatum nostrum Fidelitates Vestras ad praestanda praetensiva primi ordinis Extraodinaria onera commoneri contingeret, tali quoque in casu Eadem ex parte dictae Camerae praespecificatis 300 Florenis compensentur, neque ullum praeterea onus respectu eorundem antelatae Camerae accrescat. Conscriptio vero, cujus hoc Punctum meminit, ad praecavendos quosvis Tumultus in praespecificatis Bonis Cameralibus, non de Loco ad Locum eundo, verum erga fidelem Juratorum officialium denunciationem, inspectisque Eorundem Bonorum Urbarijs, instituatur, exindeque justa et aequa proportio eruatur. In eo autem haberi adhuc discrepantiam, quod interea temporis, donec videlicet modofata Conscriptio in effectum deducatur, praelibata Camera respectu praedeclaratorum Bonorum nonnisi a fumis 15 in supportationem posterius attactorum onerum concurrere velit; Fidelitates autem Vestrae praetendant Eandem Cameram hujusmodi onera in Decima quinta Regni Parte haud dubie exemplo primaevi Contractus supportare debere. In quantum ad

3. In sortem onerum Extraordinariorum ab Anno 1695, tempore videlicet illo, quo praeallegatus primaevus Contractus initus fuerat, usque ad Annum 1718 inclusive restantium fidelitates Vestras octo Mille Floreni, ac praeterea fructus sive Proventus, ex Bonis Ozaliensibus, usque ad subsecutam eorundem reexecutionem perceptos & collectos praetendisse, ex parte vero toties dictae Camerae, ultra dictorum Bonorum fructus, modo praevio collectos, Sex Mille Florenos offerri; onera autem extraordinaria Anni proxime praeteriti 1719 ex mutuo Partium consensu Florenis 174 septemdecim Cruciferis per Cameram quoque praestandis compensata haberi.

4. & 8. Punctis, quoad Jurisdictionalia ab utrinque applacidatum extitisse, ut prima Instantia, tam officialium, seu Praefectorum Arcium & Dominiorum, quam subditorum sit Vicarius, a quo Appellatio vadat ad Directorem & Revisio ad Cameram, qua Possessorem illorum Bonorum, ita tamen, ut Judicium hoc Revisorium per Ejusdem Camerae Delegatum intra Limites Regni instituatur; Cum ea ex parte Fidelitatum Vestrarum facta declaratione, quatenus hujusmodi Causae juxta Regni Leges & usu receptas consvetudines dijudicarentur, In Causis autem protractae, sive denegatae Justitiae, sicut & ubi ipsa Camera ratione dictorum Bonorum Jure convenienda esset, sortiatur Forum Banale, Salvo Parti gravatae ad Majestatem Nostram recursu. Differentiam porro in eo esse, quod modo dicta Camera nullius alterius, quam solius Bani in Persona Judicio se submittere velit, Fidelitates e contra Vestrae hujusmodi Judicatus Provinciam absente a Regno Bano, etiam ad Locumtenentem Banalem, vel illum, cui Banus generalem, aut specialem delegaverit facultatem, extendi cupiant. Denique circa

5. Ex Parte Fidelitatum Vestrarum aliam non haberi considerationem, quam quod illius nulla videatur esse ratio, vel necessitas, cum in subsequentibus expressum habeatur. Quoad

6. 7. 9. & 10. Nihil esse immutatum, adeoque eadem sicut in primaevo Contractu, ita & nunc stare posse. Demum ad

Ultimum. Talis ex parte Fidelitatum Vestrarum interposita esset cautela, quasi Cameralium Bonorum Director nonnisi tunc, ubi ea, quae memoratam Cameram nostram, qua praescitorum Bonorum Possessorem etiam concernerent, pertractanda forent, ad Publicas Regni Congregationes vocari deberet. Ex quo autem ex praemissis pateret, praedeclaratam differenciam ex integro amicabiliter non esse terminatam, proinde praerecensitas discrepantias, in quibus videlicet ipsae Partes ad invicem convenire nequivissent, modalitate subinserta accommodandas, ac ex aequo & bono determinandas esse duximus; videlicet ea, quae

Puncto 11. Majoris claritatis ergo, ex parte toties dictae Camerae apposita habentur, stare omnino debere, cum in eo casu, quo fidelitates Vestrae in praestandis Extraordinarijs oneribus suis nefors remissae forent, ita ut easdem eatenus monere sit necesse, nullum per hoc novum onus Camerae accrescere debeat, sed & ex quo praeinsinuata Conscriptio impracticabilis vix non esse videretur, Status Bonorum non aliunde, quam ex fideli Juratorum officialium denunciatione, Librisque Urbarialibus erui quiret, praecipue cum Fidelitates Vestrae super eo, ut remonstrarent, cur nam praeallegata Vrbarialis Proba Juramento etiam officialium munita sufficere non debeat? itteratis etiam vibibus commonitae, nihil eo in passu in praesentiarum usque reposuissent. Quantum autem ad discrepantiam eodem Puncto Secundo uberius expositam: Siquidem ex productis per Cameram Urbarialibus Extractibus censeretur, toties dicta Bona in eo, quo nunc sunt statu, non plures, quam 15 fumos efficere, & Fidelitates quoque Vestrae per modo praevio projectatam respectu onerum Extraordinariorum, tum hactenus inexolute haerentium, tum etiam in futurum praestandorum, Conventionem onerum tali alias Regno incumbentium in Decima quinta Parte supportationem Eidem Camerae onerosam esse, agnovisse viderentur, hinc etiam saepefatam Cameram usque ad tempus instituendae praeattactae Conscriptionis in exolutionem talium onerum, quae pro nunc, uti praemissum esset, nec praevideri, minus specificari valerent, si eadem nefors Regno imponi contingeret, nonnisi a proportione 15 Fumorum concurrere debere. Quoad

3. Praeteritorum Annorum, Restantias, oblatis ex parte Camerae 6000 Florenis & Fructibus Bonorum in executionem Sumptorum, usque ad subsecutam eorundem reexecutionem, perceptis & juxta praefatorum Bonorum valorem circiter Mille Quingentos Florenos constituens sufficienter compensari, praecipue cum Fidelitates Vestrae in primaevo projecto Suo nulla praedeclaratorum fructuum mentione facta, in Sortem praespecificatarum Restantiarum non nisi octo Mille Florenos praetendissent. Tandem circa

4. & 8. Hoc loco factam Fidelitatum Vestrarum declarationem admitti, cum juxta etiam Articulos 71. Anni 1681 & 44. 1715 saepefata Bona seu eorum Possessores & officiales Legibus Regni subesse debeant. Ex quo demum Fidelitates Vestrae cum saepefata Camera Nostra in eo non convenissent, quisnam in Causis protractae, sive denegatae per Cameram Justitiae, sicut & ubi ipsa Camera ratione dictorum Bonorum Jure convenienda esset, absente a Regno

Bano, Ejusdem Camerae Judex esse debeat. Eo in passu judicavimus primum et ante omnia distingvendas esse causas, ratione quarum antelata Camera Jure conveniri posset, & tandem juxta meritum & qualitates Causarum Judices quoque deputandos fore. In Causis igitur superfacto praenotatoram Bonorum contra eandem Cameram movendis, deinceps quoque sortiatur Forum Banale. In Causis autem Violentiarum per ipsam Cameram aut ex officiolatu commissarum, prout & si memorata Camera modalitate hoc puncto prascripta coram se querulantibus Jus & Justitiam debite impendere, sive longius differret, aut plane omitteret, coram, non quidem per Comitem praefatorum Regnorum Banum, verum exemplo Articuli 121. praecitati 1715 Anni per Majestatem Nostram singulis annis clementer Delegando Judice, Jure conveniri possit. Cujusmodi Judex in Causis coram se movendis contra toties dictam Cameram juxta Regni Leges Judicium quidem ferre, Sententiam suam nullatenus in Executionem summere, verum eandem Majestati nostrae, medio Regiae Cancellariae Hungaricae Aulicae, pro clementer ordinanda ulteriore ejusdem Revisione ac disquisitione demisse submittere debeat. Quoad

5. Ad tollendam differentiam inter Partes circa hocce Punctum vigentem, ex hoc & immediate subsequente sexto Puncto unum formandum fore. Demum pro

Ultimo. Cautelam ex parte Fidelitatum Vestrarum interpositam locum non habere, cum exinde sequeretur Cameram non nisi ut partem Incattam Publicis Regni Congregationibus interesse posse, adeoque aliorum Compossessorum minore Privilegio, aut praerogativa gaudere.

Praerecensitis proinde discrepantijs taliter, uti praemissum esset, per Majestatem Nostram benigne determinatis, negotium inter Fidelitates Vestras et toties dictam Interioris Austriae Cameram Nostram modo praevio controversum, modalitate hisce sub Litera C. annexa, ex aequo et bono complanaretur & accomodaretur. In reliquo Gratia et Clementia Nostra Caesareo-Regia Fidelitatibus Vestris benigne jugiterque propensi manentes. Datum in Ciuitate nostra Vienna Austriae, Die Decima octava Mensis Augusti, Anno Domini Millesimo Septingentesimo Vigesimo.

Carolus m. p.

Ladislaus Adamus C. Erdödy m. p.
Episcopus Nitriensis.

Josephus Koller m. p.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregijs et Nobilibus, nec non Prudentibus, ac Circumspectis, N. N. Regnorum nostrorum Dalmatiae Croatiae et Sclavoniae Universis Statibus & ordinibus. Fidelibus Nobis dilectis.

(Locus Sigilli Regii.)

Originale in Archivo Regni Croatiae. Acta R. Congregationum 1701. Nr. 77.

CCXXXVII.

Anno 1721. die 20. Maji. In castro Laxenburg.

Carolus III. Rex mandat, ut Status Croatiae unam alteramve legionem militum aestivis mensibus sustentent, vel 50.000 florenos hoc nomine solvant.

CAROLUS VI. DEI gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, Hungariae Bohemiaeque &c. REX.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item & Egregij, nec non Prudentes et Circumspecti, Fideles Nobis dilecti. Aliunde Fidelitatibus Vestris apprime constare non ambigimus, quantis quamve amplis, ijsque inevitabilibus Aerarium nostrum Caesareo-Regium, post Bella tam diuturna, eaque gravissima, retroactis Annis et temporibus confecta, prematur & obnoxietur Erogationibus, adeo quidem, ut ejusmodi oneri ulterius ferendo, nisi omnia omnino Haereditaria Regna et Provinciae nostrae in Subsidium aequa proportione concursurae attrahantur, impar plane et insufficiens esse censeatur; Interim tamen absque Milite conservato et debite soluto publicae securitati, et communi omnium bono ac quieti prospectum satis non sit. Hinc Nos hujusmodi motivis et circumstantijs permoti, ac indispensabilis necessitatis ratione inducti, in praefatum quoque istud Regnum nostrum Croatiae partem antelati oneris etsi minimam derivandam et extendendam esse, eumque in finem, unam alteramve Legionem nostram, a prima currentis Mensis Maji Die, qua illis huc movendum erat, in aestivis Mensibus, secundum benigni Regulamenti in memorato Regno nostro Hungariae pro praeterito hyberno publicati tenorem et normam, in gremio praelibati hujus Regni nostri Croatiae dislocandam & sustentandam, vel in vicem seu locum ejusmodi alimentationis in parato aere Quinquaginta Mille Florenos (optione alternativa eatenus Fidelitatibus Vestris ad promte ac fideliter exequendum benigne relicta) dinumerandos et solvendos esse, clementer Statuimus atque ordinavimus. Quo vero ipsum hocce onus ulteriori lenimento temperatum miserae Plebi levius accidat, clementer resolvimus, ut uterque Generalatus Varasdinensis et Carlostadiensis. Cameralia item Bona nostra, intra limites praefati hujus Regni nostri sita, occasione ibidem fiendae praefatarum Legionum nostrarum Dislocationis, vel loco Ejus, ut praemissum est, parati aeris fiendae praestationis, habita aequitatis proportione. in oneris partem veniant.

Eapropter Fidelitatibus Vestris harum serie benigne simul et firmiter committimus et mandamus. quatenus acceptis praesentibus, intellectaque benigna in praemissis Dispositione atque ordinatione nostra, super antelatarum Legionum

nostrarum in gremium Vestri adventantium Dislocatione et sustentatione, aut vero loco Ejus, praespecificatorum Quinquaginta Mille Florenorum praestatione, necessarias Dispositiones atque ordinationes inter Incolas antenominati Regni hujus nostri Croatiae facere atque instituere modis omnibus debeant atque teneantur Eaedem Fidelitates Vestrae; Secus non facturae. Gratia in reliquo nostra Caesareo Regia Fidelitatibus Vestris benigne jugiterque propensi manemus. Datum in Castro nostro Laxenburg Die Vigesima Mensis Maji, Anno Domini Millesimo septingentesimo vigesimo primo.

Carolus m. p.

Comes Nicolaus Illeshazy m. p.

Josephus Sigray m. p.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item & Egregijs, nec non Prudentibus ac Circumspectis N. N. Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Universis Statibus et Ordinibus &c. Fidelibus Nobis Dilectis.

Varasdini.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congregationum. 1721. N. 19.

CCXXXVIII.

Anno 1721. die 17. Maji. Viennae

Carolus III. Rex angustiis aerarii pressus, ordinat, ut Croatiae Status unam alteramve legionem aestivis mensibus sustentent, aut 50.000 flor. hoc nomine solvant, speratque Status Croatiae hanc ejusdem ordinationem suo assensu probaturos esse.

CAROLUS DIVINA Favente Clementia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus &c.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, nec non Egregij et Nobiles, fideles Nobis dilecti. Aliunde palam est omnibus, post bella tam diuturna, eaque gravissima, confecta, aerarium Nostrum Caesareo-Regium tanta mole premi, ut oneri ulterius ferendo, nisi omnibus haereditarijs Regnis et Provincijs Nostris in concursum aequa lance attractis impar plane et insufficiens, absque milite tamen conservato et debite soluto publicae Securitati et communi omnium bono ac quieti prospectum satis non sit; ut adeo his motivis permoti, licet more maiorum Nostrorum, quoad per publicas rationes fieri valet, charissimum Nostrum haereditarium Croatiae Regnum singulari semper benevolentia complectamur, ad extremum aliter facere non potuerimus, quin in id currenti hoc anno partem quoque oneris, etsi minimam, derivaremns, id est unam alteramve legionem a prima huius mensis Maji, qua illis huc movendum erat, in aestivis mensibus, secundum regulamenti in Hungaria pro hyeme publicati tenorem et normam, sustentandam ibidem et dislocandam constitueremus, vel eius loco in parato aere quinquaginta mille florenos, sicut id electioni vestrae clementer relinquimns, alternative prompteque expectaremus. Ut vero ipsum hoc onus ulteriori lenimento temperatum vobis Statibus totique Regno levius accidat, benigne pariter indulgemus, ut uterque Generalatus Varasdiniensis et Carlostadiensis, Cameralia item bona nostra intra Regni limites sita, vel dum praefatae legiones in Croatiam dirigendae et ibidem collocandae, vel dum ejus loco aes paratum praestari voluerit, aequa proportione habita in oneris partem veniant. Quare de commonstrata vestra peculiari illibataque semper fide ac publici boni promovendi studio clementer confidimus, Vos desuper prompte seduloque deliberaturos, eamque positivam et congruam declarationem, uti nostra de Vobis spes atque inseparabilis a vestra incolumitate Servitij Nostri Caesareo Regij ac publici boni rationes aperte manifesteque postulant, eo magis sine haesitatione daturos fore, cum per inte-

grum, et quod excedit, biennium ab hybernio, omnique alio tributo, cui omnia caetera nostra haereditaria Regna et Provinciae graviter subjacebant, soli vos immunes eratis. Praestabitis hac ipsa oportunitate Servitium Nobis singulariter acceptum. Qui vobis gratiam Nostram Caesareo-Regiam clementer rursus confirmamus. Dabantur in Civitate Nostra Vienna Austriae, die decima septima mensis Maji, Anno millesimo septingentesimo vigesimo primo, Regnorum Nostrorum Romani decimo, Hispanicorum decimooctavo, Hungarici et Bohemici vero undecimo.

Carolus m. p.

Eugenius a Sabaudia m. p.

Ad Mandatum Sac. Caes. Regiaeque Catholicae Majestatis proprium:

Antonius Josephus ab Öttl m. p.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus, ac Magnificis, nec non Egregijs et Nobilibus N. N. Universis Statibus et Ordinibus Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum Nostrorum, Fidelibus nobis dilectis.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. 1721 N. 19.

CCXXXIX.

Anno 1724. die 11. Aprilis. Viennae.

Carolus III. Rex modum solvendi a SS. et OO. assumpti subsidii militaris determinat.

CAROLUS VI. DEI gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, Hungariae, Bohemiaeque &c. REX.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici jtem Egregij et Nobiles, nec non Prudentes ac Circumspecti, Fideles nobis dilecti. Posteaquam tenore benigni Rescripti nostri, sub Dato diei 12. Mensis Junij, Anni 1722 ad Fidelitates Vestras directi, Iisdem clementer intimassemus, ut quemadmodum

reliqua haereditaria Regna et Ditiones nostrae ad supportandas publicas necessitates, Tributis seu Praestationibus suis solicite prompteque concurrerent, ita etiam hocce nostrum Croatiae Regnum, concurrentibus proportionatim Varasdiensi et Carlostadiensi Generalatibus, Bonisque Cameralibus, iam alioquin sat diu ab istiusmodi Contributione liberis, Viginti quatuor mille florenos parato aere persolveret, vel Militi eo iam destinato alimenta et Stipendia subministraret; Fidelitates autem Vestrae, tenore demisse Instantiae suae, praeterito Mense Februario Nobis jntroporrectae, Concursum parati aeris praeeligissent, talique pacto nihil aliud restaret, quam ut jnter Fidelitates Vestras et praefatos Generalatus quaepiam eatenus proportio eruatur. Hinc pro jnterim et usque dum magis exacta et accurata Proportio pro futuro eruta fuerit, clementer hisce ordinamus, ut Fidelitates Vestrae, inclusis etiam Bonis nostris Cameralibus, in gremio Earundem habitis, ad exolutionem pro currente hocce Militari Anno desideratae alias sat moderatae Viginti quatuor millium florenorum Summae, in tribus ejusdem Quintalitatibus, seu Quatuordecim mille quadringentis florenis Rhenensibus, citra ulteriorem moram realiter ac effective praestandam concurrant: residuis duabus Quintalitatibus, seu restantibus Novem mille sexcentis florenis dictis duobus Generalatibus impositis, in ijsdemque desumendis. In reliquo Fidelitates Vestras Gratia nostra Caesareo-Regia benigne complectimur. Datum in Ciuitate nostra Vienna Austriae, die undecima Mensis Aprilis, Anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo quarto.

Carolus m. p.

Ladislaus Adamus C. Erdödy m. p.
Episcopus Nitriensis.

Josephus Koller m. p.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis jtem Egregijs et Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis, N. N. Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae Universis Statibus et Ordinibus &c. Fidelibus Nobis dilectis.

Ex Officio. Varasdinum.

(L. S.)

Originale in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. 1724. Nr. 3.

CCXL.

Anno 1724. die 19. Aprilis. Viennae.

Carolus III. Rex a SS. et OO. Regni Croatiae, et Slavoniae militare subsidium 24.000 flor. petit.

CAROLVS Divina Favente Clementia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus &c.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, nec non Egregij et Nobiles, fideles nobis Dilecti. Relata sunt nobis ea, quae ad postulatum nostrum adhuc decima quarta Julij anno abhinc superiori ad vos emanatum de pendenda viginti quatuor mille florenorum Contributionis Summa, vel ejus loco recipiendo in Regnum alendoque aequiparanti militum numero tam antehac respondistis, quam nuperrime Commissioni ex Consilio Nostro Aulae Bellico, uti et Camera Nostra Aulica ac Cancellaria Hungarica aeque Aulica conjunctae per Deputatos e gremio vestro repraesentastis; quorum etiam intuitu atque ex singulari, qua Charissimum Nostrum haereditarium Croatiae Regnum semper complectimur benevolentia, quoad per publicas rationes fieri potest, vobis gratificari volentes, ad demissam vestram deprecationem benigne in eo condescendimus, ne quae militia Nostra illac dirigatur et actualiter illocetur. Quoniam autem jam per aliquot annos ab hybernio omnique alio tributo, cui omnia caetera Nostra haereditaria Regna et Provinciae subjacebant, et adhucdum subjacent, soli vos immunes eratis, sic jam eo magis inhaeremus praefatae Resolutioni Nostrae quoad alteram partem postulati Nostri alternative vobis intimati, ut nempe, quod respectu reliquarum ditionum Nostrarum valde exiguum est, dictam viginti quatuor mille florenorum Summam pro currenti hoc anno contribuatis. Quo vero ipsa haec praestatio vobis tantominus graviter accidat, benigne pariter annuimus, ut uterque Generalatus Varasdiniensis et Carlostadiensis, uti et Cameralia Nostra bona intra Regni limites sita, in partem oneris ita veniant, ut memorata viginti quatuor mille florenorum Summa in quinque partes dividatur, et signanter tres quintalitates a Charissimo Nostro Croatiae Regno simul cum dictis Nostris bonis Cameralibus, alterae duae quintalitates vero a praefatis ambobus Generalatibus eo promptius pendantur, cum id ipsum quantum Legioni Nostrae Dimacharum Wirtenbergianae in partem obvenientis eidem alimentationis assignatum jam sit. Confidimus proinde in cognito vestro zelo ac devotione, vos ad exemplum aliarum omnium Provinciarum Nostrarum haereditarium id absque haesitatione alacriter praestaturos, unde Nobis Servitium singulariter acceptum exhibebitis. Qui porro vobis gratiam Nostram Caesareo-Regiam clementer rursus confirmamus. Dabantur in Civitate Nostra Viennensi die decima nona Mensis Aprilis, Anno Millesimo Septingentesimo vigesimo

quarto, Regnorum nostrorum Romani decimo tertio, Hispaniarum vigesimo primo, Hungarici et Bohemici etiam decimo tertio.

Carolus m. p.

Eugenius a Sabaudia m. p.

Ad Mandatum Sacr. Caes. Regiaeque Catholicae Majestatis proprium:

J. W. von Brockhausen m. p.

***A tergo*:**

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, nec non Egregijs et Nobilibus N. N. Universis Statibus et Ordinibus Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum Nostrorum, fidelibus Nobis Dilectis.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. a. 1724. Nr. 5.

CCXLI.

Anno 1725. die 7. Junii. In castro Laxenburg.

Carolus III. Rex Tabulam Judiciariam pro Regno Croatiae et Slavoniae regulat.

CAROLUS VI. DEI gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, Hungariae, Bohemiaeque &c. REX.

Reuerendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item Egregij & Nobiles, Fideles Nobis dilecti. Demisse relata est Nobis illa celebrandorum Iudiciorum Modalitas, quam Fidelitates Vestrae in locum Prothonotarialis Iudicatus, antehac in Partibus exerciti, post ejusdem sub novissime terminata Diaeta interventam abrogationem, in Generali Congregatione sua, mense Augusto Anni 1723 Zagrabiae celebrata, ad benignam ratificationem aut Modificationem nostram elaborarunt & Majestati nostrae humillime exhiberi fecerunt. Quo in passu benigne visum fuit Nobis sequentem resolutionem impertiri: ut videlicet pro moderno Iurisdictionis Banalis Statu, una duntaxat Iudiciaria Tabula, ex uno Praeside, ac quatuor Assessoribus, uno item Jurato Notario, benigne per Majestatem nostram erga praeviam demissam Fidelitatum Vestrarum Propositionem constituendis & denominandis, ordinario Legeque stabilito Iudicum Iuramento adstringendis, ac Salaria competentia ex Publico Regni fundo habituris, constans erigatur, eademque seu ad illam denominandi Praeses, Assessores & Notarius in Liberam et Regiam Ciuitatem nostram Zagrabiensem quotannis pro Dominica prima Quadragesi-,

simae, Festo item Sanctorum Philippi & Jacobi Apostolorum, ac tandem Festo quoque S. Stephani Regis se se conferre, ibidemque in Domo Praetoria Consessus Iudiciarios celebrando, tam diu donec necessitas Concurrentium Causarum postulabit, remanere, Partibusque Iustitiam administrare teneantur, exceptis tamen Legalibus Ferijs, Juristitiorumque temporibus. reliquis vero Juridicis & aptis Anni temporibus pro Banali Tabula & Sedibus Judiciarijs Comitatuum relictis. Incumbet autem Regnicolis coram hujusmodi Tabula Causas suas promoturis ita mature & tempestive apud futurum pro tempore Praesidem, vel eo vacante aut legitime impedito, vel interessato, apud primum ejusdem Tabulae Assessorem & Conjudicem, semet debite insinuare, ut contra Partes eorundem legaliter eatenus certificari queant, et si vel unus duntaxat Causantium se insinuaverit. Officiumque ejusmodi tempestive interpellaverit, eo facto Praeses et reliqui ejusdem conjudices sub Poena legali ad Locum praedeterminatum convenire et Judicialiter tanto quanto opus fuerit tempore considere et in concursu plurium Causarum Legalem seriem, Pauperumque et Viduarum ac Causarum vetustatis reflexionem habere, Justitiamqne omnibus aequaliter sancte et intemerate administrare obligabuntur. Si porro nullus absolute Causantium ante destinatos modo praevio Terminos apud praeattactos Judices semet insinuaverit, aut ex praecedenti vel praecedentibus ejusmodi Terminis aliquae indecisae Causae et Processus non manserint, tali pro casu ipsi quoque Iudices pro imminenti aliquo ex modo praevio designatis Termino eorsum comparere et ibidem tempus innaniter consumere nequaqum teneantur. Et vice versa, si etiam extra et praeter supra denotatorum Terminorum tempora, praesertim aliqua Inops et miserabilis Persona Judicium et Justitiam a praelibata Tabula Judiciaria postulaverit, praemissis de Lege et Jure praemittendis, tali etiam extraserialiter toties quoties necessum fuerit, omnem debitam Justitiam et Satisfactionem administrare. Eidem vero Tabulae, seu ejusdem Commissionibus et Exmissionibus, Judices et Vice-Judices parere obligabuntur. Taxae porro Expeditionum ejusdem Tabulae Judiciariae pro sublevamine Causantium, ad ratam medietatem illorum, quae hactenus exigi consvevissent, reducantur, Iisdemque tam Judices, quam et Scribae eorundem contententur. Appellationes demum, tam a praerepetitae Tabulae, quam etiam Comitatensium Sedriarum Judicio intra Dominium, seu suspensa latae Sententiae Executione, ad Tabulam Banalem, inde vero ad tenorem Articuli 27. 1723. ad Tabulam nostram Regiam Iudiciariam interponi admittantur & eo etiam transmittantur, solo casu imminentis Distractionis aut dilapidationis rerum adjudicatarum, nullius item, vel insufficientis Cautionis, excepto, in quo juxta Articulum 28. Anni 1715 usque ulteriorem Causae Decisionem, Sequestrum imponendum erit. Caeterum id quoque juxta demissum Fidelitatum Vestrarum Postulatum Iisdem clementer hisce admittendum esse duximus: Ut praeter et ultra Causas Prothonotariali Foro antehac subjectas, causae quoque contra Supremos aut Vice-Comites, quorumvis praespecificatorum Regnorum Comitatuum, seu in Personalibus, aut etiam realibus, promovendae, quae alias Foro Comitatensi subessent, ibidem in prima Instantia dijudicandae, ad tollendum omnem rationabilis Diffidentiae aut interessentiae cujuspiam fomitem et Suspicionem, in praedeclarata Judiciaria Tabula in prima Instantia Legaliter in futurum promoveri possint.

Quibus taliter resolutis et applacidatis Fidelitatibus Vestris clementer hisce committimus et mandamus, quatenus acceptis praesentibus, eo, quo Praeses. As-

sessores et Notarius dictae Tabulae clementer etiam per Majestatem nostram constitui et denominari queant, apta et idonea eatenus Subjecta Nobis demisse proponere, una etiam in eo, quidnam uni et alteri eorundem titulo Annui Salarij ordinandum existimarent, demissam Opinionem suam quantocyus submittere noverint et non intermittant. Gratia in reliquo nostra Caesareo-Regia Eisdem Fidelitatibus Vestris benigne propensi manentes. Datum in Castro nostro Laxemburg, die septima Mensis Junij, Anno Domini Millesimo Septingentesimo Vigesimo quinto.

Carolus m. p.

Emericus Esterhazy m. p.
Episcopus Vesprimiensis.

Josephus Koller m. p.

A tergo:

Reuerendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregijs & Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis N. N. Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae & Sclauoniae Universis Statibus & Ordinibus &c. Fidelibus Nobis dilectis.

Varasdini Ex Officio.

(L S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. 1725 Nr. 10.

CCXLII.

Anno 1736. die 29. Novembris Viennae.

Carolus III. Rex SS. et OO. Croatiae et Slavoniae conservationem jurium et libertatum pollicetur.

CAROLVS VI. DEI gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, Hungariae Bohemiaeque &c. REX.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item Egregij et Nobiles, nec non Prudentes ac Circumspecti, Fideles nobis dilecti. Demisse relata sunt Nobis ea, quae Fidelitates Vestrae occasione nuper interventae a Consilio nostro Aulae Bellico ad Comitem Banum circa concreditum Principi ab

Hildburgshausen Partibus in illis Militare Imperium Insinuationis, ex Earundem Conferentia nuperrime habita Nobis medio peculiariter exmissorum Ablegatorum suorum humillime exposuerunt; Quibus benigne intellectis, veluti Nos Augustaque Domus nostra hactenus cunctis in occurrentijs eximiam Fidelitatem Fidelium Statuum et Ordinum Regnorum nostorum Croatiae ac Sclavoniae experti fuissemus, ac de ulteriore quoque ejusmodi insignis Devotionis et Fidelitatis continuatione indubiam spem Nobis firmiter polliceremur, ita in Casu ingruentis Belli ac dum ad reprimendam Hostium Vim validior, eaque regulata Militia in Districtu Jurisdictionis Banalis necessaria est futura, ejus clementissimam habituri sumus reflexionem, ne Servitio nostro vel etiam Publico Bono Conservationique Ipsorummet Fidelium Statuum quid desit: Et neque praememorata Consilij nostri Aulae Bellici Insinuatio eo sensu sumenda esset, quasi Imperium Militare illis in Partibus habiturus, cum Fidelibus Statibus, omisso medio legitimae et competentis Eorundem Instantiae, pro suo arbitrio acturus esset, cum expressa benigna mens et voluntas nostra existat, ut ea, quae a parte Provincialium dictorum Regnorum nostrorum in Promotionem servitij nostri inibi etiam conferri debent, medio antelati Bani Fidelitatibus Vestris intimentur et innotescant, ac erga talem Intimationem sua modalitate prompte etiam praestentur, . et alias quoque Fideles Status et Ordines praeattactorum Croatiae ac Sclavoniae Regnorum nostrorum in justis suis Juribus, Praerogativis et Privilegijs omnimode conserventur manuteneanturque. Gratia in reliquo nostra Caesareo-Regia Fidelitatibus Vestris benigne jugiterque propensi manentes. Datum in Civitate Nostra Vienna Austriae, Die vigesima nona mensis Novembris Anno Domini Millesimo septingentesimo trigesimo sexto.

Carolus m. p.

Comes Ludovicus de Batthyan m. p.

Petrus Végh m. p.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregijs et Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis N. N. Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae universis Statibus ac Ordinibus &c. Fidelibus Nobis dilectis.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congregationis A. 1736. N. 53.

CCXLIII.

Anno 1738. die 24. Martii. Viennae.

Carolus III. Rex Communitatem Sichelburgensem a tricesimae praestatione, quoad sibi necessaria, vi obtenti ab eadem Communitate privilegii, liberam dicit.

CAROLVS VI. DEI gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, Hungariae, Bohemiaeque &c. REX.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item Egregij ac Nobiles, nec non Prudentes ac Circumspecti, fideles Nobis dilecti. Ex demissa Cancellariae nostrae Austriaco Aulicae Repraesentatione informamur, qualiter Communitas Sichelburgensis a modernis Arendatoribus & Tricesimatoribus in antiquis suis per Nos Clementer Confirmatis Privilegijs in eo novissime turbata atque laesa fuerit, quod de omnibus & singulis illuc introducendis Mercibus Telonium sive Trigesimam earundem partem indiscriminatim persolvere debeat, aut hoc denegato, diversa Ejus sequestrentur pecora; unde graves jam Rixae, Conflictus, atque Caedes mutuae subsecutae fuissent. Quibus malis oportune provideri cupientes, Camerae nostrae Aulicae benigne demandavimus, quatenus memorata Communitas, vigore Privilegij sui, ab ejusmodi Tricesimae praestatione, quoad sibi necessario introducenda Consumptibilia penitus liberetur, respectu vero sui aliorsum agendi et instituendi Commercij, praecipue praesentis Belli tempore, pristina & hactenus solita moderata Telonij praestatio observetur. Quam benignam Resolutionem atque Ordinationem nostram in praemissis interventam, Fidelitatibus Vestris ad Statum notitiae Clementer intimantes, Iisdem in reliquo Gratia et Clementia nostra Caesareo-Regia benigne propensi manemus. Datum in Civitate nostra Vienna Austriae, die vigesima quarta Mensis Martij Anno Domini Millesimo Septingentesimo Trigesimo octavo.

Carolus m. p.

Comes Ludovicus Batthyani m. p.

Petrus Végh m. p.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregijs et Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis N. N. Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Universis Statibus & Ordinibus &c. Fidelibus Nobis dilectis.

Varasdini ex Offo.

(L. S.)

Orig. in Arch. Reg. Croat. Acta Regni Congr. 1738, Nr. 11.

CCXLIV.

Anno 1745. die 1. Aprilis. Viennae.

Instructio Commissariis pro reincorporatione Inferioris Slavoniae constitutis, a Regina Maria Theresia data.

Communis ac ulterior Instructio Commissariorum Nostrorum Regiorum, Generalis quippe nostri Baronis ab Engelshoffen, Comitis jtem Alexandri Patachich et Baronis Ladislai Vajai, ad incorporationem Syrmij et inferioris Sclavoniae. pro exigentia Articuli 18 et 50. novissimae Diaetae suo modo instituendam, denuo exmissorum.

Siquidem praemisso in negotio Incorporationis ultra ea, quae jam Annis praeteritis clementer resolvimus et Bano Croatiae, nec non praefato Generali nostro ab Engelshoffen die 30. Octobris Anni 1743 et Comiti Patachich, aeque sub die 5. Augusti Anni proxime praeteriti, conformiter ad praecitatos 18. et 50. Anni 1741 Articulos, tanquam Basim et fundamentum totius huiusce Incorporationis ulterius quoque benigne insistimus, medio etiam tempore sequentia clementer resolvissemus.

P r i m o, ut praefati Commissarij nostri Regij post acceptam hanc benignam Instructionem nostram ad Summum intra 14 dies ad faciem loci jterum exeant et pro certo die ac loco, per ipsos cointelligenter designando, simul conveniant, et usque finem Corporationis istius in omnibus Militaribus aeque ac Provincialibus simultanee ac communiter agant. Igitur ut primum ad destinatum Locum pervenerint, et simul constituti fuerint, ac de tempore et necessitate fore compererint, ultra jam per Consilium nostrum Aulae Bellicum publicatam novam iterato pro universis praedonibus, prae manibus Judiciarijs nondum existentibus,

Generalem Amnystiam cum praefixione Termini, sub quo semet coram ipsis aut Superioritate sua personaliter sistere et qui illorum taliter semet, benevole stiterint et militares fieri nollent, ut deposito praevie Juramento semet uni vel alteri Locorum Communitati inscribi curare, ibidemque constanter habitare et permanere, ab ulterioribusque Praedocinijs abstinere poenitus debeant, Nomine nostro Regio per totum Syrmium et inferiorem Sclavoniam publicabunt memorati Commissarij nostri Regij, ut hoc etiam modo tranquillitati et securitati Publicae Partium illarum consulatur et prospiciatur. Hoc porro praemisso, cum ad mentem praecitati Articuli 18. 1741. ad hanc Syrmij et inferioris Sclavoniae Incorporationem etiam Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banus cum Statibus et Ordinibus eorundem Regnorum Commissarios denominandos habeant, eoque fine, ut unum alterumque Commissarium ex parte etiam Sua ad tempus et Locum designatum eorsum expediant, Ipsis jam commissum esset; Igitur

Secundo, Ubi hi quoque praefatorum Regnorum Deputati eo advenerint, Commissarij nostri Regij cum illis quoque ex parte Syrmij & Sclavoniae communiter agant in omnibus et tractanda tractent, concludendaque concludant, ac proinde insimul cum ipsis in Syrmium et inferiorem Sclavoniam descendant, ex mutuo ad invicem Consilio et auxilio pro resoluto jam Confiniariorum Nummero, quem ad Statum completum quo citius poni et in eodem conservari, nullatenus autem diminui volumus, eorundemque Officialibus, incluso jam hactenus exciso, velut non sufficiente, aptum et sufficiens, non quidem recte tantum, quantum antecedenter superflue fors habuerunt, sed quantum ipsis a proportione Numeri ita necessarium esse videbitur, ut in illo et poenes illud valde bene et comode non tamen abundanter et superflue subsistere possint. Terrenum primo poenes Danubium, a Petro-Varadino incipiendo usque Semblin, quo trans Danubiales Confiniarios ex Comitatibus Bach & Bodrogh transferi et translocari volumus, ac dein poenes fluvium Savum a Semblin ascendendo versus Turcicum, excindant; illo vero pro confinio taliter exciso inter illud et reliquum quod remanet Syrmij et Sclavoniae inferioris Terrenum, Lineam Confiniariam ducant, sicque contribuentes a Militibus Confiniarijs effective separent. Facta autem hacce separatione,

Tertio, Totum illud Terrenum, quod pro Confinio, et militibus confiniarijs praevio modo excisum et separatum fuerit, pro parte confiniariorum relinquatur, et inter Ipsos modalitate in supracitatis de 30. Octobris et 5. Augusti emanatis benignis Rescriptis Nostris expressa subdividatur; eademque confinia circa omnia, quae requiruntur Militaria, medio dictorum Regiorum nostrorum et Provincialium Commissariorum debito modo et ordine relegentur, residuum vero totum et universum, quod a praevio modo exciso confiniario Terreno in Syrmio et jnferiori Sclavonia remanebit, Terrenum, cum universis ejusdem locis locorumque Incolis et Inhabitatoribus, ipsisque hactenus incumbentibus cunctis oneribus Publicis, Dominisque ipsorum Terrestribus, Nomine Regio et Suprema Authoritate nostra Banali et Provinciali Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Jurisdictioni mox et de facto incorporetur, et hoc Titulo praefatorum Regnorum Commissarijs consignetur. Hoc facto

Quarto Universum hocce incorporatum Terrenum spectato situ locorum in tres Comitatus, Syrmiensem utpote, Poseganum et Veroczensem, incluso etiam sic dicto Valpo seu Valkoviensi Comitatu, subdividatur; et licet quidem praelibati Regij Commissarij nostri proiectum istiusmodi subdivisionis Nobis jam exhibuissent,

cum tamen illud Projecto Comitis Bani sub 4. Julij 1743 submisso conforme non esset, et aliunde etiam Ipsius ac Statuum et Ordinum deputati superinde auditi nondum fuissent, ideo habito mutuo desuper cum ijsdem Consilio et deliberatione, subdivisio dictorum trium Comitatuum in facie loci elaboretur, et provisorie, ac ad ratificationem nostram mox etiam in effectum deducatur. Ex quibus Comitatibus siquidem Veroczensis Supremo Comite provisus jam esset, quoad reliquorum autem duorum Comitatuum Supremi Comitis Officia nonnullae Familiae praetensionem facerent; Ideo ijsdem Familijs ad Petitorium remissis, Comitatibus Syrmiensi et Posegano interea de Administratoribus Officiorum Supremi Comitis benigne providendum esse duximus, veluti in hac qualitate pro Syrmiensi Baronem Marcum Alexandrum Pejachevich, pro altero vero Posegiensi alterum itidem Baronem Ladislaum Vajay jam clementer denominavimus. Quod autem

Quinto, Vice-Comitum et reliquorum subalternorum in dictis tribus Comitatibus instituendorum Officia concernit; Quamvis quidem Comes Banus sub 5. Decembris 1743 penes relationem suam certam subjectorum pro praemissis subalternis Comitatuum Officijs projectatorum specificationem, hic in genuinis paribus sub A. annexam, Nobis submisisset, num autem illa subiecta apta et idonea sint? non constaret: Ideo memorati Commissarij ex subiectis illis, qui semet pro Subalternis saepefatorum trium Comitatuum Officijs apud ipsos insinuabunt, aptiora et magis idonea seligent, eo tamen reflectent, ut si ex illis, qui in illis Comitatibus jam resident et fixam mansionem habent, ad hoc vel illud Officium apti reperiantur, tales aliis undecunque oriundis praeferantur, et sic primo quidem in Syrmiensi, dein vero etiam in reliquis duobus Comitatibus, necessarios officiales Comitatenses provisorie et usque ulteriorem benignam ratificationem nostram constituant, solitum Officij Juramentum ab ipsis desumant, et statim ad activitatem, cuilibet de Lege et usu aliorum etiam Hungariae et Croatiae Comitatuum competentem, ponant; sed et ipsos quoque Supremum Comitem et ejusdem Officij Administratores, obtentis et productis superinde per Cancellariam nostram Regiam Hungarico Aulicam expeditis solitis Decretis, more in alijs Comitatibus consveto installabunt. Quoad debitam autem Justitiae et aliorum Servitium nostrum et Commune totius Regni illius Bonum, Contribuentium jtem Conservationem et ulteriorem permansionem, respicientium publicorum Administrationem, cum ipsis et eorum Superioribus, antellatorum quippe Comitatum Supremo respective Comite et Administratoribus Nomine nostro exhibebunt Generalem, quae hic sub Littera B. adnectitur, Instructionem Nostram; qui postquam praevio modo constituti et ad activitatem positi fuerint, tam horum quam aliorum necessariorum Comitatensium Servitorum, quando et cum quali stipendio vel Salario conductorum, genuinam Specificationem Majestati nostrae submittent. Ut autem statim Officiis suijs fungi et operari valeant ijdem Comitatenses Officiales,

Sexto: Jam commissum est medio Consilij nostri Aulae Bellici et Camerae nostrae Aulicae Provinciali in Sclavonia hactenus constitutae Deputationi: Primo, ut Commissioni huic in operationibus suis omnem asistentiam praebeat, et quamprimum Linea Confiniaria ducta, sicque Confinia a reliquo Provinciali Terreno seperata et illius Incorporatio in effectum deducta, Officialesque Comitatenses succcsive constituti fuerint, accepta sola exactione et incassatione pro currente adhuc Anno militari cedentium Contributionum et aliorum onerum publicorum (uti ab infra dicetur), in reliquo tota tam Deputationis illius, quam Ejusdem Subalterno-

rum Activitas ct Jurisdictio, quam hactenus sibi concreditam habuit et illi habuerunt, immediate cesset. 2. Ut omnium illorum, quae tam ab hactenus pro Confiniarijs jam excisso et per modernam Commissionem adhuc excidendo, quam etiam residuo, Jurisdictioni Banali mox incoporando Terreno, ejusdemque locis sive titulo Contributionis, sive vero aliornm onerum publicorum annue quorsum in paratis, vel naturalibus Incolae praestare debuerunt, accuratam et genuinam Connotationem et Specificationem Commissioni huic exhibeat, ut inde sciri valeat, quantum pro futuro per Excisionem et Erectionem Confiniorum erga praestanda in futurum a Militibus Confiniarijs Militaria servitia, ab hactenus praestito quanto Contributionali decedet, et quantum vicissim ab Incorporatis Locis et Territorijs remanebit adhuc annue exigendum. Et ut 3. Eadem Deputatio Provincialis exactionem et jncassationem remanentium Contributionum et aliorum onerum publicorum hujus adhuc Anni Militaris, usque ultimum quippe futuri Mensis Octobris, adeoque etiam post interventam jam Incorporationem, cum Assistentia etiam Officialium Comitatensium, solerter continuet, et hoc ipsum etiam respectu Terreni et Locorum pro completo Confiniariorum Numero quidem excisorum, sed Confiniarijs ex eo, quod actu nondum adsint, necdum traditorum, adeoque interea juxta priorem benignam Dispositionem nostram sub diebus uti praemissum est 30. Octobris 1743 et 5. Augusti 1744 emanatam, prae manibus Dominorum Terrestrium, sub cautella ibidem declarata, adhuc reliquendorum, eadem Deputatio valeat. In Casu autem, 4. Quo eaedem Contributiones et alia onera publica usque futuram Primam Novembris ex toto exigi et incassari nequirent, eadem Deputatio restantias illorum in praesentia Officialium Comitatensium et Contribuentium Incolarum liquidare, et quae exigibiles adhuc sunt, illarum incassationem Officialibus Comitatensibus relinquere teneatur, per ipsos dein fideliter incassandas, et eo quo pertinent administrandas. Quae omnia cum saepefatae Provinciali Deputationi (uti praemissum est) jam commissa sint, ideo ut in effectum quoque debite deducantur, Curam habebunt dicti Commissarij.

Et cum porro jam benigne resolverimus, ut Supremus Comes et Ejusdem Officij Administratores, alijque Officiales Comitatenses in Comitatibus, Curae, respective et moderationi ipsorum concreditis, constanter refideant et Officia Sua ibidem fideliter administrent; Hinc Commissarij praeprimis quidem in Syrmiensi, dein vero in alijs etiam constituent, commoda quaequam loca seligent et Provisorie etiam constituent; in quibus antelati Supremus Comes et Administratores, alijque Officiales Comitatenses, qui propria ibidem Bona non habent, residere, Congregationes et Sedes Judiciarias tenere, Archivum conservari, Cassam et Carceres Comitatenses sub bona custodia servari possint ac debeant; Prouti denique id ipsum in alijs quoque bene regulatis Hungariae et Croatiae Comitatibus fieri consvevit. Salaria porro antellati Magistratus Comitatenses Sequentia habebunt: Et quidem unus Supremus Comes, vel Officij illius Administrator, Annue mille florenos, Vice-Comes quingentos florenos, singuli Comitatus Notarij Trecentos florenos, Generales Cassae Praeceptores Trecentos florenos, Judices Nobilium ducentos florenos, Jurati Assessores Centum florenos, Procuratores Fiscales Centum quinquaginta florenos; Praeterea in singulis Comitatibus etiam tot, quot necessarij fore videbuntur, Equites et Haidones, pro exactione quanti Contributionalis, Persecutione item et extirpatione Praedonum et aliorum malefactorum, cum superioribus et subalternis Officialibus suis prouti et Lictore suscipientur, competentia Salaria

et respective Stipendia, praevie per Commissionem hanc regulanda et nobis submittenda, aeque habituri. Pro Provinciali vero illarum partium Commissario annue quingenti floreni ordinantur, ad quae Salaria respective et Stipendia usque finem Decembris Anni 1746 juxta dispositionem Regiae Commissionis nostrae persolvenda benigne resolvimus, ut eo usque Cameram nostram Aulicam triginta Millia florenorum anticipentur, interea vero temporis fundus salariorum in praespecificatis tribus Comitatibus (uti Magistratibus Instructionaliter jam commissum est) plenarie elaboretur, et ad effectum futurae solutionis ipsorum praeparetur; Vicissim vero pro Indemnisatione Aerarij nostri pretium Salis in Sclavonia et Syrmio jbidem distrahendi, a singulo Centenario in 15 Crucigeris augeatur, et haec auctio a die 1. Mensis Julij Anni currentis, usque ultimam Decembris 1750 continuetur; In reliquo autem praefata Commissio Individualem provisorie ibidem in singulo Comitatu constitutorum officialium, Militum item et Haidonum aliorumque necessariorum Comitatus servitorum, cum qualibus stipendijs respective et salarijs in quo Comitatu, qua die et quot numero conductorum, specificationem Nobis expost submittet.

Septimo: Cum ex hac parte Danubij Cis Petro-Varadinum sita loca militaria Chalma, Kukojevcze, Perkaszova, Schüel, Lerovacz, Banostor, Nestin, et in parte etiam Illok, juxta benignam resolutionem nostram ex ratione situs ipsorum Jurisdictioni Provinciali incorporari debebunt; Incolis autem illorum, qui militares permanere voluerint, liberum futurum sit, ut semet ad Confinia transferre possint, reliqui autem cum toto praespecificatorum locorum Terreno usque ulteriorem dispositionem nostram in Terrestralibus sub Regia Camera nostra stare debebunt, et proportionatum etiam quantum Cotributionale, a quo hactenus qua Militares immunes erant, supportandum habebunt; sed etiam praeterea in toto Syrmio et Sclavonia inter Contribuentes gravis admodum improportio esse dicatur, ideo Commissio haec, postquam Magistratus Comitatenses instaurati fuerint, primae & principali sibi curae ducet, ut pro futura recte et proportionate inter Contribuentes instituenda onerum Publicorum repartitione et subdivisione, cum interventu etiam Officialium Comitatensium, unam bonam et illis partibus applicabilem et idoneam Conscriptionis universalis Ideam bene elaboret, et Secundum illam non tantum praespecificatorum octo, sed aliorum etiam universorum totius incorporati Syrmiensis Comitatus locorum, et apertinentiarum Conscriptionem medio Comitatensium Officialium peragi, et sibi referri faciat, illàque bene perpensa et examinata, quantum cuilibet loco ejusdem Comitatus in Coutributionali et alijs oneribus publicis, dejn a prima videlicet futuri Mensis Novembris supportandum obvenerit? justam et aequam repartitionem faciat, et Nobis tempestive referat, et haec etiam respectu reliquorum duorum Comitatuum, Posegani videlicet et Veroczensis, cum jncluso Valkoviensi, quo citius fieri poterit, indilate facere studeat, ut juxta novam hanc omnium trium Comitatuum Conscriptionem et oneris publici repartitionem Contributionis praestatio statim cum inito futuri Mensis Novembris induci et Inchoari, taliterque Contribuens Incola improportionato onere gravatus, pro ulteriori sui Conservatione et permansione, ad aequam et justam proportionem quo citius reduci et sublevari valeat. Interea autem et eousque donec videlicet praeattacta nova Conscriptio et repartitio peracta et stabilita fuerit, consequenter in Casum etiam illum, quo usque futuram Primam Novembris haec nova Contributionis Idea in effectum deduci nequiret, universa tam Cameralia, quam

aliorum Dominorum Terrestrium loca, cum Suis, quae adusque portarunt. Oneribus Publicis modo praevio Incorporanda a die 1. Novembris Secundum Normam hactenus usitatam, stabilita autem semel antelata Nova repartitione, Secundum illam praestationes Suas Peccuniarias ad Cassas Comitatenses adminstrandas habebunt; Quemadmodum etiam praespecificata Militaria Loca, quae sub Incorporationem cadent, et hactenus non contribuerunt, quam primum conscripta fuerint, ijsdemque proportionatum onus adrepartitum exstiterit, non expectata etiam universalis Conscriptionis et repartitionis ratificatione, Provisorie statim ad instar aliorum contribuere et praestanda praestare debebunt; illis tamen Hospitibus, seu Patribus familias exceptis, qui actu extra Regnum in Castris nostris constituti sunt, his enim ut semet pro futuro vel ad Militarem, vel Provincialem statum resolvere possint, Respirium usque Primam Novembris Anni sequentis 1746 dari, jnterea autem ipsos in statu, quo antehac fuerint, relinqui volumus. Ut porro

Octavo: Etiam circa Regulamentum Militare jnterimalis Provisio fiat, clementer resolvimus, ut post factam Incorporationem, et eousque in Partibus illis hactenus usitatum Militare Regulamentum, cum Hungarico Regulamento comportari, et in quibus in specie punctis ab jnvicem differant, punctatim investigari, ac demum primo cognosci queat, utrum pro futuro etiam prius Regulamentum Militare, quod in Syrmio et jnferiori Sclavonia hactenus usitatum fuit, in suo esse relinquendum, vel in quibus punctis modificandum, vel plane nefors abrogandum, et in locum illius Hungaricum Regulamentum ibidem inducendum sit? interea, et eousque Partes illae poenes hactenus habitum Regulamentum Militare provisorie maneant. Ideo Commissio haec praemissam duorum Militarium Regulamentorum Combinationem Communi labore instituet, et quid pro futuro eatenus Statuendum esse censeat? opinionem suam submittet; Interea autem (uti praemissum est) et usque ulteriorem resolutionem et Dispositionem nostram hactenns in Syrmio et Sclavonia introductum Regulamentum Militare debite observandum ordinabit.

Nono: Quamvis quidem ex relatione Comitis Bani sub die 4. Julij 1740 submissa appareat, quod Status et Ordines Regni Croatiae petierint, ut Dominium Comitum Erdödy Kutina dictum, iuxta Articulum 51. Anni 1741 Comitatui Crisiensi in Regno Croatiae sito Incorporetur, ac etiam eorsum contribuere teneatur, cum tamen indubium sit, quod antelatum Dominium hactenus ad jnferiorem Sclavoniam et quidem a 62 sessionibus contribuerit, et si idem Dominium praefato Comitatui Crisiensi, adeoque Regno Croatiae, cum suo, quod hactenus supportavit, onere incorporetur, illud aerario nostro Regio in furtum decederet: ideo clementer resolvimus, ut eousque donec memorati Status et Ordines edocuerint, quod repetitum Dominium Kutina non Armis a Turca recuperatum, sed alia peculiari modalitate ad Sclavoniam inferiorem applicatum sit, idem Dominium ulterius quoque in medium ejusdem Sclavoniae, ad sibi proxime vicinum ibidem Comitatum, a proportione sessionum suarum contribuere et onera publica praestare debeat. Et quia

Decimo: Facta Syrmij et inferioris Sclavoniae modo praevio resoluta et ordinata Incorporatione, ratio Tricesimarum hactenus in Confinijs Regni Hungariae et Croatiae adversus Sclavoniam, et vicissim in Confinijs Sclavoniae contra Hungariam et Croatiam positarum cessaret, ideo benigne annuimus; Ut postquam praemissorum Incorporatio in effectum deducta fuerit, eaedem Tricessimae illinc tollantur et ad nova Confinia versus Turcicum posita transferantur; Tellonia tamen in Syrmio

et Sclavonia hactenus habita, usque dum Magistratus Comitatenses eorundem qualitatem et necessitatem pro exigentia Legum reviderint vel stabiliverint, vel abrogaverint, vectigaliaque eorundem limitaverint, et solita privilegia desuper impetrata fuerint, in statu quo relinquantur. Ideo his quoque semet conformabunt et praemissam Tricesimarum translationem ex parte Sclavoniae et Syrmij effectuabunt saepefati Commissarij. Quod ipsum etiam ex parte Hungariae effectuandum Regiae Camerae nostrae Hungaricae committemus. Et quia

Undecimo: Etiam id in Syrmium et inferiorem Sclavoniam libenter induci et stabiliter observari cuperemus, ut Incolae ibidem a praestatione Nonae semper etiam in futurum immunes maneant, quemadmodum hactenus fuerunt; E converso in casu necessitatis ad instar Banderiorum Regni Croatiae ad Castra exire et ibidem militaria servitia praestare teneantur; Igitur Commissarij nostri Regij omnem industriam eo impendent, ut adhibitis modis et medijs, ad id necessarijs et convenientibus, praemissam Intentionem nostram in effectum deducere, et semel pro semper stabilire valeant, Nobisque refferant.

Et haec sunt quae in Materia Incorporationis Syrmij et inferioris Sclavoniae praevio modo ordinata Regia et Provincialis Commissio ad exigentiam praecitatarum Legum in effectum deducenda habebit, quibus effectuatis, praelibati Commissarij nostri Regij, absentibus Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae deputatis, semet ad partes Regni nostri Hungariae trans Danubium conferrent et ibidem operationes suas incipient. Proinde

Duodecimo: Siquidem ex ratione servitij nostri et boni publici etiam id clementer resolvissemus, ut eousque etiam, donec ex parte quoque Hungariae Regni supracitatus Articulus 18. novissimae Diaete praescripto ibidem modo et forma plenarie in effectum deduci possit, interea etiam trans Danubium in Comitatibus Bach et Bodrogh praeter Oppidum Szabatha seu Szent Maria dictum jam Anno praeterito incorporatum, etiam alia in ijsdem Comitatibus existentia Loca Militaria Zombor, Prestovacz et Palanka, velut supra Petro-Varadinum inter mera aeque loca provincialia et Contribuentia, sita, cum universis appertinentijs suis per Militares ibidem hactenus possessis, Camerae nostrae Jure Terrestrali possidenda tradantur, et cum sibi a proportione obvenientibus oneribus publicis Jurisdictioni dictorum Bach et Bodrogh Comitatuum ad instar Oppidi Szent Maria nunc statim provisorie incorporentur, eorundem autem Incolae, qui militares perseverare volunt, inde Cis Danubium ad Confinia Syrmij et Sclavoniae a Petro-Varadino usque Semblin ducenda transferantur, sicque a Contribuentibus separentur. Caeterum quoad Terminum translationis Hospitum illorum, qui actu in Castris nostris constituti sunt, ea etiam hic loci observabuntur, quae superius ad punctum in Ordine septimum et ibidem denominata Loca militaria praescripta sunt.

Decimo Tertio: Incolae praefati jam Incorporati Cameralis oppidi nostri Szabatha seu Szent-Maria, qui pro militaribus semet jam declararunt, et ulterius etiam tales perseverare volunt, ad summum usque finem Octobris vel initium Novembris Anni currentis ad alium Cameralem Locum nostrum Mossorin, in dicto aeque Comitatu Bachiensi, vel altero Bodroghiensi inter Tibiscum et Danubium sito, in quantum a proportione Numeri et necessariae ac bonae Subsistentiae ipsorum illuc illocari poterunt, in quantum vero hoc fieri nequiret defectus ex alijs Locis in illius vicinia (ubi jam praevie ad Prothocollum diei 8. Martij Anni currentis benigne resolvimus) per Commissionem supleatur, idem-

que Locus Mosssorin ad instar aliorum sibi vicinorum locorum militarium in Novum fossatum Militare erigatur, consequenter cum omnibus appertinentijs suis Confiniarijs usuandum et possidendum jta tradatur, ut exceptis illis dicti Loci inhabitatoribus, qui militares fieri et in futurum servitia militaria ad jnstar aliorum Confiniariorum praestare voluerint, reliqui omnes vel ad Oppidum Szent Maria, vel alia Cameralia ibidem loca nostra, Comitatui Bachiensi adjacentia, juxta Dispositionem Cameralis ibidem Praefecti nostri transire teneantur, hoc et id vero tam Szent Mariensibus quam etiam Mosoriensibus Incolis et Inhabitatoribus per ipsorum Instantias medio Consilij nostri Aulae Bellici et Camerae nostrae Regiae Hungaricae tempestive et ad minimum tribus vel quatvor septimanis ante praefixum migrationis Terminum pro ipsorum notitia et directione publicetur. Praeterea etiam id Szent-Mariensibus Incolis militaribus jntimetur: 1. Quod ipsis ulterius etiam optio admissa sit, vel Statum militarem vel Provincialem sequendi, consequenter juxta praerecensitas Dispositiones vel in loco ut Provincialibus permanendi, vel ut militaribus ad Confiniaria Loca transeundi; 2. Quod Praedium Ludas ab Oppido Szent-Maria, cui privilegialiter annexum est, nequaquam avelli et ipsis uti desiderabant, ad usuandum dari et concedi possit, adeoque ut nullam poenitus spem idcirco faciant; 3 Quod respectu antiquae 146000 florenorum Praetensionis ipsorum, si et in quantum fundata esset, ad Consilium nostrum Aulae Bellicum remittantur. Caeterum modus translationis dictorum Incolarum, qui ulterius quoque Militarem statum amplecti volunt, quoad Bona ipsorum immobilia, in praefato Oppido nostro hactenus privative a Singulis possessa, (quoad) Ecclesiam jtem ipsorum, ille observetur (ordo), quem Regij Commissarij nostri Nobis in quinque punctis demisse proposuerunt, quemque sub die 18. Februarij et 8. Martij proxime praeteritorum ad Prothocollum Commissionis nostrae Articularicae per totum clementer approbavimus. Et quia

Decimo quarto, Nobis etiam id demisse relatum fuisset, quod propter differentias inter Militares et Civiles seu Plebeos ejusdem Oppidi Szent Maria Incolas hactenus vigentes, a tempore ipsis benigne concessorum Privilegiorum, nec ad rationem quanti Contributionalis, sed neque in sortem Contractus cum Camera nostra initi quidpiam solverint, consequenter aerarium nostrum Regium duplici modo ad praesens per ipsos damnificatum fuerit; cum autem hoc injustum omnino sit, ut beneficiorum ipsis privilegialiter concessorum usum habeant et abinde praestanda non praestent. Ideo benigne resolvimus, ut Regij Commissarij nostri pro futuro eas Dispositiones faciant, ut demtis militaribus, abinde ad Confinia transire ulterius quoque volentibus, reliqui Oppidani ejusdem loci Incolae ea quae ipsis vigore antelati Contractus et obtentorum Privilegiorum solvenda et praestanda incumbunt onera, de tempore in tempus rite praestent et exolvant; pro praeterito tamen eadem Oppidana Communitas exceptis (uti praemissum est) ad statum militarem uberius etiam transire volentibus, nonnisi duas praefatorum Onerum Tertialitates, sub trium Mensium Spatio ipsis a dictis Regijs Commissariis nostris tempestive intimando et praefigendo, exolvere teneatur, et hoc eidem communitati cum ea expressa Comminatione iniungatur, quod nisi huic Dispositioni pro praefixo Termino satisfecerint et exolvenda pro praeterito integraliter exolverint, Educillum et Macellum ipsorum pro parte Camerae nostrae Regiae indilate occupabuntur, et usque plenariam talismodi restantiarum Exolutionem sequestrabuntur, sed neque in usu ipsis concessorum benignorum Privilegiorum

et reliquorum Beneficiorum relinquentur. Et haec quoad Oppidum Szabatha seu Szent-Maria deductae resolutiones nostrae universis ejusdem Oppidi Incolis et Inhabitatoribus pro ipsorum notitia et Directione, ad Summum intra tres vel quatuor septimanas publicentur et jntimentur, et tam haec, quam et alia quoque quoad Comitatum Bachiensem et Bodroghiensem praeapposita puncta per saepefatos Commissarios nostros Regios debite aeque effectuentur. Ulterius

Decimo quinto: Etiam id clementer jubemus, ut Regij Commissarij nostri quemadmodum in omnibus ipsis praevio modo Comissis et concreditis operationibus suis inter se, et quoad Syrmium et inferiorem Sclavoniam etiam cum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, Statuumque et Ordinum Deputatis Commissarijs comuniter laborare et perficienda perficere debent, ita etiam et eo modo tam finalem quam intermedias etiam relationes et repraesentationes suas communiter subscribendas et ad nullum hujatum Dicasteriorum particulariter, sed directe et immediate ad Maiestatem nostram faciendas et dirigendas habebunt. Quoad Syrmium vero et Sclavoniam (uti jam superius etiam habetur) primum et principale objectum ipsorum sit, ut Contribuentes illarum partium inter se respectu Onerum Publicorum ad justam et aequam Proportionem usque futuram primam Novembris reduci, consequenter abinde pro futuro nova Contributionis Idea pro sublevatione illorum induci valeat. Haec proinde omnia in hacce Instructione contenta toties fatis Commissarijs nostris Regijs rite ac debite observanda et in effectum deducenda, demum vero super omnibus et singulis qualiter executis genuinam ac fidelem relationem Nobis submittendam benigne committimus. In reliquo autem in fidelitate, zelo et candore eorundem Regiorum Commissariorum nostrorum benigne confidimus, quod cuncta absque ullo sive sui sive aliorum respectu jta dextere, zelose et fideliter communibus viribus peragent et Nobis demisse referent, prouti post seriam et maturam omnium deliberationem pro Salute Populi optimum fore judicaverint. Quodsi vero praeter praemissa adhuc alia quoque servitio nostro et Bono publico utilia et proficua vel talia esse adinvenerint, quae licet contra tenorem praesentis Instructionis forent, praetitulato tamen servitio nostro et Bono Publico convenirent, ea quoque in communem deliberationem summant, et quae optima fore judicaverint, provisorie aeque in effectum deducant et Majestati Nostrae circumstantialiter refferent toties fati Commissarij nostri Regij. Quibus in reliquo &c. Datum Viennae Austriae dje 1. Mensis Aprilis 1745.

Maria Theresia m. p.

Joann. Fran. Comes a Dietrichstein m. p.

Josephus Comes ab Harrach m. p.

Comes Ludovicus de Batthyan m. p.

Copia in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. 1745. Nr. 54.

CCXLIV.

Anno 1745. 27. Aprilis Viennae.

Maria Theresia SS. et OO. Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Comissarios pro reincorporatione Slavoniae Inferioris nominare jubet.

MARIA THERESIA DEI Gratia Regina Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae ac Sclavoniae, Archidux Austriae &c., Nupta Dux Lotharingiae & Barri; Magna Dux Hetruriae.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item Egregij et Nobiles, nec non Prudentes ac Circumspecti, Fideles Nobis dilecti. Ex his, quae ante duos abhinc Annos acta fuere, notum adhuc erit Fidelitatibus Vestris, qualiter Districtus Syrmiensem et inferioris Sclauoniae pro exigentia etiam Articulorum 18. et 50. novissimae Diaetae, Banali Jurisdictioni subjiciendos et incorporandos, clementer resolverimus. Cum porro Deputati hunc in finem Regij Commissarij nostri, Fideles quippe nostri Franciscus Baro ab Engelshoffen, Comes Alexander Patachich et Baro Ladislaus Vajay, Commissionem ante duos, uti praemittitur, Annos inchoatam et aliquo tempore interruptam, primo, quo fieri poterit Tempore reassumpturi atque ea de Causa in antelatos Districtus venturi essent, ad ejusmodi autem Commissionem ex parte Sclauoniae Regnorum Dalmatiae, Croatiae ac Sclauoniae Banus cum Statibus et Ordinibus modofatorum Regnorum Commissarios deputandos habeat.

Veluti proinde de hoc requisitam intimationem dictorum Regnorum nostrorum Bano sub hodierno Dato fecissemus, ita id ipsum Fidelitatibus quoque Vestris hisce perscribendum atque significandum esse duximus, quatenus juxta Praescriptum praeallegati 18. Articuli, cum praefato Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bano Commissarios ad praenotatam Commissionem proxime denominent; qui accepta a praenominato Comite Patachich de tempore ac Loco, in quo talismodi Comissio reassumetur, notitia, eo veniant et ex parte Sclavoniae eidem Commissioni intersint, ac juxta Praescriptum praeallegati Articuli Sibi pariter incunbentia diligenter peragant. In reliquo Fidelitatibus Vestris Gratia nostra Regia benigne ac jugiter propensae manemus. Datum in Civitate nostra Vienna Austriae, die vigesima septima Mensis Aprilis, Anno Domini millesimo septingentesimo quadragesimo quinto.

Maria Theresia m. p.

Comes Ludovicus de Batthyan m. p.

Franciscus Koller m. p.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item, Egregijs et Nobilibus nec non Prudentibus ac Circumspectis N. N. Regnorum nostrorum, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Universis Statibus et Ordinibus &c. Fidelibus Nobis Dilectis.

Zagrabiae Ex Officio.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congregationum a. 1745, Nr. 30.

CCXLV.

Anno 1745. die 1. Julii. Viennae.

Instructio a Regina Maria Theresia Marco Alexandro libero baroni Pejačević, Comitatus Syrmiensis Officii supremi Comitis Administratori, totoque ejusdem Comitatus Magistratui data.

Maria Theresia Dei Gratia Regina Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae, Archi Dux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae & Carnioliae, Comes Flandriae, Tyrolis & Goritiae, nupta Dux Lotharingiae & Barri, Magna Dux Hetruriae &c. Fideli nostro Magnifico Marco Alexandro Libero Baroni Pejacsevich qua Comitatus Syrmiensis Officii Supremi Comitis Administratori, salutem &Gratiam. Siquidem ad mentem Articulorum 18 & 50 Novissimae Diaetae 1741 Districtus Syrmii & inferioris Sclavoniae, exceptis Confiniis, Banali & Provinciali Regnorum Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae Jurisdictioni incorporari, illosque incluso Valkoiensi, in tres Comitatus, Syrmiensem utpote, Poseganum & Veröcensem subdividi resolverimus, ex his vero Moderationem Comitatus Syrmiensis Tibi, qua Officii (uti praemissum est) Supremi Comitis pro interim Administratori concrediderimus: Igitur, ut tam Tu, quam reliqui quoque ejusdem Comitatus Officiales, hac vice per Commissionem nostram Regiam, ad incorporationem praefatorum Districtuum Limitationemque & regulationem antelatorum trium Comitatuum cum Deputatis dictorum Regnorum ad faciem Loci proxime descensuram, provisoriae ad ratificationem nostram eligendi & constituendi, Muneribus & Officiis Vestris tanto exactius satisfaciatis, Vobis tam in Communi quam particulari sequentem Instructionem dandam esse duximus, Et quidem:

Primo: tam Administratori. quam reliquis subalternis Comitatus Officialibus ante omnia incumbet, ut in Comitatu ipsis concredito continuo resideant & Officiis suis diligenter praesint, cumprimis vero Gloriam Dei Omnipotentis & Religionem Orthodoxam Romano Catholicam pro exigentia Legum Regni, pro parte praefatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae conditarum, omnimode promovere & propagare satagant. Sed quia Syrmii & Sclavoniae Incolae potissima in parte Graecum Ritum profiterentur, hi vero cum Clero Ipsorum benigna Regia Privilegia haberent, per Majestatem quoque nostram in Anno Millesimo Septingentesimo quadragesimo tertio benignissime confirmata, ideo eosdem Incolas penes eadem Privilegia sua, tenore etiam hic Copialiter annexarum benignarum Patentalium nostrarum, ipsis noviter extradatarum, imperturbate conservent. In reliquo autem sedulo attendent praefati Comitatus Officiales, ne Popae ac Graeci Ritus Episcopi illorum ab iisdem ullas illicitas & arbitrarias Collectas, mulctas item pecuniarias, aliasve extorsiones pro lubitu ipsorum exigere & extorquere attentent; sed neve etiam Domini Terrestres Normam Iisdem in Anno Millesimo septingentesimo trigesimo septimo, respectu Obligationum Ipsis a Subditis suis praestandarum praescriptam, usque dum successive cum Comitatuum interventu Urbaria Dominalia, usui & Patriae illi accomoda, suo modo confici & regulari valebunt, excedant, subditosque suos ad plus praestandum cogant; sed neque Nonam etiam, donec aliter per Nos dispositum fuerit, a Subditis suis desumere audeant; adeoque tam in his, quam aliis quoque omnibus occasionibus, contribuentem plebem ab indebitis & excessivis quibusvis Exactionibus & pressuris conservare studeant; sed nec ipsi quoque simile quid attentent antelati Comitatus Administrationes & Officiales.

Secundo; Politica quaevis & provincialia modalitate in Hungariae & Croatiae Regnis nostris passim introducta & usitata in Comitatu sibi concredito tractabunt atque curabunt, adeoque in gremio illius dum & quando necesse fuerit, Generales, cum interventu etiam, qui adesse volunt, Dominorum Terrestrium, vel eorundem Officialium, praeviae semper per Currentales (uti moris est) invitandorum, Congregationes, pro tractandis ejusmodi publicis servabunt, quam etiam ad Generales fidelium Statuum & Ordinum Regni nostri Croatiae Congregationes, semper (dum vocabuntur) unum alterumve ex gremio sui exmittent Deputatos, proponenda ibidem, si quae nomine Comitatus habebunt, propositures & inde vicissim, dum rediverint, de ibidem pertractatis & conclusis, Comitatui in proxima Generali Congregatione sua debitam Relationem scripto facturos; praecipue vero eo solerter contendent, ut quantum Contributionale a Contribuentibus de tempore in tempus sub onere dandarum desuper Rationum debite semper exigatur & defectu absque omni persolvatur; solutum demum ad Cassam Comitatensem colligatur, inde vero ad Cassam Bellicam Essekini constitutam erga Quietantias Cassae Praefectorum fideliter administretur; omnia denique, quae ab Incolis quocunque titulo praestanda veniunt, eo, quo spectant, in tempore aeque praestentur & administrentur; super omnibus autem perceptis & erogatis constitutus Comitatus Perceptor mox finito Anno Militari cum requisitis probis & documentis sufficienter instructas rationes, prout in Hungaria usitatum est, Comitatui exhibebit, nolens vero vel intermittens compulsivis etiam mediis, Lege idcirco praescriptis, per Magistratum cogatur; singulariter autem etiam eo intentus sit Magistratus, ut postquam ex noviter instituenda Comitatus Conscriptione, aequa & justa Proportio

inter Contribuentes elaborabitur, illa debite pro futuro observetur, neque sine graui rationo & publica Comitatus Determinatione in quopiam immutetur; ac in reliquo etiam ea, quae Leges Regni & signanter Articulus 63 Anni 1723 in praemissis praescribunt, exacte observare teneantur.

Tertio. Processus & Litigia, quae inter Terrestres Dominos vel alios Nobiles ibidem vertuntur, ac Vi Legum Hungariae & Croatiae Foro Comitatensi dijudicanda competunt, Magistratus pro administratione Justitiae per Partes suo modo requisitus & interpellatus, servatis de Jure servandis, in Comitatu sibi concredito dijudicanda assumet & decidet, Partibusque Justitiam juxta Regni Leges exactae & celeriter administret, admissa pro qualitate Causarum & dictamine Legum intra vel extra Dominium, si Causa Appellabilis sit, a Vice-Comite & Judicibus Nobilium, in Partibus (uti dicitur) procedentibus ad sedem Judiciariam Comitatus, singulis annis quoties necese erit in Comitatu debite aeque celebrandam, inde autem ad Tabulam nostram Banalem Appellatione; occasione vero celebrandarum Sedium Dominalium Judex Nobilium cum Jurato Assessore praesentes semper aderunt, & ibidem diligenter illa, quae iisdem secundum praescriptum Legum incunbunt, curabunt. Quod si autem in Sclavonia & Syrmio tales Causae occurerent, quae antecedenter jam per Instantias, quas hactenus habuerunt, finaliter decisae et superatae fuerunt, tunc Res judicata pro tali relinquatur & maneat amplius coram Comitatu non resuscitanda; pendentes tamen, seu ibidem jam praeviae inceptas, nondum tamen finaliter decisas Lites, Causantes, si vel ambae Partes, vel Jure conventae saltem Provinciales fuerint, vel de re Jurisdictioni Provinciali subjecta agatur, non alibi, quam coram Comitatu Foris Provincialibus, servatis de Jure servandis, promovere poterunt. Et quia

Quarto: Memorati Comitatus Magistratus adinstar aliorum Comitatuum Jure etiam Gladii gaudebit, igitur in solerter persequendis ac pro demerito *etiam* puniendis Praedonibus aliisque Malefactoribus omnem Laborem & Industriam pariter impendent, quo taliter in Syrmio quoque & Sclauonia intrinseca quies & tranquillitas restabiliatur. Malefactoresque condigna & promerita poena puniantur. Quem in finem Comitatus in bono ac securo Loco, Ipsi per Commissionem nostram assignando, etiam Carceres pro Delinquentibus, sub bona Custodia & prouisione servandis, habebit, & reliqua etiam ad exercitium Juris Gladii necessaria requisita procurabit.

Quinto: et cum Suprafatis Regiis Commissariis nostris ex peculiari Gratia & Clementia nostra facultatem hac vice benigne concessimus, ut ad citius atque facilius in illis partibus reducendam publicam quietem & tranquillitatem generalem Amnystiam pro Praedonibus in Libertate adhucdum constitutis, consequenter sub Judiciaria potestate nondum existentibus, Altissimo nomine nostro eo modo publicare possint, ut praefigendo illis Terminum, intra quem semet coram Ipsis vel Superioritate sua sistere debeant, & ut tales, qui semet sponte sistent vel Militaria Servitia statim amplectantur, vel deposito praevie Juramento, quod deinceps a Praedociniis & aliis maleficiis penitus abstinere & domi suae Constanter permanere velint, semet in unam vel alteram pagensium Communitatem, inscribi curare teneantur: Igitur hujus quoque effectuationi omnimode intentus erit Magistratus.

Sexto: Siquidem praefatus Comitatus, quamvis Regno nostro Croatiae caeteroquin incorporabitur, suam attamen Contributionem praestare & illoca-

tiones militares aliaque Concomitantia onera publica adinstar Comitatuum Regni nostri Hungariae supportare debebit, hinc Comitatus iste & ejusdem Magistratus, in reliquis quidem praefatorum Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae Banali & Provinciali Jurisdictioni, cui praevio modo incorporabitur, adinstar aliorum in iisdem Regnis sitorum Comitatuum suberit, in Contributionalibus tamen & aliis Contributionem concomitantibus & fundum illius tangentibus & respicientibus oneribus & dispositionibus publicis, adinstar Comitatuum Hungaricorum immediate a Regio Locumtenentiali Hungarico Consilio nostro, prout & constituendus in illis Partibus Provincialis Commissarius in rebus Officii a Directore Provincialis Commissariatus Hungarici dependebunt, debitam cum iisdem Correspondentiam in praemissis habituri, & eorundem Dispositionibus parituri, Regulamentoque etiam militari, quod in Sclauonia & Syrmio actu viget & in usu est, usque ulteriorem Majestatis Nostrae Dispositionem semet debite conformaturi.

Septimo: Salaria porro Administratoris & constituendorum praeuio modo Comitatensium Officialium taliter benigne ordinauimus, ut Officii Supremi Comitis Administrator 1000 fl., Vice-Comes 500 fl., Notarius 300 fl., Judex Nobilium 200 fl., Juratus Assessor 100 fl., Procurator demum Fiscalis 150 fl. habeant; Praeterea, ut Comitatus Equites etiam & Hajdones pro exactione Contributionis, persecutione item & exstirpatione Praedonum aliorumque publicorum Malefactorum necessarios, cum superioribus & subalternis Offcialibus suis, prout & Lictorem teneat, Competentia iisdem Salaria & respective Stipendia, proxime aeque regulanda, pariter percepturos. Interea vero & donec fundus praespecificatorum Salariorum in praenotato Comitatu eruetur, ex peculiari Gratia nostra Salaria ejusmodi ab Aerario nostro Regio usque ultimam Decembris Anni futuri 1746 pendi curabimus; e contra autem pro indemnisando Aerario nostro Salis in Sclauonia & Syrmio, & quidem unius cujusvis ibidem distrahendi Centenarii pretium in 15 x.; a 1. Julii a. c. usque finem Decembris Anni 1750 elevandum resolvimus. Diligenter autem invigilabunt praefati Comitatus Officiales, ne Sal marinus, quem positive in omnibus hisce tribus Comitatibus inhiberi volumus, eo inducatur & invehatur; congruum idcirco, dum & quando res exigit, remedium et Prouisionem facturi, Constitutisque ibidem Salis Officialibus nostris necessariam eo fine, ubi opus fuerit, assistentiam praebituri.

Octavo: quoniam vero in Regno nostro Hungariae ea observaretur in praemissis modalitas, quod quiuis Comitatus Supremis Comitibus & Officialibus suis aliisque Servitoribus Comitatensibus competentia Salaria ex Cassa sua Domestica persolvat, hinc, mox ubi praenominatus Comitatus debito modo regulatus & Magistratu suo instructus fuerit, idem mox eam Prouisionem faciet, ut a die 1. Jannuarii Anni 1747 & sic imposterum semper ex Cassa sua Domestica universa Salaria, Stipendia item suorum militum & alias quasvis particulares Comitatus expensas persolvat, eandem tamen Cassam Domesticam cum Contributionali Magistratus nunquam commisceri & confundi admittet, sed separatas & distinctas ab utraque Cassa a Perceptore suo Rationes quotannis indispensabiliter quantocyus exigat, exactas revideat & censuret, censuratas vero utriusque Ordinis rationes, esto ab invicem separatas, connexive tamen se habentes, in genuinis paribus, Sigillo Comitatus & Subscriptione Magistratualium authenticas, Regio Locumtenentiali Consilio Hungarico Posonium, de Cassa autem Comitatus Domestica sonan-

tes Rationes, in simili exemplari etiam fidelibus Statibus & Ordinibus Regni nostri Croatiae singulis annis submittet. Praeterea

Nono: siquidem Regias Tricesimas nostras hactenus in finibus Sclauoniae adversus Hungariam & Croatiam habitas, facta semel incorporatione per Commissarios nostros Regios, inde tolli & ad Confinia versus Turcicum ponenda transferri; Telonia vero in medio Syrmii & Sclauoniae reperibilia eousque, donec per Magistratum Comitatensem, ad exigentiam Legum eatenus sancitarum, & signanter Articulorum 15. 1715 & itidem 15. 1723, nec non 28. nouissimae Diaetae reuidebuntur, & quae tollenda sunt, tollentur, & stabilienda stabilientur, vectigaliaque eorundem limitabuntur, in statu quo relinquenda esse benigne resolvissemus; ideo saepefatus Magistratus in gremio sui etiam praefatam Teloniorum reuisionem successive assumet & peraget, Relationemque idcirco fidelibus Statibus & Ordinibus Croatiae submittet; illos vero Teloniorum Possessores, quorum Telonia pro necessariis praevio modo inventa & stabilita fuerint, ad reparationem quoque & Conservationem Viarum & Pontium, observandumque et non excedendum ipsis praescriptum Vectigal, extrahendum item (si non habent) Regium teloniale Privilegium, adeoue satisfaciendum obligationi suae, juxta praecitatas Leges effectiue adstringet; sine praehabito autem Regio Teloniali Priuilegio nulla nova Telonia erigi admittet.

In reliquo autem Officiales Comitatus tam in concreto, quam in particulari, quiuis illorum respectu Muneris & Officii seu generaliter ea etiam observabunt, quae Leges Regni praescribunt & iisdem observanda praecipiunt. — Quae omnia autem, ut debite observentur & in effectum deducantur, Administrator Officii Supremi Comitis sedulam ac diligentem Curam habebit, Articuloque 56. Anni 1723 aliisque Regni Legibus de Officiis Supremorum Comitum sonantibus semet exacte conformabit. Et cum Comitatus etiam proprium Sigillum authenticum habere debeat, ideo, utprimum Magistratus praeuio modo institutus & ad Actiuitatem positus fuerit, mox pro Sigillo ad Majestatem nostram reccuret, & una etiam projectum illius Nobis exhibebit; interea autem in publicis Expeditionibus suis Sigillo Administratoris utetur. Et haec sunt, quae praefati Comitatus Magistratui pro Instructione hac vice & donec aliter disposuerimus, extradanda esse duximus & concedenda. Datum in Archi-Ducali Ciuitate nostra Vienna Austriae, die prima mensis Julii, Anno Domini millesimo septingentesimo quadragesimo quinto,

Maria Theresia m. p.

(L. S.)

Comes Ludovicus de Batthyan m. p.

Joannes Adelfy m. p.

In inferiori margine:

Extradatum per me Ig. Kovacsy m. p. Inclyti Comitatus Syrmiensis Juratum Archivarium

In Archivo Regni Croatiae. Acta R. Congregationum 1745.

CCXLVI.

Anno 1745. die 1. Julii. Viennae.

Instructio novis supremis comitibus et officii supremi comitis administratori in Comitatibus Inferioris Slavoniae a Sua C. & R. Majestate data.

MARIA THERESIA (tit.) Fideli nostro, Magnifico Baroni Ladislao Vajay de Vaja qua Comitatus de Posega Officij Supremi Comitis Administratori, Salutem et Gratiam. Siquidem ad mentem Articuli 18 et 50 Novissimae Diaetae 1741 Districtus Syrmij et inferioris Sclavoniae, exceptis Confinijs, Banali et Provinciali Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Jurisdictioni incorporari, illosque, incluso Valkoviensi, in tres Comitatus, Syrmiensem utpote, Poseganum et Veröczensem subdividi resolverimus; ex his vero Moderationem Comitatus de Posega Tibi, qua Officij, uti praemissum est, Supremi Comitis pro interim Administratori, concrediderimus: Igitur, ut tam Tu, quam reliqui Subalterni quoque ejusdem Comitatus Officiales, hac vice per Commissionem nostram Regiam, ad incorporationem praefatorum Districtuum Limitationemque et regulationem antelatorum trium Comitatuum cum Deputatis dictorum Regnorum ad faciem Loci proxime descensuram. provisorie ad ratificationem nostram eligendi et constituendi, Muneribus et Officijs Vestris tanto exactius satisfaciatis, Vobis tam in Communi quam particulari sequentem Instructionem dandam esse duximus, Et quidem:

Primo: Tam Administratori, quam reliquis subalternis Comitatus Officialibus ante omnia incumbet, ut in Comitatu ipsis concredito continuo resideant et Officiis suis diligenter praesint, cumprimis vero Gloriam Dei Omnipotentis et Religionem Orthodoxam Romano Catholicam, pro exigentia Legum Regni, pro parte praefatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae conditarum, omnimode promovere et propagare satagant. Sed quia Syrmij Incolae (ab) olim quoque Religionem (Graeci ritus non unitam) profiterentur, hi vero cum Clero ipsorum benigna Regia Privilegia haberent, per Majestatem quoque Nostram in Anno 1743 benignissime confirmata, ideo eosdem Incolas penes eadem Privilegia sua, tenore etiam hic Copialiter annexarum benignarum Patentalium Nostrarum, ipsis noviter extradatarum, imperturbate conservent. In reliquo autem sedulo attendent praefati Comitatus Officiales, ne Popae ac Graeci Ritus Episcopi illorum ab ijsdem ullas illicitas et arbitrarias Collectas, mulctas item pecuniarias, aliasve extorsiones pro lubitu ipsorum exigere et extorquere attentent; sed neve etiam Domini Terrestres Normam ijsdem in Anno 1737, respectu Obligationum ipsis a Subditis suis praestandarum, praescriptam, usque

dum successive cum Comitatuum interventu Vrbaria Dominalia, usui et Patriae illi accomoda, suo modo confici et regulari valebunt, excedant, subditosque suos ad plus praestandum cogant; sed neque novam etiam, donec aliter per Nos dispositum fuerit, a Subditis suis desumere audeant; adeoque tam in his, quam aliis quoque omnibus occasionibus, contribuentem Plebem ab indebitis et excessivis quibusvis Exactionibus et pressuris conservare studeant; sed nec ipsi quoque simile quid attentent antelati Comitatus Administrator et Officiales.

Secundo. Politica quaevis et provincialia, modalitate in Hungariae et Croatiae Regnis nostris passim introducta et usitata, in Comitatu sibi concredito tractabunt atque curabunt, adeoque in gremio illius, dum et quando necesse fuerit, Generales, cum interventu etiam, qui adesse volunt, Dominorum Terrestrium, vel eorundem Officialium, praeuiae semper per Currentales (uti moris est) invitandorum, Congregationes, pro tractandis ejusmodi publicis servabunt, quam etiam ad Generales fidelium Statuum et Ordinum Regni nostri Croatiae Congregationes, semper (dum vocabuntur) unum alterumve ex gremio sui exmittent Deputatos, proponenda ibidem, si quae nomine Comitatus habebunt, proposituros, vel inde vicissim, dum rediverint, de ibidem pertractatis et conclusis, Comitatui in proxima Generali Congregatione sua debitam relationem scripto facturos; praecipue vero eo solerter contendent, ut quantum Contributionale a Contribuentibus de tempore in tempus sub onere dandarum desuper rationum debite semper exigatur et defectu absque omni persolvatur, solutum demum ad Cassam Comitatensem colligatur, inde vero ad Cassam Bellicam Essekini constitutam erga Quietantias Cassae Praefectorum fideliter administretur. Omnia denique, quae ab Incolis quocunque titulo praestanda veniunt, eo, quo spectant, in tempore aeque praestentur et administrentur; super omnibus autem perceptis et erogatis Constitutus Comitatus Perceptor mox finito Anno Militari cum requisitis probis et documentis sufficienter instructas rationes, prout in Hungaria usitatum est, Comitatui exhibebit, nolens vero vel intermittens, compulsivis etiam medijs, Lege idcirco praescriptis, per Magistratum cogatur. Singulariter autem eo intentus sit Magistratus, ut postquam ex noviter instituenda Comitatus Conscriptione, aequa et justa Proportio inter Contribuentes elaborabitur, illa debite pro futuro observetur, neque sine gravi ratione et publica Comitatus Determinatione in quopiam immutetur; ac in reliquo etiam ea, quae Leges Regni et signanter Articulus 63 Anni 1723 in praemissis praescribunt, exacte observare teneantur.

Tertio. Processus et Litigia, quae inter Terrestres Dominos vel alios Nobiles ibidem vertuntur, ac vi Legum Hungariae et Croatiae Foro Comitatensi dijudicanda concernunt, Magistratus pro administratione Justitiae per Partes suo modo requisitus et interpellatus, servatis de Jure servandis, in Comitatu sibi concredito dijudicanda assumet et decidet, Partibusque Justitiam juxta Regni Leges exacte et celeriter administret, admissa pro qualitate Causarum et dictamine Legum intra vel extra Dominium, si Causa adpellabilis sit, a Vice-Comite et Judicibus Nobilium, in Partibus (uti dicitur) procedentibus ad sedem Judiciariam Comitatus, singulis annis quoties necesse erit in Comitatu debite aeque celebrandam, inde autem ad Tabulam nostram Banalem Appellatione; occasione vero celebrandarum Sedium Dominalium Judlium cum Jurassore praesentes

semper aderunt, et ibidem diligenter illa, quae iisdem secundum praescriptum Legum incumbunt, curabunt. Quod si autem in Sclavonia et Syrmio tales Causae occurerent, quae antecedenter jam per Instantias, quas hactenus habuerunt, finaliter decisae et superatae fuerunt, tunc res judicata pro tali relinquatur et maneat, amplius coram Comitatu non resuscitanda; pendentes tamen, seu ibidem jam praevie inceptas, nondum tamen finaliter terminatas Lites, Causantes, si vel ambae Partes, vel Jure conventae saltem Provinciales fuerint, vel de re Jurisdictioni Provinciali subjecta agatur, non alibi, quam coram Comitatu et Foris Provincialibus, servatis de Jure servandis, promovere poterunt. Et quia

Quarto: Memorati Comitatus Magistratus adinstar aliorum Comitatuum Jure etiam Gladii gaudebit, igitur in solerter persequendis ac pro demerito etiam puniendis Praedonibus aliisque Malefactoribus omnem Laborem et Industriam pariter impendet, quo taliter in Syrmio quoque et Sclavonia intrinseca quies et tranquillitas restabiliatur, Malefactoresque condigna et promerita poena puniantur. Quem in finem Comitatus in bono ac securo Loco, ipsi per Commissionem Nostram assignando, etiam Carceres pro Delinquentibus, sub bona Custodia et provisione servandis, habebit, et reliqua etiam ad Exercitium Juris Gladij necessaria requisita procurabit.

Quinto: Et cum Suprafatis Regijs Commissarijs Nostris ex peculiari gratia et Clementia Nostra facultatem hac vice benigne concessimus, ut ad citius atque facilius in illis partibus reducendam publicam quietem et tranquillitatem generalem Amnystiam pro Praedonibus, in Libertate adhucdum constitutis, consequenter sub Judiciaria potestate nondum existentibus, Altissimo Nomine Nostro eo modo publicare possint, ut praefigendo illis Terminum, intra quem semet coram ipsis vel Superioritate sua sistere debeant, et ut tales, qui semet sponte sistent, vel Militaria Servitia statim amplectantur, vel deposito praevie Juramento, quod deinceps a Praedocinijs et alijs Maleficijs penitus abstinere et Domi suae constanter permanere velint, semet in unam vel alteram Pagensium Communitatem inscribi curare teneantur. Igitur hujus quoque effectuationi omnimode intentus erit Magistratus.

Sexto: Siquidem praefatus Comitatus, quamvis Regno Nostro Croatiae caeteroquin incorporabitur, suam attamen Contributionem praestare et Illocationes Militares aliaque Concomitantia onera Publica adinstar Comitatuum Regni Nostri Hungariae supportare debebit: Hinc Comitatus iste et ejusdem Magistratus, in reliquis quidem praefatorum Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banali et Provinciali Jurisdictioni, cui praevio modo incorporabitur, adinstar aliorum in ijsdem Regnis sitorum Comitatuum suberit, in Contributionalibus tamen et alijs Contributionem concomitantibus et fundum illius tangentibus et respicientibus oneribus et dispositionibus Publicis, adinstar Comitatuum Hungaricorum, immediate a Regio Hungarico Locumtenentiali Consilio Nostro, prout et constituendus in illis Partibus Provincialis Commissarius in rebus Officij a Directore Provincialis Commissariatus Hungarici, dependebunt, debitam cum ijsdem Correspondentiam in praemissis habituri, et eorundem Dispositionibus parituri, Regulamentoque etiam Militari, quod in Sclavonia et Syrmio actu viget et in usu est, usque ulteriorem Majestatis Nostrae Dispositionem semet debite conformaturi.

Septimo: Salaria porro Administratoris et constituendorum praevio modo Comitatensium Officialium taliter benigne ordinavimus, ut Officii Supremi Comitis Administrator 1000 fl., Vice-Comes 500 fl., Notarius 300 fl., Generalis Cassae Perceptor 300 fl., Judex Nobilium 200 fl., Juratus Assessor 100 fl., Procurator demum Fiscalis 150 fl. habeant. Praeterea, ut Comitatus Equites etiam et Hajdones pro exactione Contributionis, persecutione item et exstirpatione Praedonum aliorumque Publicorum Malefactorum necessarios, cum superioribus et subalternis Officialibus suis, prout et Lictorem teneat, Competentia ijsdem Salaria et respective Stipendia, proxime aeque regulanda, pariter percepturos; interea vero et donec fundus praespecificatorum Salariorum in praenotato Comitatu eruetur, ex Peculiari gratia Nostra Salaria ejusmodi ab aerario Nostro Regio usque ultimam Decembris Anni futuri 1746 pendi curabimus. E contra autem pro indemnisando Aerario Nostro Salis in Sclavonia et Syrmio, et quidem unius cujusvis ibidem distrahendi Centenarij pretium in 15 x., a 1. Julii anni currentis usque finem Decembris Anni 1750 elevandum resolvimus. Diligenter autem invigilabunt praefati Comitatus Officiales, ne Sal marinus, quem positive in omnibus hisce tribus Comitatibus inhiberi volumus, eo inducatur et invehatur; Congruum idcirco, dum et quando res exigit, remedium et provisionem facturi, Constitutisque ibidem Salis Officialibus nostris necessariam eo fine, ubi opus fuerit, assistentiam praebituri.

Octavo: Quoniam vero in Regno Nostro Hungariae ea observaretur in praemissis modalitas, quod quivis Comitatus Supremis Comitibus et Officialibus suis alijsque Servitoribus Comitatensibus Competentia Salaria ex Cassa sua Domestica persolvat, Hinc, mox ubi praenominatus Comitatus debito modo Regulatus et Magistratu suo instructus fuerit, idem mox eam Provisionem faciet, ut a die 1. Jannuarij Anni 1747 et sic imposterum semper ex Cassa sua Domestica universa Salaria, Stipendia item suorum Militum et alias quasvis particulares Comitatus Expensas persolvat; eandem tamen Cassam Domesticam cum Contributionali Magistratus nunquam commisceri et confundi admittet, sed separatas et distinctas ab utraque Cassa a Perceptore suo Rationes quotannis indispensabiliter quantocyus exigat, exactas revideat et censuret, censuratas vero utriusque Ordinis Rationes, esto ab invicem separatas, connexive tamen se habentes, in geminis Paribus, Sigillo Comitatus et subscriptione Magistratualium authenticatas, Regio Locumtenentiali Consilio Hungarico Posonium, de Cassa autem Domestica Comitatus sonantes rationes, in simili Exemplari etiam fidelibus Statibus et Ordinibus Regni Nostri Croatiae singulis annis submittet. Praeterea

Nono: Siquidem Regias Tricesimas nostras hactenus in finibus Sclavoniae adversus Hungariam et Croatiam habitas, facta semel incorporatione per Commissarios Nostros Regios, inde tolli et ad Confinia versus Turcicum ponenda transferri, Telonia vero in medio Syrmij et Sclavoniae reperibilia eousque, donec per Magistratum Comitatensem, ad exigentiam Legum eatenus sancitarum, et signanter Articulorum 15. 1715 et itidem 15. 1723, nec non 28. Novissimae Dietae, revidebuntur, et quae tollenda sunt, tollentur, et stabilienda stabilientur, Vectigaliaque eorundem limitabuntur, in statu quo relinquenda esse benigne resolvissemus: Ideo saepefatus Magistratus in gremio sui etiam praefatam Teloniorum revisionem successive assumet et peraget, rationemque idcirco fidelibus Statibus

et Ordinibus Croatiae submittet; illos vero teloniorum Possessores, quorum Telonia pro necessarijs praevio modo inventa et stabilita fuerint, ad reparationem quoque et Conservationem viarum et Pontium, observandumque et non excedendum ipsis praescriptum Vectigal, extrahendum item (si non habent) Regium Teloniale Privilegium, adeoque satisfaciendum obligationi suae, juxta praecitatas Leges effective adstringet, sine praehabito autem Regio Teloniali Privilegio nulla nova Telonia erigi admittet. In reliquo autem Officiales Comitatus tam in Concreto, quam in Particulari, quivis illorum respectu muneris et Officii seu generaliter ea etiam observabunt, quae Leges Regni praescribunt et ijsdem observanda praecipiunt.

Quae omnia autem, ut debite observentur et in effectum deducantur, Administrator Officij Supremi Comitis Sedulam ac diligentem Curam habebit, Articuloque 56. Anni 1723 alijsque Regni Legibus, de Officijs Supremorum Comitum sonantibus, semet exacte conformabit; et cum Comitatus etiam proprium Sigillum authenticum habere debeat, ideo, ut primum Magistratus praevio modo institutus et ad Activitatem positus fuerit, mox pro Sigillo ad Majestatem Nostram reccurret, et una etiam projectum illius Nobis exhibebit; interea autem in publicis Expeditionibus suis Sigillo Administratoris utatur. Et haec sunt, quae praefati Comitatus Magistratui pro Instructione hac vice et donec aliter disposuerimus, extradanda esse duximus et concedenda. Datum Viennae, die 1. Julij, Anno Domini 1745.

Maria Theresia m. p.

(L. S.)

Comes Ludovicus de Batthyan m. p.

Franciscus Koller m. p.

A tergo:

In simile Ludovico Comiti Patachich, qua Supremo Comiti Comitatus Veröczensis, et Marco Alexandro Baroni de Pejachevich, qua Supremi Comitis Officij Syrmiensis Administratori.

Copia in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congregationis A. 1745. N. 51.

CCXLVII.

Anno 1745. die 9. Decembris. Esseki.

Universitas Comitatus Verőcensis de sua et totius inferioris Slavoniae reincorporatione Generali Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Congregationi gratulatur.

Excelsi Proceres,

Inclytique Domini Regnorum Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae Status & Ordines,

Domini Domini Nobis Gratiosissime Colendissimi!

Cum jam tandem Deo Auspice diu expectata Inferiori huicce Sclavoniae, fateri debemus, infatigabili Excelsorum Procerum Inclytorumque Dominorum Statuum & Ordinum Cooperatione, promota acciderit Salus & pristina denique restituta sit Libertas, ita, quod ejusdem Priorj suo Corpori, Banali nempe Inclytorum Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae Regnorum Jurisdictioni reaplicatio, de Gratia & Clementia Regia desideratum feliciter sortita sit effectum, sicut nos octava delabentis instaurati Comitatus de Verőcze Universitas parte nostra Excelsis Proceribus Inclytisque Dominis Statibus & Ordnibus super recuperata deperdita hactenus filia sua, ita Nobis de reobventa dulcissima Matre Superiori Sclavonia omni possibili jubilo & applausu hisce gratulamur, & porro etiam pro exantlatis in Patriam hancce Excelsorum Procerum Inclytorumque Dominorum Statuum beneficijs, deprompta isthic coram Illustrissimo & Spectabilibus Dominis Eorundem Commissarijs praeconia & gratiarum Actiones, praesentibus obsequenter repetimus, nosque in Maternum suscipi precamur sinum; DEUM caeteroquin Omnipotentem ardentibus orantes votis, ut id, quod benignitate sua conjunxit, usque ad Mundi persistentiam nullis unquam temporibus amplius separari patiatur; verum sicut Virtus unita fortior est, & concordia res parvae crescunt, ita pro majori sui Gloria, Alti item Regij Servitij & Publici Emolumento utriusque praemissi Clementer impertiatur Nobis Incrementum; Nos interea omnia Nostra ita dirrigere satagemus Acta, ut in quibusvis quoad debiles Vires & Capacitas Nostra indulserit, benignis Regijs Mandatis, Juribus item, Praerogativis & avitis Consvetudinibus satisfiat.

Quamvis porro pro accepto uno, ne dum satis gratos, pro alio implorando Beneficio Nos modestia quasi cohibere deberet, quin nihilominus Majorum erga suos semper largam esse scimus Munificentiam, non veremur in Limine statim, subversante praecipue in mora Periculo, Excelsorum Procerum Inclytorumque Dominorum Statuum intuitu avertendae ad Legionem Trenkianam Militis praestationis rogare auxilium; cum autem in hoc eodem, quod Nos premit, merito, Excellentissimi quoque Domini Comitis Bani invocaremus Patrocinium, sicut Litteras

Nostras Suae Excellentiae scriptas cum Excelsis Proceribus & Inclytis Dominis Statibus communicare Nostrae arbitramur Obligationis, ita siquidem in ijsdem tota facti species deducta haberetur, illius isthic deductionem attingere supervacaneum & ipsis Excelsis Proceribus ac Inclytis Dominis Statibus incommodum fore rati, Supplicamus humillime, dignentur pro sua experta in Nos Gratia & bonitate sine longiori mora ad Augustissimam pro Nobis recurrere, itaque Instantiam hancce Nostram promovere, ut insupportabile hocce Militis praestationis Onus a Nobis ex integro avertatur. Quibus Protectioni Eorundem nosmet impense recommendantes manemus

Excelsorum Procerum,

Inclytorumque DD. Statuum & Ordinum

Dabantur ex Generali nostra die 9.
& sequentibus Mensis Decembris 1745
Esseki celebrata Congregatione.

Obsequentissimi & Obligatissimi Servi

Universitas Comitatus de Veröcze.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congregationis a. 1746. Nr. 4.

CCXLVIII.

Anno 1745. 12. Decembris. In oppido Valkovar.

Universitas Comitatus Syrmiensis de sua et totius inferioris Slavoniae reincorporatione Inclytis SS. et OO. Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae gratulatur.

Excelsi Proceres,

Inclytique Domini Regnorum Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae Status & Ordines,

Domini Domini Gratiosissime Colendissimi!

Illuscente tandem aliquando post tot retroactorum Saeculorum effluxus afflictae & sub gravissimis oneribus fatiscentis Patriae hujus fortunatiori sydere, ubi nempe ad iteratas Eorundem Excelsorum Procerum Inclytorumque Domi-

norum Statuum et Ordinum Suae Sacratissimae Caesareo-Regiae Majestati factas humillimas Instantias Syrmium cum inferiori Sclavonia Sacro Regni Hungariae Diademati, memoratorum vero Inclytorum Dalmatiae, Craatiae et Sclavoniae Regnorum, atque adeo Excelsorum Procerum Inclytorumque Dominorum Statuum & Ordinum, Banalique Jurisdictioni, ex benignissima altefatae Suae Sacratissimae Majestatis annuentia, Anno hocce labenti, medio authorizatorum eatenus Dominorum Caesareo-Regiorum Commissariorum jam ex integro reincorporatum extitisset; Primo hicce Comitatus Syrmiensis die 11. proxime praeteriti Mensis Novembris in oppido Valkovar instauratus, activitateque Comitatensis Magistratus est condecoratus; hodierna vero die Illustrissimus quoque Dominus Supremi Comitis Officij Administrator noster Eidem est praefixus. Cujusmodi tantis suspirijs gemitibusque exoptatam miserae hujus plurimisque infaustissimorum temporum Injurijs et vicissitudinibus grassatae ac fere collapsae Patriae, tandem aliquando obtentam consolationem, quemadmodum post altefatae Sacratissimae Majestatis maternam clementiam Excelsorum Procerum Inclytorumque Dominorum Statuum et Ordinum Potenti et zelosissimo Patrocinio referre debemus; ita etiam tam ingens nunquamque obliterandum eorundem Excelsorum Procerum Inclytorumque Dominorum Statuum & Ordinum beneficium, donec ultimae nobis vires suffecerint, Servitijs nostris contestari nunquam sumus defuturi.

Caeterum, tametsi multa superessent, in quibus uberiorem adhuc a Sua Sacratissima Caesareo-Regia Majestate medio Excelsorum Procerum Inclytorumque Dominorum Statuum et Ordinum consolationem suo tempore humillime efflagitandam decrevissemus; ijsdem nihilominus pro hic et nunc praetermissis, unum (subvertante in mora periculo) Excelsis Proceribus Inclytisque Dominis Statibus et Ordinibus obsequenter detegendum habemus: Ea erat Excelsi Proceres Inclytique Domini Status & Ordines his retroactis Annis Domini Baronis Colonelli Trenk in conducendo per nostrum quoque Comitatum Milite indiscretio, ut quotiescunque pro bellando aptos habilesque depraehendit Contribuentes, vendicata sibi licentia in suam Legionem indiscriminatim vi abtraxerit, Dominijsque certo numero Eorundem statutionem absque omni prorsus consideratione Diminutionis per id Aerarij Regij, miseraeque Contribuentis Plebis aggravij strictim et sub gravissimis comminationibus imposuerit, executioneque etiam mediante extorserit; Unde evenit quoque, quod tales vi abstracti in ejusdem Legione Incolae abinde magno numero semet subtrahentes, ad propriosque Lares ob novam rursus sui capturam redire formidantes, sylvas repleverint, exindeque enormia praedocinia, caedes & furta in majorem satis afflictae Plebis afflictionem perpetraverint, perpetrentque etiam in praesentiarum. Quia vero non vane praevideremus, quod hocce hyberno tempore juxta morem praefatus Dominus Colonellus de redintegranda memorata Legione sua coram Sacratissima Caesareo-Regia Majestate rursus sit acturus, impetrataque ejusmodi facultate priores Excessus suos (quorum intuitu ad ejusdem Regiae Majestatis Thronum humillimum medio Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum successiue reservamus facere recursum) in Patria ista sit renovaturus; Ideo tum ob hoc, cum et exinde, quia Regio isthaec modo praedeclarato praememoratis Regnis reincorporata, ad mentem Articuli 66. 1681, per Articulum quoque 59. Novissimae Diaetae confirmati, ijsdem Regnis in militando esset conformanda, eatenusque dum necessitas exegerit et vires nobis admiserint, Excelsorum Procerum Inclytorumque Dominorum Statuum & Or-

dinum, ac Suae Ecellentiae Banalis gratiosis dispositionibus nos quoque substernere parati essemus: Excelsis Proceribus Inclytisque Dominis Statibus & Ordinibus obsequenter supplicamur, quatenus valido suo Patrocinio, intuitu extreme exhaustarum virium nostrarum, apud Suam Sacratissimam Majestatem, ne antelatus Dominus Colonellus talem facultatem amplius sibi sortiri possit, verum totum hocce insupportabile a nobis avertatur onus, validas vices suas interponere dignarentur. In reliquo Nos Eorundem Excelsorum Procerum Inclytorumque Dominorum Statuum & Ordinum Protectionibus totos quantos devoventes manemus

Excelsorum Procerum

Inclytorumque Dominorum Statuum & Ordinum

Datum ex Generali Congregatione nostra pro die 12. Mensis Decembris 1745 in oppido Valkovar celebrata.

Obsequentissimi Servi

Universitas Neo-erecti Comitatus Syrmiensis.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. 1746 Nr. 5.

CCIXL.

Anno 1747. die 7. Martii. Viennae

Instructio neoerectis comitatibus Inferioris Slavoniae a Rege medio Generalis Regni Congregationis data.

MARIA THERESIA DEI gratia Romanorum Imperatrix ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque &c. Regina, Archidux Austriae, &c.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item Egregij et Nobiles, nec non Prudentes ac Circumspecti, fideles Nobis dilecti. Posteaquam Anno praeterito fidelem nostrum Spectabilem ac Magnificum Comitem Alexandrum Patachich, Camerarium et Consiliarium nostrum Regium Hungariae Aulicum,

qua Visitationis Commissarium nostrum ad neo Incorporatos Syrmij et inferioris Sclavoniae Comitatus fine eo: ut videlicet ex praevie jam peractis antelatorum trium Comitatuum Conscriptionibus novam et rectam Proportionem et onerum publicorum Repartitionem elaboret, de formanda etiam in singulis Comitatibus domestica (si nondum factum esset) curam habeat, an item Lineae Confiniariae in ductu suo per Commissionem Incorporationis facto rite subsistant, informationes capiat, num demum et qualiter Comitatuum Magistratus Instructiones suas observaverint, perquirat et investiget, ac super omnibus et singulis Nobis Relationem faciat, benigne exmisissemus, idemque Comes abinde redux, Nobis praeterito Mense Octobris humillimam Relationem suam exhibuisset, desuper in ordine ad Politica et Juridica, Cassamque Domesticam concernentia sequentia clementer resolvimus.

Ut pro sublevamine Subditorum seu Contribuentium illorum Comitatuum ratione Cassae Domesticae, juxta hicce annexum Schema Annuae insimul ad viginti septem Mille eventualiter computatae, Camera nostra Regia ex Contributione a Locis in Comitatu Bachiensi noviter incorporatis levanda assignet per duos Annos a 1. Januarii anni currentis computandos, annuatim 12 Millia florenorum inter dictos tres Comitatus, per ipsos inter se (uti ipsis jam benigne intimavimus) eo fine Eszekini concursuros, non aequaliter, sed juxta exigentiam necessitatis cujuslibet Comitatus repartiendos, hoc etiam superadito: ut arbitrariae et dispendiosae Erogationes, virtute etiam Articuli 63. 1723 vetitae, praecaveantur et Conscriptiones Beneficiorum pro Cassa domestica in singulis Comitatibus taxandorum (si nondum peractae essent) peragantur, et quantumcunque fieri potest, aggravatio Contribuentium evitetur, et super omnibus et singulis perceptis et erogatis (uti dictis Comitatibus aliunde jam vi Instructionis ipsorum commissum est) Rationes dare teneantur.

Praeterea retulit Nobis idem Comes, quod in Dominio Illok Fiscalem Procuratorem Acatholicum fundamento Articuli 46. novissimae Diaetae ex Servitio dimitti jusserit, Dominia in Comitatu Posegano contra subditos excedentia ad observationem Regulamenti de Anno 1737 eo in passu emanati et ibidem publicati reflexerit et ut Jura sua Dominalia (ubi necessitas fuerit) per sedes Dominales regulare studeant, res vero sub Commissione neo-acquistica judicata, quae per Comitatum contra positivum Instructionis suae punctum alterata fuerat, priori vigori restituat, ordinaverit, in omnibus autem tribus Comitatibus Justitiam in Criminalibus debite administratam fuisse, in Comitatu vero Veröczensi, propter eotum accumulatum Malefactorum Numerum eam se dispositionem fecisse refert idem Comes, ut illorum Delinquentium, quorum reatus ex Inquisitionibus leviorem Civilem et arbitrariam poenam post se trahere videretur, Causas Vice-Comes, per Comitatum authorisatus, cum sibi adjunctis eodem Loco residentibus Judice et Vice-Judice Nobilium summario solum revideat et in proxima Sedria scripto referat, cessante autem praemissa ratione, haec quoque dispositio iterum cesset, in Causis autem Civilibus semet in Comitatu Posegano, inque Dominio Illokiensi itidem disposuisse, ut Officiales Dominales pro revidendis notabilioribus Subditorum Causis, ubi plures concurrunt, de tempore in tempus Sedes Dominales legaliter instructas celebrent, Vice-Comitem autem et Judices Nobilium promiscue hactenus Causas Judicantes, ad praescriptum Articuli 35. 1729 regulavisse, sed et Do-

minia quoque ut Fora impensionalia exactius servent et Causantibus Justitiam administrent, admonuisse, in aliis autem Comitatibus nullum in administranda Justitia defectum compertum esse retulit, hisque superaddidit idem Comes, quod vindex Justitiae rigor per decursum praeteritae Hyemis eum partibus illis produxerit effectum, quod Regio illa Latronibus et Praedonibus antehac multum referta, jam poene securitati publicae sit restituta, quas dicti Comitis dispositiones benignissime approbantes, iisdem hoc duntaxat addendum esse duximus, ut Comitatus ad continuandum administrandae Justitiae zelum ulterius quoque adhortentur.

In ordine vero ad Lineas Confiniarias refert saepefatus Comes, quod nunnullas exiguas signanter in Comitatibus Syrmiensi et Posegano, majorem autem in altero Comitatu Veroczensi quoad occupationem Territorij Diakovariensis per Confiniarios via facti attentatam, repererit differentias; circa quas clementer resolvimus, ut Comitatus, qui eatenus gravamen habent, semet idcirco praevie apud Praefecturam nostram militarem ibidem tanquam primam Instantiam pro remedio insinuent, ibidemque agenda agant, non obtento autem ibidem remedio, tandem primo recurrant et gravamina sua fundate repraesentent; et hoc etiam in aliis Casibus et occurrentiis semper observent et non statim praeterita prima Instantia ad Nos, vel Aulam nostram recurrant.

Ulterius retulit idem Comes, quod in Comitatu Posegano excessum in Diurnis intra et extra Comitatum advertens, illa dietim praeter occasionem ad duos florenos restrinxerit, praeterea vero ordinaverit, ut Decimatoribus nostris Cameralibus, Incolis saepius Damna inferentibus, semper unus Homo Comitatensis qui Plebem ab omni Jactura praeservaret, adjungatur, promiscuam vero Nundinarum celebrationem usque edoctionem Privilegiorum, imo quaedam etiam Monopolia privata in nonnullis Dominiis servata inhibuerit, sed et illud quoque in Comitatu ordinaverit, ut Incolis ad Comitatum Memorialia porrigentibus et Decretationem seu Indorsationem desuper obtinentibus, praeviae autem a Congregatione discedentibus, et Memoralia sua ibi relinquentibus, indorsatae ejusmodi Instantiae Judicibus Processualibus consignentur, per eosdem Supplicantibus, qui absunt, finita Congregatione distribuendae; Praeterea vero quod Dominales quoque Officiales, contra quorum renitentiam in publicis Comitatuum dispositionibus Magistratus Comitatenses conquesti sunt, ad accuratius observandam Subordinationem admonuerit; — quas dispositiones aeque, cum hac tamen modificatione clementer approbamus, ut Salarisatis Comitatuum Officialibus in publicis procedentibus et exmissis intra Comitatus (uti etiam in Hungaria vetitum est) nulla Diurna solvantur, in reliquo autem praeattacta Diurnorum restrictio etiam ad alios duos Comitatus extendatur; ne autem propter carentiam Nundinarum Publicum patiatur, Domini Terrestres, Privilegiis Nundinalibus carentes, ad Maiestatem nostram pro impetrandis ejusmodi Privilegiis ocyus remittantur; ab Incolis autem praevio modo Supplicantibus, nec pro Indorsatione, neque pro Consignatione et distributione Memorialium suorum quidpiam praetendatur aut exigatur, hoc et id vero etiam in aliis Comitatibus debite observetur.

Porro ad Relationem totiesfati Comitis, positamque coram eodem (uti refert) Comitatuum illorum et signanter Veröczensis in eo Querimoniam, quod Turcici Quaestores et Mercatores vulgo Kallagy dicti, cum diversis Mercibus per minutias Quaestum exerceant et Caristiam inducant, una pulveres etiam Pyrios

Praedonibus vendere asveti sint, benigne aeque resolvimus, ut dispositiones nostrae fundamento Articuli 29. novissimae Diaetae respectu similium Quaestorum et Mercatorum Turcicorum, qui subditi Turcici sunt, per Hungariam factae, ut videlicet minutias et extra publicas Nundinas cum rebus et Mercibus Turcicis Quaestum exercere non audeant, a Quaestu autem cum aliis rebus et Mercibus non Turcicis penitus arceantur, etiam ad praefatos neo-incorporatos Comitatus inducantur, ibidem ad Notitiam illorum publicentur et pro futuro debite observentur, date tamen iis, qui hactenus cum rebus non Turcicis Questum exercere solebant, pro distractione ejusmodi Mercium suarum certo ac competenti Termino.

Caeterum ad Instantiam Comitatus Syrmiensis, ut Petrovaradini aliquot saltem Scholae humaniores pro erudienda etiam illarum Partium Juventuie inducantur, jam benigne disposuimus, ut Fundus idcirco requisitus per Cameram nostram exquiratur, et illo comperto, Petito ejusdem Comitatus deferatur. Praeterea autem injugetur eidem Comitatui Syrmiensi, ut quoad Commoditates, tam pro publicis ejusdem Comitatus Carceribus, quam Carcerum Praefecto jure precario hactenus a Dominio Illokini habitas, jam vero per Dominium difficultatas, pro ulteriori Comitatus usu et necessitate relinquendas, cum eodem Dominio, usque dum Comitatus ipse in Statu fuerit sibi ejusmodi Comoditates extruendi vel comparandi, de certo eatenus annue solvendo proportionato Censu convenire et contrahere studeat, et hoc ipsum etiam Vice-Comes ejusdem Comitatus, quoad suam Commoditatem, nisi aliud quodpiam fundatum Jus ad eandem haberet, faciat, ut hoc modo ulterioribus dicti Dominij Querimoniis finis imponatur.

Et quia Fidelitates vestrae ad hujus Comitatus Querimoniam sub die 24. Mensis Octobris anni paeteriti, Nobis demisse repraesentassent, quod Generalis Campi Mareschalli Locumtenens noster Baro Engelshoffen pro aequivalente partis Militaris Fossati nostri Petrovaradiensi anno praeterito benigne aeque incorporatae, ex dicto Comitatu Syrmiensi decem Loca avellere et ad Confinia Militaria applicare voluerit, interim, ille desuper constitutus semet Loca illa projectasse duntaxat, non autem avellere voluisse respondit.

Quibus proinde praevio modo benigne resolutis et dispositis, Fidelitatibus vestris benigne committimus ac mandamus, quatenus eadem dictis Syrmij et inferioris Sclavoniae Comitatibus pro ipsorum directione respective et debita observatione intimare noverint. Quibus in reliquo gratia et Clementia nostra Caesareo-Regia benigne jugiterque propensae manemus. Datum in Archiducali Civitate nostra Vienna Austriae, die Septima Mensis Martii, Anno Domini Millesimo Septingentesimo Quadragesimo Septimo.

Maria Theresia m. p.

Comes Leopoldus de Nadasd m. p.

Franciscus Koller m. p.

In inferiori margine:

In gleichen an die Croatische Stände.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregijs & Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis N. N. Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae & Sclauoniae Universis Statibus & Ordinibus &c. Fidelibus Nobis dilectis.

(L. S.)

Zagrabiae. Ex Officio.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. a. 1747. Nr. 26.

CCL.

Anno 1749. 3. Junii. Viennae.

Resolutio Regia de instituendo in Croatia uno Vice-Magistro Thavernicali et Foro Revisorio causarum Civitatensium.

MARIA THERESIA DEI Gratia Romanorum Imperatrix, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque &c. Regina, Archidux Austriae &c.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item Egregij et Nobiles, nec non Prudentes ac Circumspecti, Fideles Nobis dilecti. Ex Literis Fidelitatum Vestrarum Die Quinta praeteriti Mensis Martij ex Generali Earundem Congregatione emanatis, et Informatione de Causarum in Liberis ac Regijs Civitatibus Regni nostri Croatiae ventilari solitarum ac inde appellatarum Foro Superrevisorio deprompta, et ex Juribus ac Privilegijs dictarum Civitatum deducta, Nobisque cum Opinione submissa, benigne percepimus: praetactas Civitates, nec non Privilegiatum Oppidum Czirkveno, in Foro Superrevisorio appellatarum inde Causarum, Civitatem quidem Varasdinensem Judicatus Personalis Praesentiae Regiae Locumtenentis, reliquas vero (excepta Civitate Segniensi, Forum Superrevisorium apud Comitatum habente) Judicio Magistri Tavernicorum Regalium subjectas esse; quod tamen illarum Incolae Causantes ad Forum Superrevisorium Appellantes partim ob Distantiam Loci, Viarumque Incomoditatem, partim vero miserum et egenum Statum, Mediorumque et Facultatum deffectum difficulter nimis vel nullatenus ad Constitutum unum vel alterum in Hungaria Forum Superrevisorium debito tempore comparere possint.

Ne proinde ob haec obstacula Partes Causantes debita Justitiae Administratione destituantur, id pro nunc pro sublevamine ejusmodi Causantium, et celerius adipiscenda Justitiae Administratione, interimaliter, et usque ad ulteriorem Benignam Dispositionem nostram (salvis caeteroquin antelatarum Civitatum de Foro Appellationis sonantibus Privilegijs) clementer resolvimus et Comiti Tavernicorum nostrorum Regalium Magistro, Tenore Benigni rescripti sub hodierno Dato expediti, commisimus, ut Idem, sicut in Hungaria, ita in Croatia etiam, Vice-Tavernicorum Regalium Magistrum, qui ibidem Causas omnes Civiles in praefatis Civitatibus et respective oppido ventilatas et maturioris Revisionis gratia ad Forum Superrevisorium appellatas, Lege, Consvetudine et Activitate in Regno Hungariae observata, de Tempore in Tempus, convocatis illarum Civitatum Senioribus revidere possit, et revisas, memorato Comiti Magistro Tavernicorum Regalium ad Statum Notitiae in Extractu communicet, mox et quocitius denominare, ac Officij Sigillum Eidem consignare, Majestatemque Nostram desuper pro faciendis apud antelatas Civitates Dispositionibus informare debeat; Quam Benignam in praemissis interventam Resolutionem nostram Fidelitatibus Vestris ad Statum Notitiae Clementer intimantes, Iisdem in reliquo Gratia et Clementia nostra benigne jugiterque propensae manemus. Datum in Archi-Ducali Civitate Nostra Vienna Austriae Die Tertia Mensis Junij Anno Domini Millesimo Septingentesimo Quadragesimo nono.

Maria Theresia m. p.

Comes Ludovicus de Nadasd m. p.

Andreas Moruz m. p.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregijs et Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis N. N. Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae universis Statibus et Ordinibus &c. Fidelibus Nobis dilectis.

Zagrabiae. Ex Officio.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. 1749. Nr. 45.

CCLI.

Anno 1750. die 16. Jannuarii. Viennae.

Maria Theresia regulationem Confiniorum banalium sancit, nonnullaque Privilegia Regni confirmat.

Justitia et Clementia.

Nos Maria Theresia, Divina Favente Clementia Romanorum Imperatrix ac Regina Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariae, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, superioris et inferioris Silesiae, Mediolani, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Mantuae, Parmae, Placentiae, Limburgiae, Lucemburgae, Geldriae, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviae, Morauiae, superioris et inferioris Lusatiae, Comes Habspurgi, Flandriae, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, Goritiae, Gradiscae et Arthesiae, Landgravia Alsatiae, Comes Namurci, Domina Marchiae Sclavonicae, Portus Naonis, Salinarum et Mechliniae &c. &c.

Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis. Regalis Muneris nostri ratio, quod DEO favente obtinemus, et qua in Regna et Ditiones nostras haereditarias ferimur propensa Benignitas, Desiderium Studiaque nostra eo cumprimis dirigit, qualenus Subditorum Nobis Regnorum commodis omnimode prospiceremus, Devotos porro et fideles nostros, illos praesertim, qui gratos subditalis Obsequij conatus jugiter Nobis impendunt, quosve propria Virtutum merita commendare videntur, peculiaris Gratiae et Clementiae nostrae Caesareo-Regiae Favoribus complecteremur. Hinc est, quod ut primum paternum Solium conscendendo Imperij fasces adeptae sumus, ea specialis atque solicita Cura nostra continuo fuerit, qualiter Incremento Felicitatique Regnorum et Provinciarum nostrarum haereditariarum quam optime consulere valeamus. Benignam hanc Intentionem nostram in cupitum effectum perducendam praepediverunt adusque tot Bellorum, quibus mox a tempore suscepti Regiminis continuata serie undequaque impetitae fuimus, Injuriae; Jam vero restituta infinita Dei Misericordia alma Pace, optata affulget occasio, quo fidelibus subditis nostris uberrima Regiae Benignitatis nostrae, qua eosdem complectimur, Dona largiamur, Maternamque sollicitudinem nostram in omnigenam Illorum Prosperitatem unice directam re ipsa commonstremus. Quibus fideles Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Status et Ordines tanto cumulatius quidem beare cupiamus, quo Iidem testata omni tempore intemerata, cum Vitae Facultatumque suarum discrimine, Fidelitate, homagialisque obsequij Studio de augusta Domo nostra benemerito, in postremi quoque gravissimi Belli Motibus Vitam et Sanguinem suum, in novam praeclarae Fidelitatis Tesseram, pro Majestate nostra,

Tutamine Augustae Domus nostrae, ipsiusque Publici Commodo, devota Promptitudine consecrarunt; Neque in praemissis substitere insignes praelibatorum fidelium Statuum et Ordinum conatus, nihil utpote nunc quoque in Animis prius, nil in votis potius habentes, quam ut in Regem suum sanctam Fidem luculentis Testimonijs continuo comprobare, atque Gloriae et Felicitati Ejusdem Vitam et Bona litando, novam, eamque gratissimam sibi de Majestate nostra ac ipso etiam Publico benemerendi occasionem nancisci valeant. Quae rara omnique Commendatione digna subditalis obsequij Studia, quatenus Opere ipso ulterius contestarentur memorati fideles Status et Ordines, opportune Iisdem cesserat proposita per Fidelem Nostrum Nobis sincere dilectum, Spectabilem ac Magnificum Comitem Carolum de Batthyán, Perpetuum in Németh-Ujvár, Aurei Velleris Equitem, Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banum, Comitatus Castri Ferrei Perpetuum, Simigiensis vero Supremum Comitem, Nostum Actualem Intimum Consiliarium, Generalem Campi Mareschallum et unius Legionis nostrae Dimacharum Colonellum, Banalium Regni Confiniorum Regulatio. Praelibatus namque vetustae, ac tam Sago quam Toga illustris Familiae suae Progenitorum laudabilibus Vestigiis insistens, quemadmodum ab ineunte mox aetate sua, pro ratione diversorum, quibus functus est Officiorum, tum heroici Animi, cum et eximiae in rebus pertractandis Moderationis ac Prudentiae edidit Argumenta, et in perarduis signanter postremi acerbissimi Belli Circumstantijs non parcendo Laboribus, non Impensis, infracto robore probataque Dexteritate Nostrae cumprimis Majestati, sed et ipsi Publico multifaria, eaque momentosa summo Zelo ac Studiis indefessis praestitit Servitia, partaque antehac Merita, novis ijsque distinctis sane Meritis taliter cumulavit, Cuive in Consequentiam plenariae, quam de eodem habemus Satisfactionis Pignus, Nobis charissimum primo-genitum Filium nostrum legitimum Coronae Principem concredidimus, pro ea, quam habet, Rerum, tum Publicarum cum et Militarium Experientia, dictae Militiae Banalis Regni Confiniariae in magno adusque Disordine volutantis Regulationem, tum spectatis hic concurrentibus Militaribus Observationibus, cum et ipso Statu Provinciali Regni considerato, perutilem non modo, imo necessariam fore arbitratns, vix praeattactam repetitae Banalis Regni Confiniariae Militiae instituendam Regulationem Fidelitatibus Vestris proposuit, et mox Eaedem salutarem hanc atque in peculiare dictorum Regnorum nostrorum Commodum unice directam praelibati Comitis Bani Intentionem, desiderata promptitudine secundarunt, et istiusmodi novae Banalium Regni Confiniorum Reformae ac Regulationi in duobus Pedestribus Regimibus et Sexcentis Equitibus, universim vero Octo mille ducentis sexaginta Capitibus consistenti, celerem non modo Manum admoverunt, verum etiam dictae modo praevio regulatae Militiae Exolutionis Onus in universam Partium illarum Contribuentem Plebem, excepta Mondura sive Vestitu Militari, tam per Officiales, quam Gregarios propriis suis Sumptibus comparando, alacri Animo assumpserunt. Qvantumvis porro praeattacta Militiae hujus Banalis Regni Confiniariae Regulatio multifaria Emolumenta memoratis Regnis nostris potissimum adferat, dum videlicet melior Confiniorum Tuitio et publica ex hinc securitas procuratur, Patriae Filii ad Militaria eaque honorifica Officia applicantur, atque fixa pro futuro Stipendia percipientes, eadem demum intra Limites Regni illius denuo consument, eximium attamen in promotionem hic quoque subversantis summi Servitij nostri et Publici Commodum procurandum, modo praevio

testatum fidelium eorundem Regnorum Statuum et Ordinum Zelum benignissimo suscipientes Animo, ut perspectam Nobis, atque tum occasione hujus Militiae Regulationis, cum et alias Belli Pacisque tempore multifarie probatam Eorundem Virtutem et Fidem, pro singulari illa et vera Materna, qua in praelibatos fideles Status et Ordines ferimur Propensione, pro condigno recognosceremus, demisse praesentatis Majestati nostrae medio Exmissorum isthuc e Gremio antelatorum fidelium Statuum et Ordinum Deputatorum, Spectabilis quippe ac Magnifici Comitis Chistophori Orssich ab Orssich-Vára, Equitis Aurati, Tabulae nostrae Banalis Assessoris et Consiliarij nostri, Egregiorum item Joannis Rauch de Nyék, praefatorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum nostrorum Vice-Bani, Comitatuum Zagrabiensis et Crisiensis Supremi Comitis, Tabulae nostrae Banalis pariter Assessoris et Consiliarij nostri, Josephi demum Magdich, Tabulae dictorum Regnorum Judiciariae Assessoris et Consiliarij aeque nostri, quibusdam Postulatis, proque horum benignissima Applacidatione, facta nobis humillima Supplicatione, in uberiorem Contestationem peculiaris affectus, quo dictos fideles Status et Ordines benignissime complectimur, et quatenus Iidem singularis Clementiae nostrae Regiae perpetuum habeant Monumentum, subsequas iisdem fidelibus antelatorum Regnorum nostrorum Statibus et Ordinibus benignissime confirmandas et respective elargiendas duximus Concessiones. Et cumprimis quidem Banalem, in iisdem Confinijs adusque praehabitam, et in Articulo Quadragesimo Septimo Anni Millesimi septingentesimi quadragesimi primi, inque illo citatis alijs Legibus declaratam Activitatem, imposterum etiam exercendam hisce ulterius benignissime confirmamus. Ex quo porro dicta Confinia semet ex natura sua ad Rem Militarem alioquin simpliciter referant, Eosdem fideles Status et Ordines quoad ipsam praenotatorum Banalium Regni Confiniorum Administrationem, plenam in memorato praefatorum Regnorum nostrorum Bano, velut exactam Rerum Militarium Cognitionem et Experientiam habente, Ejusdemque in Officio hocce Successoribus fiduciam collocaturos benignissime confidimus. Quantumvis porro praelibatus modernus Comes Banus, cui Aerarij nostri necessitates omnino cognitae existunt, eam demissam Majestati nostrae fecisset Declarationem, qualiter Idem proprijs Medijs a DEO dotatus, atque ab aliis, quae ex Clementia nostra Caesareo-Regia sibi collata habet, Officijs, notabilia Salaria percipiens, pendendum ab Aerario nostro Regio, ad Tenorem Articuli Centesimi decimi quarti Anni Millesimi Septingentesimi Decimi quinti, Banale Salarium minus anhelet, quam etiam Declarationem pro nunc et usque subsecutura feliciora Tempora benignissime acceptamus; ad uberius attamen demonstrandam iisdem fidelibus Statibus et Ordinibus Regiam Clementiam nostram, in reale praecitati Articuli Centesimi decimi quarti Anni Millesimi Septingentesimi decimi quinti et aliarum eatenus praehabitarum Regni Legum Complementum, clementer resolvimus: Ut futuris antefatorum Regnorum nostrorum Banis annuum Quinque Millium florenorum Salarium ab Aerario nostro, et quidem ex Fundo Cassae nostrae Militaris, pro omni et toto dependatur. Non absimiliter annuimus, quatenus Consilium nostrum Aulae Bellicum Authoritatem et Activitatem suam in iisdem Banalibus Regni Confinijs non aliter, quam hactenus factum fuit, non obstante etiam praemissa Regulatione, exerceat; Tabellas attamen quoad effectivum praeattactae regulatae Militiae Banalis Regni Confiniariae Statum, memorato Consilio nostro Aulae Bellico, ipso Regulationis Statu id secum ferente, Menstruatim submitti volumus. Clementer item

admittimus, ut universa Militaria Officia penes praedictam regulatam Militiam Banalem Regni Confiniariam idoneis duntaxat Coronae Regni nostri Hungariae subjectis Patriae Filijs conferantur, et Praesidia Nationali regulato aliunde futuro Milite impraesidientur; Antelatus porro Comes Banus, Ejusdemque in Officio hocce Successores, non modo erigendorum (uti praemissum) ex praedicta Banali Militia Confiniaria Regiminum Proprietarij existant, verum etiam adinstar illorum Vice-Colonellos et ab inde alios Officiales denominandi Jus et Activitatem habeant, ipsa praenotata erigendorum praemissorum Regiminum Proprietate moderno Comiti Bano Ejusdemque in Officio hocce Successoribus taliter collata, privativam in Rebus dicta Regimina quoquo modo concernentibus Dispositionem eidem Bano et illius in Officio hocce Banali Successoribus concredente; Colonellorum attamen Denominationem erga Propositionem dicti Comitis Bani Ejusdemque in Officio hocce Successorum, pariter ex Coronae Regni nostri Hungariae subjectis Patriae Filijs, Nobis benigne reservamus; Qui modo praevio per Nos resolvendi et denominandi Colonelli consveta eatenus Decreta per Expeditionem Consilij nostri Aulae Bellici adinstar aliorum Colonellorum nostrorum accipient; taliterque Militia haec aequali cum reliquis regulatis Regiminibus nostris Praerogativa, vulgo Rang dicta, et Privilegijs aliorum Regiminum etiam in Castris gaudeat; Juramentum autem consveta eatenus Modalitate Nobis et Sacrae Regni Coronae ipsa praedicta Militiae illius Regulatione et in Regimina cum concomitantibus iisdem Praerogativis Efformatione, illud inevitabiliter exposcente, eadem Militia praestabit. In eo porro ulterius benignissime consolandos duximus fideles suprafatorum Regnorum nostrorum Status et Ordines, dum videlicet vetustam usuque roborata Consuetudine firmatam Eorundem Praerogativam, Supremum Regni Capitaneatus Officium conferendi, taliter hinc clementer confirmamus: Quod benigne omnino confidentes, praelibatos fideles Status et Ordines hocce Supremi Regni Capitaneatus Munus ipsis semper praedictorum Regnorum nostrorum Banis More hactenus recepto collaturos, iidem fideles Status et Ordines ejusmodi Supremum Capitaneum nominare possint, nominatum attamen ad subsequam benignam nostram et Successorum nostrorum legitime Coronatorum Hungariae Regum Ratificationem praesentare teneantur; Vice-Capitaneos vero constituendi Jus et Activitas penes ipsum Banum ulterius permaneat. Benignissime insuper resolvimus: Ut regulatae huic, et in Regimina formandae Militiae Banali Regni Confiniariae Sclopi et Pistoletae, Arma brevia, vulgo Bajoneth dicta, Loramenta item, Lederwerk nuncupata, pro hac prima Regulationis Vice, tempore Belli autem nova Tormenta ex Armamentarijs, item Tentoria, Currus praeterea Annonarij et pro Casu Belli etiam Onerarij pro devehendis Tentorijs, reliquaque Bellica Requisita, et si eandem Militiam extra Regnum progredi contigerit, aequale cum aliis Militibus Confiniarijs Stipendium ex Aerario nostro Regio suppeditentur. Commissarij porro Militaris ex pluribus idoneis Nativis per Banum proponendis Personis Denominatione, ejusdemque regulatione iisdem fidelibus Statibus et Ordinibus salva omnino permanente, quatenus Commissariatus noster Aulae Bellicus in Casu duntaxat, quo Militia haec in Servitio suo, dum et quando Nobis benigne visum fuerit, extra Regnum exitura, in Salarium nostrum Regium transiverit, nec secus eatenus Influxum habeat, clementer etiam admittimus. Quemadmodum vero hactenus in memorato Nobis Charo Croatiae Regno Militaris Dislocatio vel Condescensio rarissime et pro Casu duntaxat Sum-

me urgentis (quae occurrebat) Necessitatis disposita fuisset. Ita in Ordine ad praemissa amodo deinceps quoque Articulum Quadragesimum octavum Anni millesimi Septingentesimi quadragesimi primi accurate observari faciemus; illa autem, quae Militiae nostrae illac aliquando transiturae, a Regnicolis suppeditabuntur, Pretio, in benigno Regulamento nostro Mi itari, quod in Regno Nostro Hungariae Anno praeterlapso Millesimo Septingentesimo Quadragesimo Quinto publicatum fuit, denotato, bonificanda, benigne ordinabimus. Ex quo porro Onus Exolutionis regulatae modo praevio Militiae hujus Banalis Regni Confiniariae in universam Partium illarum Contribuentem Plebem per repititos fideles Status et Ordines assumptum haberetur: Hinc illa etiam Loca, quorum intuitu quaedam Exemptionis Privilegia allegantur, Pagi quippe et Possessiones, seu Episcopales, Praepositurales et Capitulares, aut quorundam etiam Privatorum, excepto tamen Loco Valachico Topuska cognominato, velut hosti magis exposito, intra Ambitum Regni nostri Croatiae existentes, sed et Decimalistae et Praedialistae Ignobiles, Libertini item universorum Dominorum Terrestrium et Nobilium, adeoque omnes praemissos Fundos, nec non ipsas Liberas Regiasque in Regnis nostris Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae sitas Civitates et Oppidum Czirkveno, pro reliquae Contribuentis Plebis aliquali Sublevamine, praenotato communi Publico Oneri aequaliter ac proportionate, quoad Facultates, quas possident, subjiciendos Clementer hisce decernimus; ipsos tamen in Fundis Capitalaribus, adeoque privilegiatis, Curialibus, extra Muros Capituli existentibus, prout et in Nova Villa, seu Latinorum Vico, tanquam Episcopi et Canonicorum Allodijs, degentes Incolas, a Personalibus oneribus, uti sunt Militares Condescensiones et Illocationes, Praejuncturarum item Praestationes et his similia, eximi et immunitari benigne volumus. In praemissorum vero Consequentiam et ad ulterius demonstrandam Fidelitatibus Vestris Benignitatem nostram, clementer etiam annuimus: Ut Bona Zriniano-Frangepaniana Maritima, per Cameram nostram, prout Ozali, Brod et Grobnik, per Comitem Perlas, nec non Ribnik et Pissetke, per Comitem Petaz actu possessa, praevia illorum, Modalitate iisdem fidelibus Statibus et Ordinibus per praelibatum Comitem Banum insinuanda, Conscriptione, ad Fundum Exolutionis praefatae nunc regulatae Militiae Banalis Regni Confiniariae, in Quanto ex ipsa demum praenotata Conscriptione Specifice eruendo, ad effectum etiam Articuli Quinquagesimi secundi Anni millesimi Septingentesimi quadragesimi primi concurrant; Sed, et alia vicinis Generalatibus Varasdiensi et Carlostadiensi contermina, iisdem attamen haud ingremiata, aut ad rationem eorundem jam conscripta seu dicata Bona, verum per privatos Terrestres Dominos actu possessa, praevia eorundem Conscriptione, ad Contributionem pro Exolutione Militiae hujus Banalis Regni Confiniariae, observata tamen debita aequalitate et Proportione, pariformiter attrahantur. Ad praecavendum porro Incolarum in praescriptis Bonis degentium ad praefatos illis vicinos Generalatus Profugum, horum, ac talium, in iisdem Receptionem per Consilium nostrum Aulae Bellicum severe interdici, utve illuc advenientes istiusmodi Profugi Jurisdictioni Regni Provinciali mox insinuentur, iidemque Exmittendis illuc pro Receptione illorum illico restituantur, Officialibus Militarem Praefecturam in attactis binis Generalatibus actu respicientibus serio injungi curabimus. Quantumvis porro Emolumenta etiam omnium Regni Confiniorum, quae hactenus in Statu irregulato ipsis dictorum Confiniorum Commendatibus obvenerunt, pro modo praevio regulatae Militiae Banalis Regni Confiniariae Exolutionis adjutorio

omnino conferenda venirent, atque adeo, veluti cum Kosztaniczensi, Jeszenoviczensi, Zriniano et Gliniano Confinijs factum jam habetur, cum Dubiczensi quoque Confinio per Honorabile Capitulum Cathedralis Ecclesiae Zagrabiensis adusque tento, pari modo agendum foret; Sumptis nihilominus in benignissimam Reflexionem multifarijs per praelibatum Capitulum in Defensione attacti per Sexaginta Annos administrati Dubiczensis Confinij comparatis Meritis, sed et novissime contestata per Idem cum Praesule suo erga Majestatem nostram insigni Devotione, dum videlicet occasione ea, qua praemissum Regulationis Militiae Banalis Regni Confiniariae Negotium assumptum fuit, generaliter subditos suos, qui numerosi sane dicuntur, Dicis Publicisque Oneribus, a quibus continuis retro saeculis Privilegialiter (uti dicunt) immunes fuerunt, pro summo Servitio nostro, Salutae Publica et Patriae Commodis, substernendos, ultro sponte et alacri Animo obtulit: Factum hocce laudabile, grato omnino suscipientes Animo, inquo Contestationem peculiaris, quam eatenus habemus Satisfactionis, antelatum Confinium Dubicza, per praelibatum Zagrabiense Capitulum ulterius etiam Titulo administrationis possidendum clementer confirmamus, ita quidem: ut Commendans ibidem semper sit Canonicus Zagrabiensis, per ipsum Capitulum More hactenus usitato Bano praesentandus, et per ipsum demum Banum Denominandus; Idem Commendans Capitularis pro tempore illo, quo Praefecturam Militarem Dubiczae gerit, Charactere Vice-Collonelli, atque aequali cum aliis Vice-Colonellis et Commendantibus Praerogativa gaudeat, de qua Causa ipse quidem Commendans Capitularis, quemadmodum omnes reliqui Banalis Regni Confinij Militares a Bano, vel in Ejus e Regno Absentia, Banali Locumtenente, directe dependebit. Officiales vero Militares et ipsum Corpus Militiae ibidem Praesidiariae, pro tempore, quo Dubiczae persistent, et in Rebus Servitium Praesidiarium tangentibus, directam et immediatam ab eodem Commendante Capitulari dependentiam habebunt, salva de reliquo ipsius Supremae Praefecturae Militaris illius Militiae Banalis Confiniariae in hos etiam Praesidiarios Jurisdictione; Ipsi vero Militares ad Confinium quidem Dubiczense spectantes, non tamen ibidem Dubiczae Praesidiarij, iidemque seu in Dubicza habitantes, seu vero in circumvicinis Locis degentes, Officialibus Militaribus Phalangis illius, ad quam applicati habentur, suberunt. Idem porro Commendans Dudiczensis pro Casu ingruentis Belli, nisi illud contra Turcas susciperetur, Loco movere haud obligatur. De reliquo praenotatus Capitularis Commendans Confinium Dubiczense eo modo, quemadmodum ipsi fideles praelibatorum Regnorum nostrorum Status et Ordines residua Confinia quoad Oeconomica administret, ipsi autem Confiniarij Dubiczenses, prouti aequalibus cum reliquorum Confiniorum Militaribus Emolumentis fruentur, Ita e converso etiam aequalia cum ijsdem Onera ferre debebunt. Memoratus porro Capitularis Confinij Dubiczensis Commendans, quotannis quorumvis Proventuum ex Confinio Dubiczensi percipiendorum, fidelem et exactam connotationem, ad puritatem Conscientiae suae, per modum Ratiocinij conficiendo, eandem ipsi Bano exhibeat; Sed et Omnes omnino Confinij Dubiczensis Proventus ad manus Bani, vel in hujus e Regno Absentia, ipsius Locumtenentis Banalis, consignet ac effective deponat, in commune Regni Bonum et utile applicandos. Eidem vero Commendanti Dubiczensi in Qualitate Vice-Colonelli obveniens annuum Stipendium ex Cassa Regni persolvatur, aut ex iisdem Proventibus Dubiczensibus, prout demum fidelibus dictorum Regnorum nostrorum Statibus et Ordinibus videbitur, defalcetur; Quo pacto quemadmodum

ex ipsa etiam Dubicza Beneficia Confiniaria pro Concursu Exolutionis regulatae actu Militiae Banalis Regni Confiniariae applicabuntur, ita e contra, uti in alijs Confinijs, etiam in Dubiczensi Confinio Officialibus Habitatio seu Quarteria, Horti, Foenum, Avena et Triticum, praeterea Expeditio Passualium, nec non Lignatio permaneant; quoad hoc ultimum attamen repetitum Zagrabiense Capitulum vigilem Curam adhibebit, ne Sylvae, ad Dubiczam spectantes et quae in bono statu existere dicuntur, quoquo modo devastentur. In novum porro atque conspicuum Regiae Clementiae nostrae, qua fideles repetitorum Regnorum nostrorum Status et Ordines prosequimur, Testimonium, quoad ipsam etiam mediam Tricesimam (cuius Articulus Quinquagesimus quartus novissimae Diaetae meminit), in adjutorium praenotatae Exolutionis Militiae hujus Banalis Regni Confiniariae applicandam, pro speciali omnino antelatorum fidelium Statuum et Ordinum Consolatione opportuna Camerae nostrae Regiae Hungarico-Aulicae sua via Mandata transmittemus. Quam peculiarem Gratiam nostram Caesareo-Regiam eosdem fideles Status et Ordines submississima Animorum suorum gratitudine tanto magis equidem veneraturos clementer confidimus, quo Iisdem graves omnino tot tamque diuturnorum Bellorum Injuriis, vix non poenitus exhausti Aerarij nostri Necessitates utique etiam perspectae existunt. In merito autem exoratae Incorporationis Loci Petrinia, ad Generalatum Varasdiensem de facto spectantis, quive Locus pro accomodatione Supellectilis Militaris regulatae hujus Militiae Banalis Confiniariae opportune deserviret, Facta praevie situs et Qualitatis Loci ejusdem Investigatione, acceptaque superinde genuina et circumstantiali Informatione, sed et ipsa demum Convenientiae ratione attenta, hoc etiam passu Clementiam nostram Caesareo-Regiam pro rei possibilitate experturi sunt fideles antefatorum Regnorum nostrorum Status et Ordines. Iisdem porro fidelibus Statibus et Ordinibus fovendam intuitu desiderati animalium Pascui, ex parte Confinij Jeszenoviczensis, cum vicini Gradiscani Confinij Commendante bonam et mutuam Cointelligentiam, quemadmodum et dicto Confinij Gradiscani Commendanti idipsum per Consilium nostrum Aulae Bellicum intimabitur, benigne hisce committentes. De reliquo in puncto regulandi et stabiliendi in praelibato quoque Croatiae Regno Comercij, benigne omnino curabimus, ut iidem fideles Status et Ordines hoc etiam in passu, et ad effectum conditi eatenus in novissima Diaeta Articuli vigesimi septimi, optatam proximius consequantur Consolationem. Quemadmodum porro ad Praefecturas Militares, suprafatos Varasdiensem et Carlostadiensem Generalatus respicientes, opportuna eaque seria Mandata Via Consilij nostri Aulae Bellici expediri faciemus, ne ullos Profugos et sine debitis Passualibus oberrantes subditos sub gravi secus incurrenda Animadversione recipiant, minus protegant, verum compertos demum proximo Officiali Comitatensi insinuent, atque mox ubi tales repetiti fuerint, Provinciali Jurisdictioni resignari faciant, quoniam eadem sit ipsorum Militarium ex dictis Generalatibus ad Provincialem Regni Jurisdictionem Profugientium ratio, benigne omnino atque serio volumus: Ne et hi Militares in Statu Regni Provinciali recipiantur et protegantur, verum comperti proximo Officiali Militari aeque insinuentur, et praemissa Repetitione indilate restituantur. Venerabunde demum recognituros omnino confidimus praelibatos fideles attactorum Regnorum nostrorum Status et Ordines, quod actu jam ordinata et effective considente mixta Commissione, pro disquirendis multifarijs illis inter Militares dictorum Varasdinensis et Carlostadiensis Generalatuum ac ip-

sos Provinciales Regni Accolas enatis Gravaminibus deputata, Nos Ipsae etiam ad Effectuationem sancitae eatenus Novelaris Legis, Articuli quippe Quadragesimi noni Anni Millesimi Septingentesimi quadragesimi primi contenderimus; Investigatis proinde (quemadmodum posterius benigne disposuimus) recentioribus, quae a tempore felicis Gubernij nostri intercesserunt, Gravaminibus, Relationeque super hac dictae Commissionis Operatione isthuc submissa, benignam non modo fine impertiendae laesis Partibus realis omnino per ipsam praefatam Commissionem satisfactionis Resolutionem nostram Regiam mox elargiemur, verum et de assumendis, disquirendis et componendis demum Antiquioribus etiam hujuscemodi Gravaminibus fideles dictorum Regnorum Nostrorum Status et Ordines a benignissima Resolutione nostra praestolabuntur. Tandem in eo etiam praelibatos fideles suprafatorum Regnorum nostrorum Status et Ordines clementer hisce assecuramus: quod in Collatione Officiorum Supremi Comitis Comitatuum Zagrabiensis et Crisiensis ipsius Nobilitaris Status, adeoque etiam Vice-Bani pro tempore constituendi, quemadmodum hactenus, ita deinceps quoque ad tenorem etiam Articuli Centesimi vigesimi tertij Anni Millesimi septingentesimi decimi quinti, condignam atque peculiarem habiturae sumus Reflexionem. Quae omnia ad perpetuam Jurium ac Praerogativarum memoratorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum nostrorum, Banalisque Authoritatis Indemnitatem ac Securitatem, perpetuo valitura, maturo deliberatoque Consilio, ex plenitudine Caesareo-Regiae Postestatis nostrae, atque in signum peculiaris Affectus, quo fideles antelatorum Regnorum nostrorum Status et Ordines constanter complectimur, Iisdem benignissime hisce impertimur. Et quemadmodum de avita eaque intemerata Fidelitatum Vestrarum Fide, homagiali Devotione, ac aeterni Obsequii Vinculo, quo Eaedem Nobis Augustaeque Domui nostrae subditali Lege obstrictae sunt, amodo deinceps quoque omni Tempore et occasione praeclare contestando minime dubitamus: Ita clementer simul ac Firmissime confidimus, eosdem fideles Status et Ordines ad perpetuam regulatae hujus Militiae Banalis Regni Confiniariae Consistentiam, quae ab exacta fixorum eidem Militiae obvenientium Stipendiorum Persolutione plurimum dependet, atque hinc stabiliendum eatenus sufficientem Fundum, qui utique assumptis praemissis omnibus ex Benignitate quoque nostra Caesareo-Regia accedentibus, congruus esse poterit, ulterius quoque omnem necessariam operam Studioso, quo Iidem coeperunt, Conatu, collocaturos. In qrorum Fidem et Testimonium Literas has Manu propria subscripsimus, et Sigilli nostri Regii appensione muniri fecimus. Datum per manus Fidelis nostri Nobis sincere dilecti Spectabilis ac Magnifici Comitis Leopoldi de Nadasd, Perpetui Terrae Fogaras, nostri Actualis Intimi Consiliarij, et per antelatum Regnum nostrum Hungariae Aulae Nostrae Cancellarij, nec non Agazonum Regalium Magistri, in Archiducali Civitate nostra Vienna Austriae, die decima sexta Mensis Jannuarij, Anno Domini Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo, Regnorum nostrorum Hungariae Bohemiae et reliquorum Anno Decimo.

Maria Theresia m. p. Comes Leopoldus de Nadasd m. p.

Franciscus Koller m. p.

(Sigillum magnum in aurea zona pendens.)

Orig. perg. in Arch. Reg. Croat. in cista Privilegiorum Regni.

CCLII.

Anno 1751. die 2. Aprilis. Illokini.

Motiva et reflectiones, ex quibus inferiorum Regni Comitatuum Ablegati, in hocce I. D. Statuum et Ordinum Congressu praesentes, ultra tres hactenus ablegari solitos, alios adhuc tres, et quidem ex ipsis inferioribus Comitatibus, e singulo videlicet unum Nuntium, in qualitate Regni Slavoniae Ablegatorum ad imminentem et subsecuturas continuas Regni Hungariae Diaetas exmitti humillime postulant.

1. Immortali omnino memoria digna est Excellentissimi et Illustrissimi Domini Domini Comitis Actualis Bani et Pro-Regis gloriosissimi Inclytorumque Statuum et Ordinum opera paternaque sollicitudo, qua mediante longiori Annorum serie, sub gubernio Complurium antehac Banorum, desideratam inferiorem Incliti huius Regni Slavoniae Partem incorporari et in tres Decretales Comitatus subdividi procurarunt. Et sicut exantlata Eorundem Inclytorum Statuum eatenus salutaria Studia et impensa multifaria fatigia non modo possessionati ibidem Domini Terrestres, verum et ipsa rudis Contribuens plebs, tanquam gubernio moderno longe magis ac antehac Contenta, venerabunde agnoscit, ita Comitatus praefati ab immediata Banali Dominorumque Statuum Jurisdictione semet nuspiam eximere aut separare desiderant, verum potius tanquam neo-partos conservari et manuteneri supplicant, atque hinc

2. Constat II. DD. Statibus et Ordinibus ex ipsa benigna resolutione Regia, partem illam inferiorem Regni, salvo ad Cassam bellicam perprius dependi solito debito Contributionali Quanto, aliisque fundationibus, Contributionalem respicientibus, oneribus ultro permanentibus, et non secus incorporatam, Comitatusque illos in hac eadem Contributionali Materiali Exc. Consilio Regio Locumtenentiali subordinatos extitisse, persistereve etiammodo; sed et recordari dignentur Domini Status, quod in Materiae Contributionalis pertractionem occasione ea, dum de incorporatione agebatur, Deputatosque suos instruxerunt, sese non immiserint, quin potius pro parte Superiorum trium Inclytorum Comitatuum specialiter praecautum reddiderint, ne onus illud Contributionale in has partes quoque modo derivetur et cum Impositione Superiorum trium Comitatuum quocunque tandem modo in Communionem abeat: Quibus sic stantibus

3. Extra quaestionem est, tam occasione imminentium, quam futurorum Regni Hungariae Comitiorum, in Materia signanter Contributionali, sive Active sive

passive his quoque Neo-Incorporatis Comitatibus agendum esse: stante autem eo, quod Inclyti Status semel in Materiam Contributionalis Quanti inferioribus Comitatibus inhaerentis hactenus non immiserint, imo specialem, uti praeapositum est, pro parte trium Superiorum Comitatuum interposuerint modo praevio Cautelam: An Dominis Ablegatis e Gremio Superiorum Comitatuum eligendis occasione futurae Diaetae in materiam Contributionalem influere; de stabiliendo Quanto cum Consilio Regio Locumtenentiali et Commissariatu Provinciali, cum quibus Inclyti Status hactenus ne correspondebant quidem, minus dependentiam vel minimam agnoverunt, agere et Redemptionem gratuitorum Laborum, aliarumque gratuitarum praestationum medio praemissarum Instantiarum sollicitare eatenusque Conventionem inire consultum sit, nec ne? altiori Inclytorum Statuum futura quoque prudenter penetrantium submittitur Judicio. Enimvero

4. Si Inclyti Domini Status medio Ablegatorum e Superioribus tribus Comitatibus eligendorum, materiam Contributionalem tractare inconsultum censent, utique eo facto Comitatibus inferioribus, et quidem singulo singillatim, velut non simultanee, verum adinstar Regni Hungariae Comitatuum, attributa sibi activitate disjunctive et separatim consistentibus et publica tractantibus, de remedio providendum erit. Si autem (quod non speratur) ex quibuscunque tandem rationibus nullum tribus Comitatibus superioribus praeexpositis periculum, nullumve inducendae ab Excelso Consilio Regio Locumtenentiali dependentiae, ac aliorum agraviorum metum iminere praevident, et medio Eorundem, quorum supra Ablegatorum, Materiam quoque Contributionalem agitari posse judicant, quod quidem praesentes deputati impedire non valent, velut fideles tamen, hic nati, educati item et etiam possessionati, Patriae filii non svadent; adhuc tamen in casu etiam tali

5. Quis quaeso Dominorum Regnicalarum (exceptis Incorporationi omnium trium Comitatuum nomine Inclytorum Statuum praesentibus et operantibus tribus Dominis Deputatis), vel aliquam omnium trium Comitatuum habet notitiam? Quis unquam modum Quarteriorum militarium eo modo prout in Hungaria, atque adeo in iisdem quoque inferioribus Comitatibus observatur, aliave his Cohaerentia praegustaverit? Quis denique, salva Conscientia sua, pertractationem materiae Contributionalis, a qua salus et Conservatio miserae illius Plebis Contribuentis et ab hac altissimi Servitii Regii promotio dependet, in se assumere poterit? Cujusvis prudentis substernitur Judicio; — nemo profecto, ut ut perspicacissimus, in propriis licet negotiis, adeo adaequatam et perfectam alteri peregrino elaborare potest Instructionem, sed nec is Eandem tam efficaciter recipere, quo minus in Casibus quoque impraevisis ullam patiatnr difficulatem. Sed et

6. Dato non concesso, si Instructio tam clara, tam perfecta confici posset, Conficiendamque svaderet ratio, quae pro omni casu et eventu negotiorum inferioris Regni, et quod plurimum materiae praesertim Contributionalis nullam notitiam habentibus satis esse posset, et posito pro meliori illorum Comitatuum e gremio eorundem unus debitis qualitatibus provisus eligeretur Ablegatus, adhuc tamen nec hic unus, nec alii duo, simul sumpti tres, velut unum sentire debentes, in casu illo, si nunc vel in futurum, quod in Hungaria observatum est, inter Comitatum et Comitatum orirentur differentiae, satisfacere possent. Verba enim sunt Evangelii: **Nemo duobus Dominis servire potest.** Proinde

7. Suplicant humillime II. DD. SS. et OO. Regnorum Dalmatiae Croatiae et Slavoniae praesentes Ablegati, nomine Dominorum Principalium suorum, Inclytis Statibus et Odinibus, ut Consideratis et perpensis Universis praemissis Circumstantiis et miserae una Contribuentis inferioris Plebis Conservatione in aequanimam reflexionem sumpta, ad propositionem Excellentissimi et Illustrissimorum Dominorum Supremorum Comitum, ex singulo illo inferiori Comitatu unum adeoque in toto tres Ablegatos eligere et cum aliis tribus hactenus expediri solitis in aequali praerogativa exmittere, taliterque ad salutare illud omnium gravaminum remedium, Diaetam videlicet, neo partae Slavoniae viam et accessum adaperire dignentur. Nec dubitant praesentes Ablegati id fieri, atque illis etiam titulo Auctionario expediendis Regni Ablegatis sine praejudicio Inclytorum Statuum solitum Locum et suffragium exoperari posse. Sive etenim inspiciatur Articulus 61. 1625., Regni Slavoniae Ablegatorum numerus irrestructus Comperiretur, sive ipsa rationabilitas in reflexionem assumatur, quis non concludet, aucta Jurisdictione Regni, eo praesertim modo, quo aucta ex .... incorporatisque Decretalibus citra ullum dubium ante eorundem avulsionem, Sessione et voto in Diaeta gaudentibus Comitatibus (sic), numerum quoque Ablegatorum augeri posse et debere; sive demum consideretur et id, quod ante occupationem, ut praedictum est, illarum partium, plures quam tres Ablegatos Regni Slavoniae in Diaetis non intervenisse, remonstrabile non sit, Inclyti Domini Status et Ordines Regni Hungariae, qui utpote Neoaquisticis in gremio sui Comitatibus id ipsum non negarunt, ad assignandam his quoque Ablegatis Sessionem Condescensuros firmiter et tanto firmius quidem sperari potest, quoniam Slavoniae Regnum plurium Comitatuum, velut a parte rei non existentium Incorporationem, atque adeo nec auctionem Ablegatorum in futurum praetendere possit. Nihil praejudicabitur hoc facto, sperant Ablegati, praealatae Authoritati Banali. nihil item Jurisdictioni Regni, quin imo augebitur gloria patriae et Decor sublimis Authoritatis Banalis ac Regni; nulla per hoc inferri potest Scissio, quin imo Conjunctio utriusque Regni partis, et superatum Incorporationis Stabilimentum eo luculentius subsequetur; nec desiderabunt hoc admisso Comitatus illi per Regales vocari, nec Comitatuum nominare Ablegatos, verum Contendent semper talia in gremio sui enutrire subjecta, quae Conjunctis Viribus non modo in suum, privative in puncto Contributionis, sed et horum Comitatuum, adeoque totius Incyti Regni quoad reliqua Jurisdictionalia et Provincialia desudent Incrementum. Denique non onerabitur Cassa horum Superiorum Comitatuum, singulus etenim Comitatus unum modalitate praevia ultra hacteus nominari consvetos eligendum diurnis providebit et hoc ipsum medio Eorundem Ablegatorum declarat.

In dextro inferiori margine.

Extradatum per me Ig. Kovacsy m. p. Inclyti Comitatus Syrmiensis Juratum Archivarium.

In Archivo Regni Croatiae. Acta R. Congregationum 1751. N. 647.

CCLIII.

Anno 1759.

Systema Regulationis Regni Croatiae Comitatuum.

1. Supremi Comites omni illa Authoritate pollebunt, quam Leges Regni Ipsis attribuunt, adeoque

2. Ad exigentiam Articuli 56. Anni 1723, nisi Publicis Regis & Regni Servitijs distrahantur, in Gremio Comitatus residebunt, Magistratus Comitatuum ad praescriptum citati Articuli omni Triennio, vel Necessitate exigente citius etiam in tempestive idcirco praefigenda & publicanda Congregatione restaurabunt, pro Munijs Magistratualibus Subjecta apta, idonea et Qualitatibus de Lege requisitis provisa candidabunt et Electioni Comitatuum liberae submittent: Quive Votorum pluralitate electi fuerint, eos praevia Juramenti juxta consvetam et legalem Formulam Depositione Officijs suis administrandis admovebunt, et demum ita legitime Electos et constitutos Comiti Bano et subsequenter etiam Statibus et Ordinibus in Congregatione Regni (cum ibidem suas quoque destinatas Sessiones habeant) praesentabunt.

3. Congregationes tam Generales, quam et particulares pro re nata et rerum exigentia praefigent, et per solitas Litteras Publicatorias Dominis Terrestribus, alijsque Nobilibus, prout et Liberis Regiisque Ciuitatibus ingremiatis convocatis celebrabunt, omnesque inibi Tractatus pro Potestate sibi attributa ita moderabuntur, ut praeprimis quidem Dei Cultus, Orthodoxae Fidei Conservatio, Altissimum Servitium Caes.-Regium, et cum hoc conjuncta Publici Boni ratio, ac demum recta et exacta Justitiae administratio omnium Consultationum, actionumque Scopus sit.

4. Plura in unum Subjectum Officia non conferrent, curabuntque, ut Officiales in Gremio Comitatuum resideant, in Functionibus suis Publicis impartialiter, et quam diligentissime procedant, et ut hi quibusvis privatis Dominis quacunque ratione obligati sint, eorumque Plenipotentiam, Causasque in Comitatu tractandas suscipiant, non admittent.

5. In id praeterea solerter intendent, ut Pax et Tranquillitas publica illaesa semper conservetur, Consultationes publicae pacifice, et omni cum moderamine, sepositis quibusvis Odijs et Simultatibus instituantur, in Contravenientes vero ad Mentem Articuli 57. 1723 animadvertatur.

6. In Congregationibus pertractata et conclusa Negotia de praescripto praecitatj Articuli ad Protocollum per Notarium fideliter referentur; Cujusmodi Protocollum modo praescripto ante dissolutionem Congregationis palam et publice perlegetur, sicque approbatum Fidedignitatem sorciatur, conclusa extra Congregationem per Neminem mutabuntur, quin potius per eos, quibus incumbit, exacte effectuabuntur.

7. Sub initium Cujusvis Congregationis investigabitur primum et ante omnia, an ea, quae in priori Congregatione conclusa et effectuari commissa fuerunt, rite in Effectum deducta sint, vel non? et si hac ratione defectus quospiam intervenisse cognitum fuerit, illi tollantur, et porro quoque Effectuationi etiam cum suspensione pro rei exigentia ab Officio insistatur.

8. In singulo Comitatu erga Candidationem Supremi Comitis constituatur unus Perceptor, Qualitatibus de Lege requisitis praeditus, et circa Incassationem, administrationemque Contributionis, aliarumque repartitarum necessariarum Impositarum pro hic et nunc, usque videlicet ulteriorem Clementissimam Sacratissimae Caesareo Regiae et Apostolicae Majestatis Dispositionem sequens observabitur Manipulatio: ut Status et Ordines regnicolariter congregati, modo hactenus usitato deinceps etiam repartitionem Quanti Contributionalis et pro domesticis Necessitatibus, utpote Salarijs tam Regni, quam et Comitatuum Officialium, ac Servitorum, alijsque extraordinarijs Erogationibus deservientis Impositae ad Loca Individualia instituant, hanc sub authentico Supremo Cujusvis Comitatus, in quantum hunc tangit, Comiti extradent; Ille vero in Congregatione Comitatus modo praevio constituto Perceptori consignet, qui Secundum illam in exactione et Perceptione diligenter non minus, quam fideliter progrediatur, Summamque perceptam, detractis praeviae Officialium Comitatensium, prouti et Servitorum Salarijs, ac ijs etiam sumptibus, qui in Usus Comitatus secundum ejus Determinationem necessario erogari debuerant, Generali Regni exactori erga Quietantiam administret: Rationes porro quotannis ipsi Comitatui rite confectas exhibeat, per hunc debite censurandas, ac etiam pro Super-Revisione ad Statuum et Ordinum Regni Congregationem referendas. Exactor autem Regni Cassae sibi concreditae fidelem Curam gerat, Pecunias non secus, quam juxta Regnicolares Determinationes eroget, ac pariter omni anno de Officiolatu Suo Rationes antelatis Statibus et Ordinibus Regni exhibeat.

9. Curae erit Supremis Comitibus et Magistratibus insuper et id, ut omnes Ignobiles cujusvis sortis, Status et Conditionis, Nemine prorsus excepto, absque cujusvis respectu justae et aequae Contributioni praestandae reipsa obnoxientur; Ac praeterea

10. Ut Subditi, Contribuensque Plebs adversus Saevitiem et Oppressionem Dominorum Terrestrium conformitate Articulorum 101. 1715 et 18. 1723 manuteneatur, protegaturque: Urbariorum interimalis Regulatio Suprema Caesareo-Regia Potestate praescripta exacte observetur, neque ullo modo admittatur, ut Excessus et Abusus in tractandis Subditis, illi qui ex benigna Caesareo-Regia Resolutione sublati et cassati sunt, denuo inducantur et perpetrentur, sicque Subditi graventur: In horum vero Transgressores et Excedentes Actione Fiscali mediante procedatur, ac comperta Realitate, absque Personarum respectu irre-

misse atque serio animadvertatur, praestita una simul Laesis et Injuriatis plena et omnimoda Satisfactione. Cum autem

11. Necessarium omnino sit, ut Comitatus etiam hi Authentico Sigillo, quo Expeditiones suas signando fidedignas reddant, provideantur, pro illo igitur sibi Clementer conferendo inviantur ad formandam coram Throno Regio Instantiam, quod tandem Occasione Restaurationis Magistratualis per Supremum Comitem, Manibus legitime electi Vice Comitis consignabitur, per hunc fideliter asservandum, et demum dum subsequenter alia Restauratio celebrata fuerit. post consvetam ab Officio Valedictionem, denuo Supremo Comiti in praesentia Universitatis Comitatus resignandum. In reliquo

12. Iidem hi Comitatus Jurisdictioni Bani et Regni porro quoque suberunt, ideoque publica et Politica intrinsecum totius Regni Statum tangentia Negotia posthac etiam ad Banum et Regnum inviabuntur et in Congregationibus Regni pertractabuntur; Ad quas modo hactenus observato Supremi Comites et residui Officiales Comitatuum comparere et Determinationibus Regnicolaribus pro Summo Suae Sacratissimae Majestatis Servitio, Bonoque Publico conditis, se accomodare, easque exequi tenebuntur. Benigna Rescripta Caesareo-Regia (veluti quoad Comitatus Inferioris Sclavoniae observatur) medio Comitis Bani ad eosdem dirigentur et Ii vicissim Repraesentationes et pro re nata Informationes Suas ad altefatam Suam Majestatem Sacratissimam Ejusdem medio submittent: Sine Cujus et Regni praescitu et Consensu Arma et Gentes non levabunt, ac denique cujuslibet Congregationis Suae Protocollum sub Lecta Notarij eidem Comiti Bano fine eo, ut Notitia Actorum praeditus in directione Comunis et publicae rei recte procedere valeat, cum fine cujusvis Congregationis transmittent. Imminente porro Generali Regni Hungariae Partiumque Ei annexarum Diaeta, Gravamina, Postulataque Sua Statibus & Ordinibus Regni referent, per horum tandem Ablegatos Nuncios ad eandem Diaetam Suo modo deducenda.

13. In Juridicis ad Normam et Prascriptum Regni Legum procedent et quoties opus fuerit sedes Judiciarias per Supremum Comitem, aut eo absente, vel impedito, Vice Comitem praefigendas et tempestive publicandas, celebrabunt, in ijs Jus et Justitiam observata legali Causarum serie juxta Constitutiones Regni Causantibus impartialiter administrabunt; ad Tabulas Judiciarias (cui hactenus Clerus quoque assidebat, et porro quoque assidebit) si et in quantum Magistratuales non sufficerent, certos Assessores consveto Judicum Juramento adstringendos erga solitam Supremi Comitis Candidationem eligent; In Partibus Vice-Comites cum adjunctis Judice Nobilium et Jurassoris loco Vice-Judice Nobilium; Judices vero Nobilium cum uno pari modo adhibendo Vice-Judice Nobilium Causas de Lege Judicatui suo competentes judicabunt, aliaque Munia Judicialia Ipsorum Officijs delata peragent: A qnibus Causae Secundum Cynosuram Legum in praesentiam sedis Judiciariae Comitatuum appellabuntur, eorsumque Processus in Originali in sua integritate referentur; A Sedibus Judiciarijs vero, uti hactenus consvetum fuit, appellatae ad Tabulam Banalem dirigentur.

14. Sedes etiam Criminales celebrabunt et Jure Gladij adinstar aliorum Comitatuum juxta Legum Ordinationem utentur, Fiscalem Salario provisum, tam in Criminalibus modalitate Legali processurum, quam miserae Plebis, Pauperum,

Viduarum et Pupillorum Manutentioni invigilaturum, praevia itidem Supremi Comitis Candidatione constituent; Malefactores quosvis in Gremio sui absque Personarum respectu comprehendi, Carceribusque debite & secure custodiri facient, hocque fine necessarios etiam Vigiles, Satellites, vulgo Hajdones videlicet et si necessum videbitur, etiam ob alia pro rei exigentia occursura Negotia, Equites Stipendijs moderate providendos, vestiendosque conducent. Id porro diligenter cavebunt, ne Delinquentes incaptivati in Carceribus admodum duro tractentur, sed de eorum Victu et necessarijs provideatur, neve longiori ob prolongatam Causarum ejusmodi Revisionem Carcerum Squalore macerentur, ac ideo Causae illorum in frequentius etiam celebrandis Sedibus Criminalibus statim in discussionem assumantur et suo legali modo decidantur; cum fine autem cujusvis Anni Extractus Causarum Criminalium dijudicatarum Bano & Statibus Regni exhibebunt, per hos altefatae Suae Sacratissimae Caesareo-Regiae Apostolicae Majestati cum suis, si quae occurrerent, Reflexionibus submittendos. Ultra haec

15. Circa Actorum per Officiales ad Archivium Comitatus Resignationem, Rerum Victualium Limitationem, Mensurarum tam aridorum, quam Liquidorum Regulationem, Excedentium Punitionem, Teloniorum Investigationem, Viarum Reparationem, Pupillorum et ad hos pertinentium Bonorum sedulam Curationem et alia id genus positivis Regni Legibus Comitatibus passim attributa Munia, observabuntur publicae Regni Constitutiones.

Copia in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. a. 1759. Nr. 55.

CCLIV.

Anno 1761. die 8. Maji. Viennae.

Intimatum Regium circa diversa Postulatorum puncta SS. et OO. Croatiae datum.

MARIA THERESIA DEI Gratia Romanorum Imperatrix, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regina Apostolica, Archi-Dux Austriae, &c.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item Egregij et Nobiles, nec non Prudentes ac Circumspecti, Fideles Nobis Dilecti! Demisse relata sunt Nobis diversa illa Postulatorum Puncta, quae Fidelitates Vestrae medio eatenus isthuc exmissi Deputati sui, Fidelis utpote Nostri Egregij Nicolai

Skerlecz de Lomnicza, Tabulae Judiciariae Assessoris, humillime exhiberi, et repraesentari fecerunt.

Quibus Postulatorum Punctis omni cum Exactitudine expensis et discussis, eorum intuitu Clementer resolvimus, ac respective eatenus necessaria sua Via disponi jam fecimus. Et quidem in Ordine

Ad Punctum 1^{mum} de Ordinationibus intuitu Confiniorum Banalium ad Comitem antelatorum Regnorum nostrorum Banum praeter ordinarium Canalem. Cancellariam videlicet Nostram Regiam Hungarico-Aulicam factis: Ut quemadmodum parte ex una praefatus Comes Banus, qua Supremus Regni Capitaneus, adeoque ex hinc consecuto Militari Charactere, ac exinde enatae erga Consilium Nostrum Aulae Bellicum Dependentiae, a nunc fato Nostro Aulae Bellico Consilio Decreta sua & Instructionem obtinet, ac in consequenti etiam ab Eodem respectu Confiniorum Banalium, sive Negotium ejusdem Confiniariae Militiae Exitum, sive aliud quid concernat, Ordines recipit; Ita etiam parte ex altera ipsae quoque Fidelitates Vestrae conformiter etiam ad benignum Diploma Iisdem extraditum (sic), de omnibus ijs, quae intuitu eorundem Confiniorum Banalium apud Comitem Banum praevia ratione disponentur, suo debito Canali adaequate edoceantur, quo taliter etiam unitis Consilijs Altissimum Servitium Nostrum eo celerius et exactius promoveatur.

Ad 2^{dum} Respectu ordinatae ex parte Commissarij Bellici totius Banalis Confinij novae Conscriptionis: Certum quidem est, quod Occasione institutae in Anno praeterito 1750, Banalis Confiniariae Militiae Regulationis et desuper elargiti benigni Diplomatis Commissariatus Bellicus eo minus Influxum aliquem ad substratum Negotium habere potuit, cum in Exordio statim hujus Regulationis ipsimet fideles horum Regnorum Status & Ordines Annuum fundum in 40 Millium florenis penes necessarios Terrarum fundos pro eadem confiniaria Militia destinaverint, atque adeo eotum memoratae Militiae Banali Regni Confiniariae nihil ex parte aerarij Nostri Caesareo Regij obvenerit; Ubi autem successu Temporis Necessitas ipsa postulasset, ut praedicta Banalis Confiniaria Militia ad aequalitatem respective cum reliquis Confinijs ponatur, Nos ex peculiari Gratia et Clementia Nostra Caesareo-Regia finem in praevium Annuum Adjutorium in 83 Millium florenis ex Fundo Militari benigne resolvimus & applacidavimus; hinc porro sponte profluit, quod idem Commissariatus Bellicus respectu cumprimis illius, quod ab aerario Nostro praemisso ex Capite dependitur, ac dein erogatur, uberiorem Notitiam et capere et habere debeat. Quoniam vero Intentio neutiquam ea foret, ut praedictae Militiae Banalis Confiniariae Conscriptio. signanter quoad fundos & Tenuta illius effective suscipiatur, verum unice in eo Res tota posita habeatur, ut in Banali Confinio solummodo quoad ipsa Capita, Amictus item, et reliqua Eorum Requisita Revisio, seu Lustra cumprimis ratione Mundurae Conservationis & impensarum instituatur, absque eo, quin ad Investigationem Fundorum ex parte Provinciali ad Confinium cessorum ex parte Commissariatus procedatur.

Atque hinc spectatis omnibus praemissis, vel maxime autem eo in condignam Reflexionem sumpto, quod Nos pro subsistentia antelatae Banalis Confiniariae Militiae ex peculiari Gratia et Clementia Nostra Caesareo-Regia Annue 83 Millia flor. ab aerario Nostro dependenda benigne resolverimus, unde in Reg-

num Croatiae velut paratae Pecuniae Circulatione destitutum notabile profecto Commodum et Emolumentum dimanat, ulterius benigne resolvimus, ut Lustra seu Revisio ejusdem Banalis Confiniariae Militiae quot Annis suscipiatur, ac etiam hoc Anno instituatur.

Nihilominus tamen in ulterius Caesareo-Regiae Gratiae et Benignitatis Nostrae Argumentum Clementer annuimus, ut etiam ad ejusmodi Lustrum seu Revisionem praevio modo instituendam aliquis e Gremio Fidelitatum Vestrarum Deputatus ordinari & exmitti possit.

Ad 3tium circa Dispositionem ex parte Aulicae Invalidorum Commissionis respectu Grossi Invalidis etiam e Banali Confiniaria Militia Militibus qua ratione pendendi factam: Fidelitatibus Vestris aliunde notum est, quod anterioribus Temporibus Militia Confiniaria Beneficio alijs Invalidis Militibus concesso gavisa haud fuerit, verum primo nunc Beneficium illud ijsdem pariter per Nos Clementissime concessum habeatur. Cum autem tali ratione duo Beneficia insimul eidem Militiae Confiniariae concedi non possint, ut videlicet illa et Intertentionem pro Invalidis Militibus, qui nempe per praestita Militaria Servitia ad haec ulterius obeunda inhabiles et minus idonei redditi sunt, alias destinatam aequaliter cum reliquis Invalidis Militibus percipiant, et etiam Confiniarios Fundos retineant, absque eo, quin ejusmodi Fundis inhaerentia Onera et Servitia per alterius habilis pro Militia Capitis Statutionem praestent. Insuper autem spectato eo, quod praeattactum Invalidorum Militum Beneficium, ex quo quivis Invalidus Confiniarius Miles annue 18 florenos in parato aere percipit, pro toto Croatiae Regno, ubi (uti praemissum jam est) Circulatio paratae Pecuniae defectum patitur, non exiguo Commodo sit et Emolumento; Quod item ad haec cuivis Confiniario a 16 Terrae Jugeribus excisus Fundus in tanta Abundantia assignatus habeatur, ut unus Confiniarius Miles se solo eundem excollere et usuare non possit, verum tota Ejusdem Familia et Famuli ex illo Fundo alantur et interteneantur; taliter autem in Consequenti ejusmodi Invalido et ad ulterius praestanda Militaria Servitia inhabili reddito Confiniario Militi grave et onerosum neutiquam esse possit, in locum sui aliud idoneum Subjectum ex sua Domo et Fundo statuere:

Hinc clementer resolvimus, volumusque, ut penes Dispositionem ex parte Aulicae Nostrae Invalidorum Commissionis factam Negotium hoc ulterius etiam relinquatur; Benigne namque confidimus, ipsasmet Fidelitates Vestras ultro probe agnituras, quod Invalidis Confiniarijs Militibus praevia ratione nullum Onus, quin potius ex Materna Gratia et Clementia Nostra non exiguum Commodum et utilitas in hoc passu sit accessura.

Ad 4tum Circa Baronis Francisci Palachich ad Genaralatum Carlostadiensem profugorum Colonorum ordinandam Restitutionem: Eas sua Via efficaces Dispositiones institui clementer jam jussimus: Ut quam primum pro futuro aliquis ex Provinciali parte ad Generalatus Carlostadiensem, aut Varasdiensem, et ex his Vice versa ad Provincialem Partem Transmigrationis Casus intercesserit, eatenusque suae Competentiae debita ratione et intuitu talium profugorum Restitutionis Insinuatio facta fuerit, ejusmodi Profugi sine ulteriori Tergiversatione actutum utrobique restituantur, quo taliter a Casibus equidem praeteritis abstrahendo pro futuro benigni etiam Diplomatis Fidelitatibus Vestris elargiti debitus Effectus procuretur.

An 5tum Respectu Querimoniae Quaestorum Kosztaniczensium, quod ijsdem per Generalatum Carlostadiensem Quaestus alla Minuta non admittantur: Nunc fati Generalatus Commendanti juxta Ordines hicce Copialiter adnexos sua Via serio injungi jam fecimus: ut praedictis Quaestoribus Kosztaniczensibus praeattactus alla Minuta Quaestus in futurum omnino in eodem Generalatu concedatur, eatenusque Illi dehinc neutiquam turbentur, aut impediantur.

Ad 6tum autem et 7mum Puncta, de alia praenominatorum Quaestorum Kosztanicensium Querimonia, quod ante Fortalitium Carlostadiense ad insoliti cujuspiam Titulo Regalis exigi soliti Census Solutionem adigantur, et respective de petito per Fidelitates Vestras benigno Regio Teloniali Privilegio super Exactione Vectigalis in Ponte Carlostadiensi clementer elargiendo, sonantia: Ubi quoad horum Punctorum Meritum requisitas praevie suis Locis Informationes acceperimus, his expensis eatenus ulteriorem benignam Resolutionem Nostram elargiturae et Fidelitatibus quoque Vestris suo Tempore clementer significaturae sumus.

Quod autem iterum petitum per Fidelitates Vestras pro Banali et Judiciaria Districtuali Tabulis Salariorum Auctionem concernit: ut ut quidem si unquam, nunc profecto graves sunt Aerarij Nostri Caesareo-Regij Necessitates, Nihilominus tamen, ut Fidelitates Vestrae, quantum fieri potest, hoc quoque in passu Maternam Gratiam et Benignitatem Nostram experiantur, clementer resolvimus: Ut pro augendis attactarum praecise Tabularum Salarijs in Complexo (sic) 1450 floreni ex Fundo Nostro Camerali per duos duntaxat Annos ea Conditione dependantur, ut interea aliquis alter Fundus, ex quo eadem Auctionalis Summa praestari possit, exquiratur.

Noverint proinde Fidelitates Vestrae praespecificatam 1450 florenorum Summam ad Subjecta praedictarum Banalis et Judiciariae Districtualis Tabularum individualiter, servata tamen justa et aequa proportione subrepartiri, hancque Repartitionem individualem isthuc proximius submittere, quo dein subsecuta istiusmodi Repartitionis benigna Approbatione Nostra circa Solutionem praescriptae Summae ulteriora abhinc sua Via disponi possint.

Caeterum Clementer confisae, praeattactas Tabulas quemadmodum hactenus, ita deinceps etiam in Exercitio Functionum suarum omni cum Integritate et Diligentia processuras, atque juxta benignam Mentem et Intentionem Nostram Fidelitatibus Vestris alioquin jam abunde notam, Jus et Justitiam secundum Deum et Praescriptum Regni Legum Cuivis rite et exacte administraturas esse. In reliquo Fidelitatibus Vestris Gratia et Clementia Nostra Caesareo-Regia benigne propensae manemus. Datum in Archi-Ducali Civitate Nostra Vienna Austriae Die Octava Mensis Maji, Anno Domini Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Primo.

Maria Theresia m. p.

Comes Nicolans Palffy m. p.

Josephus Jablanczy m. p.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregijs et Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis N. N. Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae universis Statibus et Ordinibus &c. Fidelibus Nobis dilectis.

Zagrabiae. Ex Officio.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. 1761. Nr. 37.

Acclusum.

P. P.

Es ist von denen Croatishen land=Ständen unter anderen auch in deme ein beschwerde eingereichet worden, daß denen burgern, und handels=Leuthen von Kostanicza in dasigen Generalat der alla Minuta Waarn=Verkauf nicht Verstattet werden wollte, wo doch denen türkishen Unterthanen all in Grosso und alla Minuta zu handlen erlaubet wäre.

Wie man nun bey der in sachen mit der K. K. hof=Commission in Militari Oeconomico, dan der Königl. hung. hof=Canzley abgehaltenen gemeinschafftl. Zusammentrettung in alle Weege vor billig befunden, auch sofort Ihre K. K. Mayästet selbst über den allerhöst=Ihroselben hierwegen bestehenen gehorsambsten Vortrag anzubefehlen geruhet, daß ermelte Kostaniczer burgern und Innsaßen dieser alla Minuta Waaren=Handel in besagt dasigen Generalat ohnverwehrt zu gestatten seye.

Alß erinneren wir solches dem Herrn — — um nicht nur wiederholte handels=Leuthe hierunter keinen Anstand zu machen, und hierwegen die gemeßene befehle Außzustellen, sondern Viellmeer seines Orthß denenselben Allen Vorschub augedeyhen zu laßen. Wienn den 15. April 1761.

Nomine S. Consilij Aulae Bellici

an

Den Herrn Feld=Marschall-Lieutenant Grafen

v. Petazy

CCLV.

Anno 1767. 1. Augusti. Viennae.

Maria Theresia erectioni novi Consilii Regii Croatici ultro inhaeret.

MARIA THERESIA DEI Gratia Romanorum Imperatrix Vidua, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque &c. Regina Apostolica, Archi-Dux Austriae &c. &c.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles, ac Magnifici, Magnifici item Egregii et Nobiles, nec non Prudentes, ac Circumspecti, Fideles Nobis Dilecti. Ex demissa Fidelitatum Vestrarum isthuc sub 13. recenter elapsi Mensis Julij submissa Repraesentatione, clementer aequidem atque uberius intelleximus Reflexiones illas, quas Eaedem Nobis ratione neoerecti, in istis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnis Consilii Nostri Regii, humillime proponendas existimarunt.

Cum nihilominus ad aequam Lancem expensis pro et contra occurrentibus Motivis ultro quoque comperissemus, tum altissimi Servitii Nostri Regii, tum Boni publici, a consequenti ipsorum etiam praeattactorum Regnorum Nostrorum Utilitatis et Commodorum rationem id exposcere, ut ei, quod hac in re jam a priori matura Deliberatione discussa Nobis clementer statuere visum est, deinceps quoque pro Munere Nostro Regio insistamus.

Eapropter (Juramento etiam per Spectabilem ac Magnificum Comitem Banum Fidelem Nobis syncere Dilectum, qua praeattacti Novi Consilij Nostri Regii Praesidem in praesentia Nostra Caesareo-Regia jam deposito existente) Fidelitatibus Vestris hancce benignam, atque constantem Voluntatem Nostram, ea cum ulteriori clementissima Declaratione significandam esse duximus; Quod quemadmodum Nos Novum hoc Consilium Regium in omnibus ad Normam Consilii Locumtenentialis Nostri Hungarici, in Regnis etiam istis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae instituendum benigne decrevimus, ita etiam ejusdem Activitatem et Dependentiam talem omnino in omnibus et singulis, qualis praeattacti Consilij Nostri Locumtenentialis Regii Hungarici est, futuram, neque Nos admissuras, ut Illud Spheram Activitatis Suae vel in Militaribus, vel in publicis Negotiis quoquo Modo excedat; quin potius curaturas, ut in his Banalis Authoritas et Statuum et Ordinum Regni Activitas Semper Salvae maneant: Hinc etiam benigne admittimus: Ut non solum haec Novi Consilii Regii per Nos facta Institutio in proxima Generali Regni Hungariae Diaeta inarticuletur; Verum etiam, ... [illegible]rtes Maritimae, actu per Consilium Comerciale possessae, ut hactenus ab

eodem dependeant: Quoad ipsos vero tres Sclavoniae Comitatus, dum effectus bonae in Contributionalibus Manipulationis, ex ipsis ejusdem Consilij Operationibus primum prodiverit, eotum circa eosdem Comitatus Sclavonicos quoad Contributionale quoque crebrofati Consilij Regii Curae et Directioni Subjiciendos benigne sumus dispositurae. De reliquo Fidelitatibus Vestris Gratia Nostra Caesareo-Regia benigne propensae manemus. Datum in Archi-Ducali Civitate Nostra Vienna Austriae Die prima Mensis Augusti, Anno Domini Millesimo, Septingentesimo, Sexagesimo Septimo.

Maria Theresia m. p.

Comes Georgius Fekete m. p.

Ladislaus Battha m. p.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregijs & Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis N. N. Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae & Sclauoniae Universis Statibus & Ordinibus &c. Fidelibus Nobis dilectis.

Varasdini Ex Officio.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. 1767 Nr. 51.

CCLVI.

Anno 1773. die 8. Martii. Viennae.

Mandatum Regium Bano Croatiae datum, ut suam opinionem dicat, quis maxime oportunus in merito augendae Contributionis inferioris Slavoniae pro celebranda Generali Regni Congregatione terminus constitui posset.

MARIA THERESIA DEI Gratia Romanorum Imperatrix Vidua, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque Regina Apostolica, Archi-Dux Austriae &c.

Spectabilis ac Magnifice Comes Fidelis Nobis sincere Dilecte. Non ignotum est Fidelitati Vestrae, tertium a quo res regulandae Contributionis in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae sub laudabili Praesidio suo pertractari coepit, eo in Articulo Annum constitui, ut jam 1ma venturi Mensis May effective finem suum consecuturus sit; Accessere, ut constat, a tempore illo tres alij Syrmij & Inferioris Sclavoniae Comitatus, hi nempe eadem prorsus ratione cum alijs tribus Superioribus Comitatibus Regno Eidem Croatiae adjecti & respective Consilio Regio Croatico etiam Contributionali in Materia subordinati habentur.

Quam ob rem Fidelitati Vestrae hisce clementer comittimus & jubemus, ut expensis cunctis in rem Nostram Eidem Fidelitati Vestrae illic prae alijs apprime notam, Circumstantijs, Mentem et Oppinionem Suam, ut primum Via Cancellariae Nostrae Hungarico Aulicae disertis tenoribus pandere noverit, quando nunc pro Congregatione Antellatorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum Terminum opportunissime per Nos clementer determinari posse censeat? Factura in hoc benignae atque positivae Menti & desiderio Nostro satis. Cui in reliquo Gratia & Clementia Nostra Caesareo-Regia benigne jugiterque propensae manemus. Datum in Archiducali Civitate Nostra Vienna Austriae, Die Octava Mensis Marty Anno Domini Millesimo Septingentesimo Septuagesimo Tertio.

Maria Theresia m. p.

Comes Franciscus Esterhazy m. p.

Antonius Klobusiczky m. p.

A tergo:

Von Wien aus der Königl. hung. Hof-Canzlei

Spectabili ac Magnifico Comiti Francisco de Nadasd, Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae Bano, Eorundemque uti & Confiniorum Colapianorum & Vunnanorum Supremo Capitaneo, Consiliario Nostro Actuali Intimo, Generali Campi Mareschallo, unius Legionis Nostrae Equestris Militiae Hungaricae, duorum praeterea Pedestrium & unius Equestris Regiminum Banalium Colonello, Ordinis Nostri Militaris Magnae Crucis Equiti, Comitatuum item Comaromiensis Perpetuo, Albensis vero Supremo Comiti, nec non Tabulae Banalis & Consilij Nostri Regij in praeattactis Regnis Praesidi, Fideli Nobis sincere Dilecto.

Varasdini Ex Offo.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Banalia a. 1773. Nr. 80.

CCLVII.

Anno 1776. die 9. Augusti. Viennae.

Resolutio Mariae Theresiae de Flumine immediate Regno Croatiae incorporando, de Comiatu Severinensi constituendo deque Fluminensi portu Tergestini instar specialibus favoribus providendo, dicasteriis communicata.

MARIA THERESIA &c.

Serenissime Dux &c. Tempore eodem, quo clementer Nobis visum fuerat constituere, ut dehinc Objecta Commercialia (Consilio Commerciorum Aulico cessante) in Haereditariis Nostris Provinciis per respectiva Politica Provincialia et Aulica Dicasteria pertractentur, Pro Materna nostra in Publica Regni Hungariae et Partium Eidem adnexarum Commoda et Incrementum hactenus etiam praehabiti in iis Commercii sollicitudine, ac Peculiari hujus Documento ex Cle-

mentia Nostra Caesareo-Regia benigne resolvimus: ut Urbs et Portus Fluminensis, nec non Bona Buccariensia, in quantum illa Carlostadio Flumen versus proficiscendo ad dexteram Viae Carolinae sita sunt: Buccari, Buccaricza et Porto Re, tanquam ad levam dictae Viae Carolinae sitis, pro Statu Militari relictis, Ipsa praeterea Civitas Carlostadiensis in Liberam Regiamque Civitatem evehenda immediate Regno Croatiae reincorporentur; ex taliter porro Neo-reincorporandis Partibus Novus Comitatus erigatur, Idemque in omnibus ad Normam aliorum Comitatuum (iis, quae mox declarandae Directioni Guberniali in Puncto Commerciali immediate reservarentur, exceptis) Consilio Regio Croatico subordinetur, ejusque Jurisdictioni subsit. Pro eadem porro praedeclarata Materna Nostra solicitudine atque Providentia, volentes nimirum, ut Res Commercii in Districtu et Portu hoc Fluminensi, ex ipsa ordinata atque systematica Manipulatione ad Statum florentiorem evehatur, Benigne visum est Nobis Urbi et Portui huic Fluminensi Egregium Fidelem Nostrum Josephum Majláth de Székhely, antehac Cameralem Consiliarium Aulicum Nostrum et Referendarium, in Qualitate Gubernatoris, et cum pari, ac Comes Zinzendorff Tergesti obtinet, activitate, Iisdemque Praerogativis praeficere, simulque Eum pro Comitatus ex Reincorporando hoc Districtu efformandi et nomine Comitatus Severinensis insigniendi Supremo Comite clementer denominare.

Cohaerenter autem ad praemissa quoad resignationem et receptionem Districtus hujus id quoque clementer jussimus. ut Commissarij ex Parte Cancellariae Bohemico-Austriacae Aulicae exmittendi, Urbem et Portum Fluminensem, omnesque hujus Littoralis Appertinentias, quemadmodum etiam reliquae ad Districtum hunc applicandae Partes per respectivarum Jurisdictionum Commissarios, in Cohaerentia Benignae Nostrae Resolutionis resignabuntur, Commissarijs ex parte Jurisdictionis Hungaricae, signanter autem ex Gremio Consilii Nostri Regii Croatici exmittendis, ac in specie per Nos in Personis Comitis Stephani Niczky et Nicolaj Skerlecz clementer nominatis, in praesentia ipsius etiam denominati Gubernatoris Fluminensis in termino, se inter et Gubernatorem Nostrum Fluminensem, nec non Consilium Regium Croaticum concertando, resignarent.

Ad hunc vero ipsum finem et scopum, Incrementnm videlicet in Regno Hungariae et Partibus Eidem adnexis Commercii, id pariter clementer decrevimus atque resolvimus: ut Portus Fluminensis pari, qua Tergestiensis ratione et modo tractetur seu Favorem eundem obtineat, et evectio illius Sortis productorum, quibus Regnum Nostrum Hungariae abundaret, quorumve Distractio et Exportatio in Exteras Ditiones caeteris Nostris Provinciis Haereditariis nociva haud esset, porro quoque indulgeatur, atque hoc sensu Productorum Hungaricorum Mare versus, tam per Portum Tergestiensem, quam Fluminensem Evectio ultro etiam admittatur; In specie autem a Lana, Clavellatisque Cineribus, velut caeteroquin vectigali obnoxiis Mercibus, Taxa nonnisi Trium et respective unius Floreni occasione Invectionis Flumine dependatur, nisi quis super ejusmodi jam facta Depensione per Essito Expeditionem semet Legitimare valuerit. Non absimiliter

Inhibitione Evectionis Gallarum quercinarum et Pellium Leporinarum amodo imposterum sublata, Evectio earundem per Passus Fluminensem et Tergestiensem erga Depensionem Essito Vectigalis in 12 xris a Metreta Gallarum

Quercinarum, et 9 florenis a Centenario Pellium Leporinarum, deinceps admittatur. Caeterum Regulatio Vectigalium ultro etiam ad Financialium Dicasteriorum Sphaeram et activitatem pertineat, ab iisdemque, ea tamen ratione suscipiatur, ut quoties illa elevanda aut diminuenda viderentur, instituendam hanc Vectigalium Alterationem Cancellariae Nostrae Regiae Hungarico Aulicae praevie communicare, et cum eadem parem in hoc merito, quae antea cum Commerciorum Consilio observata fuerat, cointelligentiam fovere teneatur.

Atque in his explicitam Benignam Mentem ac Resolutionem Nostram Regiam, quemadmodum grato suscepturos animo Regnicolas plene confidimus, ita Dilectioni ac Fidelitatibus Vestris haec ipsa pro congruo notitiae Statu suique directione significantes, una clementer mandamus, quatenus tam reincorporationem Districtus hujus Fluminensis praefato Regno Nostro Croatiae, quam vero officii Gubernatorialis et ratione manuducendi, facilitandi ac provehendi Commercii Flumine Constitutionem, et tam pro hoc Gubernatoris, quam vero Supremi Comitis Neo-efformandi ex hoc Districtu Comitatus Severinensis Officio Clementissimam in Personam antelati Egregii Fidelis Nostri Josephi Majláth de Székhely Nominationem fine etiam et scopo illo, ut in Commerciis Partem habentes et Trafficantes Regnicolae sese dirigere, et quonam se in hoc, Commercii videlicet passu convertere possint, scire valeant, circulariter publicare noverint. Quibus in reliquo Gratia &c. Datum Viennae die 9. mensis Augusti, Anno 1776.

Maria Theresia m. p.

Comes Franciscus Esterhazy m. p.

Ferdinandus Scultety m. p.

(L. S.)

In Archivo Regni Croatiae. Acta Consilii Croatici, Anni 1776, N. $\frac{4447}{3936}$.

CCLVIII.

Anno 1776. die 2. Octobris. Zagrabiae.

Intimatum Consilii Croatici de Urbe et portu Fluminensi, nec non Bonis Buccarensibus, in quantum Carolostadio Flumen versus ad dextram viae Carolinae sita sunt, Civitate denique Carolostadiensi immediate Regno Croatiae reincorporatis, emanatum.

Excellentissimi, Illustrissimi etc. Dignabatur Sua Sacra Caesareo-Regia et Apostolica Majestas pro materna sua in publica Regni Hungariae et Partium eidem adnexarum Commoda et Incrementum hactenus etiam praehabiti in iis Commercii sollicitudine, ac peculiari hujus Documento et Clementia Caesareo-Regia Benigne resolvere, *ut Urbs et Portus Fluminensis, nec non Bona Buccariensia, in quantum illa Carlostadio Flumen versus proficiscendo ad dextram viae Carolinae sita sunt (Buccari, Buccaricza et Porto-Ree, tamquam ad laevam dictae viae Carolinae sitis pro Statu Militari relictis), ipsa praeterea Civitas Carolostadiensis in Liberam Regiamque Civitatem evehenda immediate Regno Croatiae reincorporentur;* ex taliter porro neo-incorporandis Partibus novus Comitatus erigatur, idemque in omnibus ad normam aliorum Comitatuum (iis, quae mox declarandae Directioni Guberniali in Puncto Comerciali immediate reservarentur, exceptis) *Consilio huic Regio subordinetur, ejusque Jurisdictioni subsit.*

Pro Eadem porro praedeclarata Materna Sua Sollicitudine atque Providentia, volens nimirum, ut Res Comercii in Districtu et Portu hoc Fluminensi ex ipsa ordinata atque systematica manipulatione ad statum florentiorem evehatur, ultro dignabatur Sua Sacratissima Majestas Urbi et Portui huic Fluminensi Dominum Josephum Mailáth de Székhely, antehac Cameralem Consiliarium Aulicum et Referendarium, in Qualitate Gubernatoris, ac cum pari, ac Comes a Zinzendorf Tergesti obtinet, activitate iisdemque Praerogativis praeficere, simulque Eum pro Comitatus ex reincorporando hoc Districtu efformandi et nomine Comitatus Severinensis insigniendi Supremo Comite clementer denominare.

Noverint igitur Praetitulatae D. Vestrae Clementissimam hanc Resolutionem Regiam fine etiam et scopo illo, ut in Commerciis Partem habentes et Traficantes Regnicolae sese dirigere valeant et quo se convertere sciant, intra Jurisdictio-

nis suae ambitum publicam reddere. Datum *ex Consilio in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae* Regio Zagrabiae Die secunda Octobris Anno millesimo septingentesimo septuagesimo sexto celebrato.

Praettarum D. Vestrarum ad officia Paratissimi

Alexander Michael L. B. Malenich m. p.

Joannes Michalkovich m. p.

Orig. in Archivo Regni Croatiae inter Acta Consilii Croatici. A. 1776. N. 29.

CCLIX.

Anno 1777. die 29. Augusti. Viennae.

Rescriptum Regium ddo. 9. Augusti 1777., quo disponitur, ut omnes Causae Civiles Regno Croatiae immediate incorporatae Urbis Fluminis a Foro Judicum Urbis ad Tabulam Banalem via appellationis promoveantur.

Maria Theresia Dei Gratia Romanorum Imperatrix Vidua, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque Regina Apostolica, Archi-Dux Austriae &c.

Spectabiles ac Magnifici, Honorabiles item et Egregii, Fideles nobis dilecti. Ut Cursus justitiae quantum ad revisionem Causarum Flumine appellatarum iterum restauraretur, ac in moderna etiam rei providentia, seu postquam *Urbs Fluminensis per sui Regno Croatiae immediatam incorporationem*, nexum nostrorum Regnorum haereditariorum hungaricorum ingressa est, certa ratione constituatur, reflexe item ad id, quod in Casibus pro quibus judices ac Fora determinata non sunt, Judicia constituere ductu etiamRegni Hungariae Legum ad nostram pertinet Majestatem, in ordine ad Causas Civiles ex Foro Judicum Urbis Fluminensis Appellabiles benigne visum est nobis resolvere, ut appellatio omnium ejusmodi Causarum a Foro Judicum Urbis dirigatur ad publicum Urbis Consilium, Cui ad integritatem Judicii praeter Praesidem Gubernatorem, seu Capitaneum vel ejus vices gerentem et vicarium, secretarium item, et Can-

cellarium publicum, decem adminimum commembra adesse oportebit; ab hoc porro Foro Capitaneatus Urbis Causae infra valorem 1000 fl inappellabiles sint, in aliis e converso majoris substrati Causis appellatio *ad Tabulam hanc Banalem* et sic ulterius ad Tabulam nostram Regiam et Septemviralem admittatur, Transmissionalesque extradentur.

Ordinatione hac Regia ad alteram etiam partem Districtus Commercialis, ex locis Jurisdictioni Hungariae subjectis enascituram, Buccarim nempe, Buccariczam et Portum Regium, velut Loca Jurisdictioni Commerciali Fluminensi connectenda, ac in consimiles Liberas Commerciales Communitates evehenda, intellecta.

Quam proinde ordinationem ac provisionem nostram Regiam pro Congrua notitia et sui directione Fidelitatibus vestris una clementer intimamus. Quibus in reliquo gratia et clementia nostra Caesareo-Regia benigne jugiterque propensae manemus. Datum in Archi-Ducali Civitate nostra Vienna Austriae die vigesima nona mensis Augusti, Anno Domini millesimo septingentesimo septuagesimo septimo.

Maria Theresia m. p.

Comes Franciscus Ezterházy m. p.

Josephus Jablanczy m. p.

Tenor Indorsationis:

4468.

Spectabilibus ac Magnificis, Honorabili item et Egregiis N. N. Tabulae Banalis Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Praesidi, et Assessoribus, fidelibus nobis dilectis.

Per Sopronium, Zagrabiae — Ex offo.

Ex opere: De Jure Croatiae ad Urbem Portumque Fluminensem.

CCLX.

Anno 1777. die 5. Septembris. Viennae.

B. Rescriptum R. Mariae Theresiae SS. et OO. Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae missum et ordinans, ut in cambium Statui Militari cessarum plagarum Urbs et portus Fluminensis cum Podbregh et Lopacza, nec non Bona Buccarensia, Carlostadio Flumen versus ad dextram viae Carolinae sita, una cum Civitate Carolostadio immediate Regno Croatiae reincorporentur, et ex neoincorporatis partibus novus, Consilio Regio Croatico subordinandus, Comitatus erigatur.

Maria Theresia etc. Reverendi, Honorabiles, Spectabiles, ac Magnifici item Egregii et Nobiles, nec non Prudentes, ac Circumspecti, fideles Nobis dilecti! Tam ex Intimationibus Consilii Regii, quam et Publica fama notum est alioquin fidelibus Regnorum istorum nostrorum SS. et Ordinibus, cessante cum Exordio anni proxime praeteriti Commerciorum Consilio Aulico, adeoque pertractione objectorum Commercialium juxta Benignam mentem nostram ad respectiva Politica Provincialia et Aulica Dicasteria recidente, Nos pro materna nostra in publica Regni Hungariae et Partium ei adnexarum commoda, incrementumque hactenus etiam praehabiti in his Commercii sollicitudine Benigne resolvisse, *ut Urbs et Portus Fluminensis*, nec non Bona Buccariensia, in quantum illa Carlostadio Flumen versus proficiendo ad dextram viae Carolinae sita sunt (Buccari, Buccaricza et Porto-Ree, tamquam ad laevam dictae viae Carolinae sitis pro Statu Militari relictis) ipsa praeterea Civitas Carlostadiensis in Liberam, Regiamque Civitatem evehenda, *immediate Regno huic Croatiae incorporentur;* ex taliter porro neoincorporandis Partibus novus Comitatus erigatur et in omnibus ad normam aliorum Regni Comitatuum, iis, quae mox declarandae directioni in Puncto Commerciali immediate reservarentur, exceptis, *Regio Regnorum horum Consilio subordinetur, ejusque Jurisdictioni subsit;* non absimiliter, quod res Commercij in Districtu et Portu hoc Fluminensi ex ipsa magis ordinata atque Systematyca manipulatione ad Statum florentiorem evehatur, urbi et Portui huic Egregium, Fidelem Nobis Dilectum Josephum Mailáth de Székhely, antehac Cameralem Nostrum Consiliarium Aulicum et Referendarium, attributa Ei Intimi Consiliary nostri Dignitate, in qualitate Gubernatoris, et cum pari, aç Comes a Zinzendorf actu Tergesti obtinet, activitate, per nos Benigne praefectum, simulque pro Su-

premo Comite Comitatus ex Districtu hoc efformandi, ac nomine Comitatus Severinensis insigniendi, Clementer denominatum esse. Ac ad hujus quidem Benignae nostrae Resolutionis effectum procurandum et Constabiliendum omne hoc propositum necessariis in facie locorum operationibus per respectivarum Jurisdictionum Commissarios mox susceptis, ac subinde in parte terminatis, in progressu Executivae hujus manipulationis eo recte jam deveniri debebat, ut, cum praementionata via Carolina pro Limite Districtus Provincialis destinata, atque Benigne per nos resoluta fuerit, negotium constituendae Lineae hujus Separatoriae in concertationem et practicam manipulationem per concernentium Jurisdictionum Commissarios assumeretur; Praeterea vero id, num novus hic Districtus pro efformando exinde justae proportionis Comitatu, sufficiens futurus sit? examinaretur, ac de Comitatu hoc Methodica ratione constituendo res effective agenda susciperetur.

At vero, dum manus omni huic reliquo operi admovenda fuerat, pro uberiori documento ejus, quantum causa Boni publici ex progressu rei Commercialis certo certius expectandi, cupiamus, quo item votis Regnicolarum quo ad Partes has maritimas reiteratis hoc magis Benignitas nostra respondeat, Clementer visum est Maiestati nostrae, illam, quae praeviae jam Benignae nostrae Resolutionis virtute statui, atque Jurisdictioni Provinciali obtigit, acquisitionem ea ratione locupletare, ut *omnino perinde Portus Buccari*, *Buccaricza et Porto-Ree*, *quae Jurisdictioni Militari reservabantur*, *immediate Regno Croatiae* cum omni juxta viam Carolinam posita Colonia et praehabito ibi Commerciali Districtu reincorporentur. Caeterum autem, quemadmodum Portus Buccari, Buccaricza et Porto-Ree ad Jurisdictionem antelati Gubernatoris cum cohaerentia sua adjiciuntur, ita totus hic Districtus Commercialis, qui se juxta viam Carolinam porrigit, et omnis ibi Colonia, demptis duntaxat locis ad immediatam Commercialem manipulationem deservituris, adeoque Jurisdictioni illi privative subalternandis, per Cameram nostram Regiam Hungarico-Aulicam mox recipiantur, adeoque velut Bona Cameralia, quousque Nobis aliter disponere visum fuerit, respiciantur, proque talibus habeantur.

Vicisssim autem, siquidem per hoc *Jurisdictioni Militari haud modicum decessurum sit;* hinc tum *pro recompensatione* secundum id, ac justum et aequum esse suapte intelligitur, cum vero ex subversante Altissimi Servitii nostri ratione, ob systematicum nempe Militaris Jurisdictionis atque manipulationis nexum ac opportunam Communicationem, et denique, ut difficultatibus et molestiis, quas Status Militaris in inclavationibus hactenus habuisse exponitur, Certum ac Stabile, infallibileque Remedium ponatur, *in forma Cambii Districtus Sztenichnyak*, *una cum possessoriis Claustri Paulinorum Kamenszkoinensis*, *ita etiam ex respectu Subversantis inclavationis projectata per Consilium nostrum Aulae Bellicum in Confiniis Banalibus Bona Episcopatus Zagrabiensis atque ejusdem Capituli*, *et hujus quidem nominanter Sziszekiense*, *nec non Praepositi*, *atque Possessio Szanya ad Comitem Keglievics Spectans*, *praeterea vero Districtus Szikelburgensis*, *nec non futura Libera Regiaque Civitate Carlostadiensi*, *ipsa Arx seu fortalitium cum exscidendo pro usibus militaribus secundum Rationem Localis situs*, *adeoque rei possibilitatem*, habitaque ad necessitatem militarem reflexione proportionato pomaerio, eidem Jurisdictioni ac Statui Militari cedant, ac proinde illa ex Jurisdictione, in qua actu sunt Provinciali, ad militarem Jurisdi-

ctionem applicentur. Caeterum autem, siquidem pariter in Partibus Transcollapianis, ad Constitutivum Comitatus Szeverinensis designatis, ac finem in eum per Comitatum Zagrabiensem resignandis, inclavationes Militares praeexistant, ad has etiam, in quantum Partem Jurisdictionis Provincialis respicerent, ac ob hanc ipsam Causam recidere deberent, ex integro tollendas, res praevie per localem Commissionem, exmittendos quippe Commissarios, uberius investigetur et Cognitione earum obtenta, modus accommodatus, earum intuitu, occasione eadem proponatur. Quod vero modalitatem effectuandae omnis hujus Benignae Resolutionis attinet: praeindicati portus Buccari, Buccaricza et Porto-Ree, nec non Bona Buccarana Commercialia *per Statum Militarem, in quantum in horum possessorio actu constituerentur*, mox et citra dilationem, atque adeo primum et ante omnia Jurisdictioni Provinciali, ac in Specie Gubernatori nostro Fluminensi, qua simul Commissario nostro Politico et Camerali, resignentur, intermedio autem tempore, quoad nimirum Militaris Status aequivalens suum obtineat, huic decedentes annui proventus ex aerario Camerali bonificentur, pariter dein ad resignationem et receptionem Civitatis et Pontis Carlostadiensis, excisionemque Pomerij ibidem ad fortalitium pro usibus Militaribus necessarii, mox procedatur, atque sic demum, postquam Status Militaris praedesignatos Portus et Bona Civitatemque Carlostadiensem et Pontem resignaverit, attunc e Vestigio, quorumvis Districtuum et Corporum in- et excorporari intentorum in concursu respectivarum Jurisdictionum, Deputatorum item ex Congregatione hac Regni exmittendorum, suscipiendae Conscriptioni et aestimationi, juxta rubricas eatenus via Camerae nostrae Regiae Hungarico-Aulicae indicandas, ac respective illis, quae tempore postremae excorporationis observabantur, accommodandas, manus eo modo admoveatur, ut initio Commissario nostro Politico-Camerali opus illud manuducere debente, idem Conscriptionis et aestimationis labor, expost per Subdelegatos Commissarios, in finem accellerationis ad duas distinctas Partes continuetur, quo sic postea finalis tractatus, de qualiter obtinendo proportionato Proprietariorum Bona Sua excorporanda dimittentium aequivalenti, nec non in Specifico etiam quoad reluitiones ac redemptiones determinandas in mutua respectivorum nostrorum Dicasteriorum Aulicorum concertatione assumi, discuti et Benigno nostro determinio substerni valeant.

In cohaerentia autem horum Urbarialia Telonia in S. Cosmo et Fusine in priori Systemate praeexistentia mox cessent, in Buccari autem ex officio Telonii Urbarialis fiat finitima Statio Tricesimalis, Flumine porro officium quod praeexistit Bancale (manipulatione ejus respectu mercium et productorum in et ex Hungaria venientium cessatura) manipulationem etiam Tricesimae Hungaricae habeat, et quidem usque dum nova Tariffa vectigalis Hungarici elaboretur, veteri vectigali accommodandam. Carlostadii demum Tricesima Capitalis in forma duntaxat depositoriali seu Legstadt permaneat. Non absimiliter benigne nobis visum est, respectu etiam Constitutivi, Status item Personalis et Salarialis Comitatus Szeverinensis id Clementer resolvere: ut Status quidem Salarialis ac etiam pro prima hac vice Personalis officialium in hoc Comitatu ille, qui Majestati nostrae per Gubernatorem Fluminensem, qua una nunc dicti Comitatus Supremum Comitem et alioquin ad actum etiam hunc efformationis et instaurationis Comitatus istius Provinciam habentem, demisse propositus est, stabiliatur, *pro ipso autem Comitatus constitutivo habeantur et sint, Urbs et Portus Fluminensis cum Pod-*

breg et Lopacza, cum aliis item tribus Portubus Buccari, Buccaricza et Porto-Ree, nec non Sex Castellanatus Dominij Buccarensis, et Dominium ita dictum Colloniale, Dominia ad haec Brod et Grobnik Battyaniana, uti et Dominium montanum Chabar Camerale, juxta haec porro Partes etiam, quae modo trans-Collapianae audiunt, utpote Bona Dominii Szeverin, cum Dominiis Boszilyevo, Ozaill, Ribnik, Berlog et Novigrad, ac demum ipsa etiam Civitas Carlostadiensis, velut per Statum Militarem Statui Provinciali praeallegato modo resignanda, ac in Liberam et Regiam Civitatem evehenda; prouti etiam, quod rementionatas Partes Transcollapianas concerneret, ad harum pro Comitatu Szeverinensi receptionem perinde Gubernator noster Fluminensis, qua ejusdem Comitatus Supremus Comes, et ad actum quoque hunc Commissarius noster Regius, ac ad earum Resignationem Comitatus Zagrabiensis Benignis nostris ordinibus inviati instructique sunt, ea quidem ratione, ut Partes hae inde a 1-ma Novembris anni labentis Quottam Contributionalem jam ad Cassam Comitatus Szeverinensis dependere debeant.

Atque in his ipsis Fideles Regnorum istorum Status et Ordines et rationem Benignae nostrae Resolutionis satis intelligent, et Peculiarem nostram Maternam Solicitudinem pro incremento Boni publici defixam, distinctum Regium nostrum favorem grati agnoscent. Cum autem ad effectum Benigni hujus propositi illud necesse esse suapte intelligatur, ut praementionata accurata Conscriptio et justa aestimatio quorumvis Districtuum et Corporum in- et excorporandorum ratione atque modalitate in praemissis declarata suscipiatur, atque ideo Benigne nobis visum fuerit, pro executione propositi hujus, fine nempe praedesignatae in- et excorporationis, atque Scopo instituendarum Conscriptionum et aestimationum a parte respectivarum Jurisdictionum Commissarios, tum juxta immediate praemissa, cum vero omni, quo meliore facilitandae manipulationis ratione instructos, et quidem ex parte Politico-Camerali Gubernatorem Fluminensem Josephum Mailáth, huicque adjunctum ex parte Politica Nicolaum Skerlecz, Consilii nostri Regii Croatici Consiliarium, ex parte vero Militari et quidem Generalatus Carlostadiensis Generalem a Posee, Generalatus autem Banalis ibidem Constitutum Brigaderium Generalem exmittere, fideles adeo Regnorum istorum Status et Ordines, fine quo effectuandis Benignis his intentionibus nostris pariter per Deputatos suos intervenire, eosdemque cum Commissariis nostris cooperaturos denominare et exmittere valeant, in unum congregandos, una Clementer jubere.

Eaproptor quemadmodum pro eo, ac in his explicita Benigna mens atque resolutio nostra Regia nonnisi circa optatum boni publici vehiculum et quaesitam diu pro utili et Commodo Regnicolarum accessionem versatur, ipsos proinde Regnorum istorum Status et Ordines voti Compotes reddit, nullae dubitamus, quin firma Spe tenemur, fore, ut Iidem Status et Ordines in summa animorum gratitudine suscipiant agnoscantque Regiae nostrae atque maternae Benignitatis documentum isthoc. ita una ne quid favorabilis hujus Benignae Resolutionis nostrae effectum morari possit, signanter ne Exmissi Commissarij Regii expectare debeant, fidelibus Regnorum istorum Statibus et Ordinibus Benignam mentem et voluntatem nostram Regiam in eo pariter Clementer intimandam injungendamque duximus, ut duos omnino Deputatos suos ad executivam omnis istius Benigne suscepti in- et excorporationis Propositi operationem, ac proinde qui scopum hunc praeparare debet, Conscriptionum, ac aestimationum laborem, pro Termino per Commissarios nostros Regios tempestive indicando, ac in iis, quae

ad facilitandum Scopum conferre posse viderentur, sufficienter, atque Benignae Intentioni nostrae Consona ratione inviandos, indubitanter exmittere non intermittant Iidem Regnorum istorum fideles Status et Ordines. Quibus in reliquo Gratia et Clementia nostra Caesareo-Regia Benigne jugiterque propensae manemus. Datum in Archiducali Civitate nostra Vienna Austriae die 5-ta Mensis Septembris, Anno Domini 1777.

Maria Theresia m. p.

Comes Franciscus Eszterházy m. p.

Josephus Jablanczy m. p.

(*Locus Sigilli Regii.*)

Ex opere: De Jure Croatiae ad urbem etc. Fluminensem.

CCLXI.

Anno 1777. die 10. Novembris. Viennae.

Maria Theresia ordinationibus suis de partium maritimarum reincorporatione, de inducendo commerciali systemate, deque praestando statui militari aequivalente porro quoque insistit.

Maria Theresia Dei Gratia Romanorum Imperatrix Vidua, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque &c. Regina Apostolica, Archi-Dux Austriae &c.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles, Magnifici, Magnifici item Egregii et Nobiles. nec non Prudentes ac Circumspecti, Fideles Nobis dilecti. Demisse relata sunt nobis ea, quae Fideles Regnorum istorum Status et Ordines quoad benigne resolutam Partium Maritimarum reincorporationem, Stabilimentum item pro publico Regni Hungariae et Partium Ei adnexarum Bono in Portubus Fluminensi, Buccariensi, Buccariczensi et Porto-Ree Commercialis Systematis, nec non hoc titulo Statui Militari per suscipiendam Excorporationem praestandum aequivalens, ex generali sua Congregatione Zagrabiae celebrata, sub 27. Mensis proxime praeteriti humillime repraesentarunt.

Atque haec quidem eo minus fuerant Nobis expectata, quo magis in apertam lucem collocaveramus, in omni hac benigna nostra Resolutione Materno-Regiam Intentionem Nostram pro Incremento Boni publici, atque in favorem Regni Hungariae Partiumque Ei annexarum directam esse, et quo certum est, Reflexiones per Regnorum istorum Status et Ordines in medium adductas in accuratiori examine non aliter, quam Benignarum Intentionum Nostrarum remorativas, eoque colimantes considerari posse: quippe quod Fidelibus Regnorum istorum Statibus ex ipso tenore benigni Nostri Rescripti ad se sub 5. Septembris ultimo praeteriti expediti constare debeat, alioquin in hocce Systematis Commercialis Stabilimento per expressam benignam Nostram Resolutionem sublata esse illa etiam, quae hactenus legaliter in Commerciali hoc Districtu viguissent Telonia, adeoque metum illum, ut Regnicolae in locis Commerciorum illegalibus Exactionibus aggraventur haud subesse; ita etiam siquidem benignum idem Rescriptum expressim innuat, objectorum Commercialium Pertractationem ad respectiva Politica, Provincialia et Aulica Dicasteria recidisse, ex Omnibus praeterea nunc reincorporandis novum Comitatum ad normam aliorum Regni Hungariae Comitatuum efformandum et Regio Nostro in Regnis his Consilio subordinandum fore, in hoc ipso satis intelligi potuerit, possitque, neoincorporatas has partes ordinariae in Sensu et intellectu Legum Regni Administrationi subjectas subordinatasque esse.

Illud porro non possunt congrue non intelligere Fideles Regnorum istorum Status et Ordines, immediatam in ipso proximo et stricto Rei Commercialis objecto Manipulationem, in quantum nimirum objecta eiusmodi nec plurium manus, nec moram (quam Correspondentiae praesupponunt) patiuntur, ast instantaneam, aut decisionem, aut inviationem exigunt, alicui deferri, concredi, reservarique debuisse; illud autem, num Individuum tale sub Nomine Gubernatoris aut alio praeficiatur, vel vero num Gubernator Fluminensis, aut Gubernator totius Littoralis Maritimi Hungarici audire debeat, meritoriam Reflexionem (ne de nomine Lis sit) haud subire; quod vero Idem Gubernator cum pari ac Tergestinensis activitate constitutus esse tenore benigni Nostri Rescripti perhibeatur, in hoc favorem potius illum, quod ei haud minorem activitatem et Convenientiam pro ipso etiam Gentis Decore benigne attribuerimus, cum gratitudine agnoscendum esse.

Sed etiam quod attinet erectionem et Nominationem Comitatus Szeverinensis: Materno-Regiam hanc provisionem Votis et petitioni Suae Diaetaliter propositae in ipso merito (nisi passu etiam in hoc de nomine litem esse conveniat) conformem esse, ipsi meminerunt agnoscuntque Fideles Regnorum istorum Status et Ordines, ac hoc etiam Argumento positivae voluntatis Nostrae effectum ne momento morari, atque Resignationem designatarum Zagrabiensis Comitatus partium differi patientur.

Excorporationem porro Statui Militari et quidem intuitu Bonorum Episcopatus trans Collapim intra et ad Banale Confinium designatam, quae alioquin nullo Privatorum Damno aut Praejudicio futura est, tam fundamento Justi et aequi spectato, quae vicissim Jurisdictioni Regni et Statui Politico Provinciali fit accessione, quam vero ex subversante altissimi servitii Nostri ratione, ob syste-

maticum nempe Militaris Jurisdictionis atque Manipulationis nexum, ac opportunam Communicationem, ac etiam Necessitati Nobis quam optime notae et per Nos Jure metiendae, ut certum et stabile infallibileque remedium ponatur, prout hocce in praecitato benigno nostro Rescripto indicabatur, inevitabilem esse: Eius autem intuitu, si nempe Civitas Carlostadiensis per excissionem Pomaerii pro Statu Militari ad Statum tantae Constrictionis poni deberet, ut nec Commercio, nec Liberarum et Regiarum Civitatum Systemali Administrationi deservire possit, ubi eatenus Nobis per exmissos Commissarios Specificum secundum adjuncta et locales Circumstantias remonstratum fuerit, ulteriorem benignam impertiemur Resolutionem, atque simul Commercio, quod Nobis ex ratione felicitatis Populi cumprimis cordi est, prospiciemus.

Provocationem demum Statuum et Ordinum ad Regni Hungariae Diaetam quod attinet: Nos plane persvasas esse, ipsos Status et Ordines Regni Nostri Hungariae non modo cum Jubilo aquieturos omni huic Materno-Regiae ad publica commoda directae Provisioni, verum etiam in animorum debita gratitudine Inarticulationem sollicitaturos, adeoque in omni hoc negotio non aliud reliquum esse, quam ut Fideles sitorum in Regnis his Comitatuum in Unum congregati Status ad effectum in apperto positarum benignarum nostrarum Intentionum agendo et cooperando, tacita ipsorum Regni Hungariae Statuum et Ordinum vota expleant et aemula Virtute adimpleant, eaque ratione Materno-Regiam Sollicitudinem Nostram ad complacendum etiam Principi Suo cum Zelo et Promptitudine in partem juvent.

In his porro etiam explicita benigna Mente nostra Eisdem Statibus et Ordinibus fine, quo effectuandis benignis Intentionibus Nostris pariter per Deputatos Suos intervenire, Eosdemque cum Commissariis Nostris cooperaturos denominare et exmittere valeant, in unum congregatis porro etiam clementer duximus rescribendum, ut Deputatos suos ad executionem omnis istius benigne suscepti In- et Excorporationis Propositi, ac proinde qui (ad) scopum hunc praeparare debent Conscriptionum et aestimationum Laborem, praescripta modalitate instruendos mox et inomisse, ac citra ulteriora expectanda exmittere noverint, quo sic Commissarii Nostri parte ex Politica Camerali et Militari in promptu existentes, sine temporis atque aliorum Concomitantium jactura indilate mutuis potius Operationibus rem occipere, ac dein Comitatuum ad hanc Congregationem Deputati, quando alioquin hac Anni parte in ipso Comitatuum Gremio plurima agenda occurrant, reverti valeant. In reliquo Eisdem Statibus et Ordinibus Gratia et Clementia Nostra Caesareo-Regia benigne jugiterque propensae manemus. Datum in Archi-Ducali Civitate Nostra Vienna Austriae die Decima Mensis Novembris Anno Domini Millesimo Septingentesimo Septuagesimo Septimo.

Maria Theresia m. p.

Comes Franciscus Eszterhazy m. p.

Antonius Klobusiczky m. p.

Tenor Indorsationis:

V. Vienn aus der Königl. Hung. Hof-Kanzley.

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregiis et Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis N. N. Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Universis Statibus et Ordinibus, Fidelibus Nobis Dilectis.

(L. S.)

Ex Actis Regni Congregationis A. 1777. N. 38.

CCLXII.

Anno 1777. die 27. Octobris. Zagrabiae.

Repraesentatio SS. et OO. Regni Croatiae de partibus maritimis Gubernatori fluminensi non subjiciendis, de regulatione novi Severinensis Comitatus et omnibus excorporationibus usque ad generalia Regni Hungariae Comitia sistendis.

Sacratissima Caesareo-Regia Apostolica Majestas!

Domina Domina Clementissima, Benignissima!

Benignum Majestatis Vestrae Sacratissimae ddto. Viennae Austriae sub 5. Mensis Septembris Anni currentis sub marginali 4527 numero ad nos emanatum rescriptum in homagiali devotione suscepimus, una quantis Curis et Regia sollicitudine reliquas suas Regales curas inter in commoda Regni hujus promovenda inque feliciorem et florentiorem Statum ponenda commercia feratur Majestas Vestra Sacratissima venerabundi perspicimus, potissimum dum iam in effectum horum objecta Commercialia, quae Commerc... Aulico Consilio hactenus substrata ex ejusdem Benigni Rescripti tenoribus intelligimus ad respectiva Politica Provincialia et Aulica Dicasteria esse translata; imo pro Sua Materna in publica Regni Hungariae et Partium eidem adnexarum comoda incrementumque hactenus etiam praehabiti in his commercii Majestatem Vestram Sacratissimam benigne resolvisse, ut Urbs et Portus Fluminensis, nec non Bona Buccarensia simul cum Civitate Carlostadiensi, in Liberam et Regiam Civitatem evehenda, immediate Regno huic Croatiae incorporentur: ex taliter porro neoincorporandis partibus novus Comitatus erigatur, in omnibus ad normam aliorum Regni Comitatuum (iis solum, quae Guberniali Fluminensi directioni reservata sunt, exceptis) Regio in Regnis his erecto Consilio subordinandus. —

Legalem hanc et vere Maternam Maiestatis Vestrae Sacratissimae providentiam, velut caeteroquin ad effectum Regni Legum circa eorum, quae ad Sacram Regni Hungariae Coronam juraue Regni pertinent, reincorporanda Legibus Regni constituta sunt cum effectu benigne et materne praesusceptam de genu humillime veneramur et Maiestati Vestrae Sacratissimae Dominae nostrae Clementissimae immortales et in animis nostris nunquam intermorituras humillimas agimus gratias, devotis Animis et homagialibus votis nostris id exoptantes; ut altissime intenta susceptaque Commercii promotio ex parte quoque nostra pro omni virium possibilitate homagialiter secundanda, effectus quam optatissimos producat; firmissima in reliquo spe tenemur, quod Maiestas Vestra Sacratissima pro tenore Regni Legum ab omnibus illegabilibus exactionibus Regnicolas in antelatis Commerciorum locis immunes conservari facere clementissime dignabitur.

Verum quia parte ab una praenotatae Maritimae partes, Bona quippe Marittima Frangepano-Zrinyana jam in exordio hic ut primum videlicet in Successionem et Regii Majestatis Vestrae Sacratissimae Fisci manus devoluta erant, per Articulum 71. 1681, tractu vero temporis per 44. 1715, 94. 1723 ac 52. 1741 articulares Diaetales Conclusiones, communibus legibus, oneribus et Regni jurisdictioni subjecta, nunc, dum Regno incorporantur, maxima sui in parte ab ipsa Regni et Legum jurisdictione abstrahi et privative cuipiam Guberniali Fluminensi directioni reservari ac subjici; parte vero ab altera horum intuitu Regno incorporatorum aequivalens ex altera actuali Regni jurisdictione a nobis praestandum ex tenoribus ejusdem benigni rescripti intelligimus: non possumus conceptum exinde animi sensum non explicare; ac intuitu quidem Legibus Regni et Diplomaticis Sacris assecurationibus, in articulis etiam 3. 1715 et 8. 1741 palam expressis, praecautae imo Nobis ignotae Gubernialis administrationis, occurreret illud, quod partes et districtus ad Sacram Regni Hungariae Coronam, adeoque jura Regni spectantes, et quocunque tempore incorporandae, non ad normam aliarum Provinciarum, sed propriis ipsius Regni Hungariae Diaetaliter conclusis Legibus subsint et gubernandae veniant; consequenter, dum ad effectum conditarum eatenus Legum Regno et ejus jurisdictioni reapplicantur, nulla in iis Gubernatoris Fluminensis, velut caeteroquin ab universali Regni Legum systemate separata et Tergestini Gubernatoris Activitati conformata, jurisdictio et administratio seu etiam dependentia sustineri possit; tanto quidem evidentius, quod administratio jurisdictioque talis Gubernialis communi cum Majestate Vestra Sacratissima Statuum et Ordinum Regni Hungariae consensu, adeoque Diaetali constitutione introducta stabilitaque non sit. Qua de causa etiam Majestatem Vestram Sacratissimam de genu humillimis precibus exoramus, ut neo-incorporatae partes, velut ad Sacram Regni Coronam et Regni jura pertinentes non Guberniali Fluminensi aut alteri cuicunque directioni, sed ordinariae in sensu et intellectu Legum Regni administrationi subjaceant subordinenturque; compellatio porro earundem Maritimarum partium sub nomine Districtus Fluminensis recens introducta, pari ratione ac Litoralis austriaci nomenclatio Articulo 30. 1765 Diaetae praecauta, juribus et jurisdictioni Regni non praejudicet. Novi itaque Comitatus sub nomine Szeverinensis errectionem quod attinet: non diffitemur equidem in ultimis Regni Hungariae Comitiis fuisse nostrum demissum postulatum, ut cum Officiolatus in partibus illis Bonis et populo praefectus, in apertum conditarum Regni Legum vilipendium et benignarum Majestatis Vestrae Sacratissimae etiam resolutionum sub-

terfugium Regni authoritatem justitiaeque juribus Regni conformis administrationem renitenter subterfugiebat, in et ex iisdem maritimis partibus, quae, ut praemissum est, Regni et Comitatus Zagrabiensis jurisdictionem, tametsi eidem supra insinuatis Regni Legibus imo et benignis Majestatis Vestrae Sacratissimae rescriptis Mandatisque subordinabantur ac in specificis casibus etiam suberant, utpote in Gremio eorum judex nobilium partium Maritimarum dictus et per nos nominatus semper existebat et hodie etiam Georgius Ivanchich existeret; Tyrones in Altissimi Majestatis Vestrae Sacratissimae servitiis promotionem pro quotta sua impositos in gremium Comitatus Zagrabiensis praestabant; ita et banderiatos extra patriam in Servitia Regia Majestatis Vestrae Sacratissimae expediebant; in gremium Nostri ad Congregationes Regni vocati comparebant et conclusa se concernentia exequebantur; denique per nos conscripti ejectatam per nos Contributionem pro quotta sibi comensurata supportabant, adeoque nos in eos jurisdictionis effectus exercuimus, — sub nomine Vinodolensis Comitatus erigatur, eidemque cum Legali Activitate Regni Legibus conformata Supremus Comes cum reliquo Magistratu praeficiatur; nunquam vero postulatum nostrum eo se extendebat, ut pars Maritimorum Frangepano-Zrinyanorum Bonorum guberniali cuipiam directioni et Legibus Regni praecautae administrationi subjiciatur; pars vero major de Comitatus Zagrabiensis actuali indubitata et saeculis perdurante jurisdictione sine Regni Hungariae Diaeta avellatur, et Comitatui, qui sub nomine hoc nunquam praeexstitit, adeoque vel ideo legali Comitatus Zagrabiensis avitae jurisdictioni praejudicare non potest, adjiciatur; consequenter, si etiam ex incorporandis Maritimis Partibus et veteris Vinodolensis Comitatus pertinentiis Comitatus jure postliminij ad normam aliorum Regni Hungariae Comitatuum cum omnibus juribus, Praerogativis, adeoque plena legali activitate Supremi Comitis directioni, pro desiderio et demisso postulato nostro, in Generalibus Regni Comitiis posito, Diaetaliter efformatus fuisset, propterea tamen mixtae partim Supremi Comitis, partim Gubernatoris Fluminensis directioni credi, et per id a sistemali Regni Hungariae manipulatione abstrahi tanto minus potuisset, quod parte ab una in Legum et jurium Regni Hungariae convulsionem, parte ab altera in privatorum Regnicolarum jurium insecuritatem involutionemque, ipsius autem Comitatus Zagrabiensis, Diaetalibus Regni Legibus firmati, et cui per Articuli 57. 1647 Diaetalem provisionem in justitiae administratione subjectus est, praejudicium et diminutionem absque Diaetali determinatione tenderet et erigetur; qui si ex totalibus Maritimis partibus sub nomine Frangepano-Zrinyanorum Fiscalium Bonorum venientibus, pertinentiis item Vinodolensis Districtus, cum Diaetali concursu efformatus fuisset, relate ad complures Regni Hungariae Comitatus congruam et justam omnino Comitatus unius extensionem sortiretur. Interim cum Comitatus idem in Generalibus Regni Comitiis, in quibus de quibusvis occuribilibus circumstantiis SS. et OO. Regni audiri potuissent, errectus et legali sua Activitate donatus non sit, Majestati Vestrae Sacratissimae supplicamus, dignetur benigne in eo acquiescere, ut circa ejusdem errectionem, nomenclationem, extensionem item et futuram subsistentiam in iisdem Generalibus Regni Comitiis legali cum effectu constituatur, interea vero Regni et Sacrae Coronae ita et Comitatus Zagrabiensis, qui non tantum Maritimarum partium, vigore Articuli etiam 57. 1647 sibi ingremiatarum, per benignam resolutionem incorporationem et reapplicationem non obtinet, verum etiam de reliqua indubitata sua jurisdictione, totum transcolapianum

in se vastiorem processum seu districtum, et quoad justitiae administrationem et deportandae Contributionis commoditatem securitatemque; cum hyeme et vere rigor hyemis ac nivium extraordinaria copia, aestate vero Latronum viarumque insidiatorum grassatio Flumen et Buccarim transitum et communicationem impediant, Zagrabiae commodiorem et nexum habentem, amittere deberet, quoad eandem avelli praeconceptam actualis ejusdem possessorij partem jurisdictio et ejus effectus in salvo conserventur.

In ordine porro ad benigne nobis intimatam excorporationem, quae partim in cambium Regno incorporandorum et per Statum Militarem cedendorum, partim vero ex ratione subversantis cujuspiam inclavationis, erga Aulae Bellici Consilii projectum tam ampla nobis proponitur, ut politicam Regni, quae jam attrita exhaustaque est, jurisdictionem sensibiliter et extreme coarctet; dolorem quem inde privati aeque ac publicum concepimus, non possumus coram Majestate Vestra Sacratissima non exponere. Dolorem hunc nova circumstantia, parte ab una per Militarem statum Banalium Confiniorum facti via etiam partis Bonorum Topolovecz sub nomine Possessionis Szunya excorporari projectatae, per Colonellum a Bottichky attentata occupatio et Proprietarii Comitis Keglevich in juribus suis turbatio, parte ab altera Comitatus quippe ita dicti Szeverinensis ante resignationem etiam Partium ad indubitatam Zagrabiensis Comitatus jurisdictionem pertinentium apprehensio et nondum legaliter instaurati ejusdem Comitatus, perdurante hac Generali Regni Congregatione in 10. Mensis Novembris Congregatione praefixa. Si tamen incunabula nostra ac Statum et Sortem praesentem nostram repetamus, videmus et vere cum dolore reminiscimur Bonorum et facultatum amplissimam partem per inimicum, qui in hoc aperto bellorum Theatro nos antemurale Regni incursionibus et rapinis semper infestabat, occupatam et dirreptam, aliam in captivitatum redemptionem et lytrorum exolutionem cum extrema posterorum nostrorum ruina conversam, supremam eamque maximam pro fundandis binis Generalatibus, Carlostadiensi uno et Varasdiensi altero, dupplicatis item amplis Sclavonicis et Banalibus Confiniis, adeoque in tutamen et deffensionem Regni et Sacrae Coronae, imo aliarum etiam Majestatis Vestrae Sacratissimae haereditariarum provinciarum, per nos majoresque nostros jam abunde esse sacrificatam, ita quidem, ut exinde nullum propterea aequivalens praestitum sit; recenter etiam in annis 1767 et 1768, occasione localis Aulicae Commissionis, quae ad effectum Regni Legum ad accomodandas differentias inter Militarem et provincialem Statum vigentes et quaerimonias accomodandas operata est sub titulo stabilis et perpetuae Lineae tam ad Carolostadiensem Generalatum, quam alterum Varasdinensem, undique Provinciali jurisdictione cinctum, qui caeteroquin personali servientium et terreno amplo, supra videlicet competentiam servitii amplius ac in triginta sex mille jugeribus supernatante, abundat, cum factis de non secuturis amplius excorporationibus interpositis cautellis, de politica jurisdictione sensibilem partem sub eodem lineae stabilis ductus titulo amisimus, ut adeo, quid sola haec exigua provincia in obsequium Majestatis Vestrae Sacratissimae amplius sacrificare debeat aut possit, non inveniamus, potissimum autem, quod projectata haec per Aulae Bellicum Consilium excorporatio, si etiam a juribus Regni et Sacrae Coronae avulsionem non induceret, quam evidenter inducit systema illius, praeter excorporari projectatorum amplissimorum Districtuum provinciali jurisdictioni pro futuro etiam praejudiciosa sit. Clementissima Domina! tot et

tantae ac tam amplae frequentesque excorporationes, quae totam hanc provinciam in se exiguam, semper tamen fidelem, et quae totum ferme, quod habuit in publici, Sacrae quippe Regni Hungariae Coronae et haereditariarum provinciarum defensionem, adeoque in obsequium et servitium altissimum summorum terrae Principum semper sacrificavit et impendit, tangunt, adeo sensibiles sunt nobis, ut nisi de clementia et benignitate Regiae Majestatis Vestrae Sacratissimae, pro tenore etiam benignarum assecurationum et Diplomatum, modus et finis tandem iisdem imponatur, et haec, quae in projecto est ac futurae omnes praecaveantur, omnis politica Regni hujus jurisdictio suapte cessare et expirare deberet, quod tamen ipsius Monarchiae ratio non admitteret. Quantum itaque Cambium pro Maritimis partibus in recompensationem dandum concernit, dignetur Majestas Vestra Sacratissima in benignam reflexionem summere, quod per Maritimarum partium, quae in Articulo 71. 1681 et subsequis in rem hanc conditis Legibus Bona Frangepano-Zrinyana Maritima et Trans-Colapiana audiunt, Regnó reapplicationem, nil novi accedat aut adjiciatur, sed unice Legum effectus per Divos Hungariae Reges praedecessores et Majestatem quoque Vestram Sacratissimam promissus procuretur et exercitium jurisdictionis officialatus maritimi renitentia impeditum restituatur, consequenter hujus intuitu aliquod aequivalens a Regno praetendi haud possit, tanto quidem evidentius, quod omnis ejusmodi excorporatio sit et redoleat a Regno et Sacra Corona jurisdictionis alienationem; haec autem 21. 1647, 3. 1715 et 8. 1741 Articulis adeo praecauta est, ut nos facto nostro potissimum extra Generalia Regni Hungariae Comitia eam absolute ingredi possimus eo evidentius, quod occasione illius in Anno 1768 ad Carlostadium factae excorporationis Regnicolae spe omni ullo unquam tempore ad Bona etiam solido radicali et donationali jure possessa et militari cessa redditus privati sint, dum fassione solemni mediante jura sua cessare debebant.

Et sane si hoc excorporationis tam amplae projectum in effectum deduci deberet vel posset, quid aliud praevidere est, quam novum militarem et politicam Regni jurisdictionem Statumque inter odiorum, dissensionum et differentiarum fomitem excitatum iri; Civitas namque Carlostadiensis (Arce cum Pomoerio Statui Militari remansura) in Liberam et Regiam Civitatem evehenda Regno incorporanda benigne insinuatur, cum tamen secundum sui naturalem situm, quia videlicet ab oriente, meridie et occidente semper Militari jurisdictione cincta esset, et ultro per pomoerij excisionem etiam ex Septemtrionali parte cingetur, si pomoerium vel in minima parte pro Statu et jurisdictione Militari excindatur, nullum suburbium imo ne quidem liberam viam aut pro foro quotidiano aliquod spatium reservatura sit, consequenter ad statum tantae Constrictionis ponetur, ut nec Commercio, nec Liberarum et Regiarum Civitatum sistemali administrationi deservire poterit, quae caeteroquin si a jurisdictione Militari eximatur et ad Statum Liberae et Regiae Civitatis collocetur, Comitatui Zagrabiensi, in gremio cujus sita est, quoad politicam jurisdictionem subjici et ingremiari incorporarique posset; ita et Bona excorporari projectata, ideo pro inclavatis declarata, quod Militari adjaceant Sztenichnyak, Claustri Paulinorum Kamensko, nec non sua serie recensita Episcopatus et Praeposituræ Capitulique Zagrabiensis, ita rippae Colapianae adsita sunt, ut in sinistra jam ab olim turbulentis illis irruptionum hostilium temporibus propter personarum et facultatum securitatem, partim etiam propter aquarum inundationes habitationum Loca in altera seu dextra rippa maxima in

parte ad subsistentiam populi necessaria arabilia et falcabilia terrena, imo ipsae Sylvae et pascua jaceant; insupor vero generice Bona Episcopatus et Praepositurae Zagrabiensis, in specifico vero Capituli Zagrabiensis, Sziszekiensi excorporationi per projectum subjiciuntur: constat autem et palam certum est, Eppiscopatum ultra et praeter Hrastovicensem Praeposituram, Bona in utraque rippa Colapiana possidere, denique Arcem Sziszek cum totali Bonorum eo nomine vocatorum Corpore (solis binis, Komarovecz et Blinya, possessionibus ac sylvis, ad caput Bonorum pertinentibus et in dextra rippa situatis, exceptis) in ripa omnino sinistra jacere et Latius Savum ac Odram versus in Regni jurisdictionem nulli nclavationi obnoxiam protendi; unde quid aliud expectandum venit, quam, quodsii ita in genere antelata Eppiscopatus, Praepositurae et Capituli aliarumque complurium Familiarum bene meritarum jura et Bona ampliora, ideo, quia militari adjacent, per projectum Aulae Bellici Consilii Regno caeteroquin inaudito et in partem pertractationis nunquam vocato involvi, quae non inclavata, sed contigue adjacentia sint, imo ipsa Militaria loca nonnulla magis provincialia inclavarentur, et tamen propterea titulum aquisitionis ut uni ita alteri Statui non praeberet declarari et denique excorporationi lege vetitae subjici possent, majores Limitum et jurisdictionum ac unquam erant Confusiones differentiasque sequi et tandem hoc titulo nunquam cessaturas excorporationes ad nova projecta deventuras esse, quod utique a pientissima Majestatis Vestrae Sacratissimae mente alienum esse firmiter speramus.

Ipsa porro excorporatio, si etiam ex ratione Status et in Monarchiae Conservationem inevitabilem fieri deberet, quae ut projectata est, tanti momenti est, ut Comitatus Zagrabiensis actualis jurisdictionis et possessorii facile quartam partem superet, in sensu sistemalium Regni Legum extra generalia Regni Hungariae Comitia institui non possit, nos enim partem saltem Sacrae Coronae constituimus et in praejudicium ejusdem Sacrae Coronae ac Regni Hungariae nil agere possumus.

Proinde Majestati Vestrae Sacratissimae praemissa rationum momenta omni hic in parte candide et sincere exposita de genu humillime substernimus supplicantes, ut iis in benignam reflexionem demptis tam novi Comitatus Szeverinensis errectionem et instaurationem, quam omnem ad Statum Militarem quocunque sub titulo provincialis politicae jurisdictionis excorporationem clementer antevertere, et si quid utrisque his in meritis agendum esset, ad futura Generalia Regni Hungariae Comitia benigne relegare rebusque in statu quo conservatis reservare dignetur Majestas Vestra Sacratissima. In reliquo vero in obsequium et altissimum Majestatis Vestrae Sacratissimae servitium vitam et sanguinem consecrantes emorimur

Majestatis Vestrae Sacratissimae

Dabantur ex generali nostra pro 27. et sequentibus Octobris Mensis Zagrabiae celebrata Congregatione.

Humillimi perpetuoque fideles subditi N. N. Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Status et Ordines.

A tergo:

Humillima Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae in merito erectionis novi Severinensis Comitatus et ad Statum Militarem desideratae

excorporationis repraesentatio. — Prima DD. SS. et OO. Regni ad benignam Regiam resolutionem e generali pro 27. Octobris 1777 considente Congregatione.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. a. 1777. Nr. 36.

CCLXIII.

Anno 1777. die 10. Novembris. In Mrkopalj.

Relatio Comitatus Severinensis de sui Instauratione et accepta organisatione, e prima sua generali Congregatione 10-a Decembris 1777, Consilio Croatico praestita, demonstrans, Commercialem Communitatem Fluminensem una cum suis possessionibus Podbreg et Lopacza in dicto Comitatu Severinensi quoad contributionem ante Diplomatis Elibertationalis ddo. 23. Aprilis 1776. emanationem taxatam, Regnoque Croatiae immediate incorporatam, hancque incorporationem usu roboratam fuisse.

Excelsum Consilium Regium, Domini nobis gratiosissimi, collendissimi! Posteaquam secundum Tenores gratiosi Excelsi Consilii Regii de dato 14-ae Maji anni labentis 1777, ad Dominum Supremum Comitem neo-erecti Comitatus hujus de benigno Jussu Regio emanati. ac Nro. Marginali 536. signati Intimati, idem Dominus noster Supremus Comes in merito Instaurationis ejusdem Comitatus generalem pro 10. et sequentibus decurrentis Mensis Novembris anni aeque delabentis 1777 diebus, in Possessione Merkopail, praefato Comitatui adjacente, indixisset Congregationem, cunctosque Comitatus hujus gremiales Status et Ordines de praeapposito celebrandae Instaurationis Termino Litteratorie edocuisset, ac conformiter ad posterius de dato 25-ae Septembris anni praescripti ad eundem Dominum nostrum Supremum Comitem sub Marginali Nro. 1011 emanatum gratiosum Excelsi Consilii Regii Intimatum, ipsum etiam vicinum Comitatum Zagrabiensem, quatenus hic pro praescripto loco et Termino Deputatos suos ad mentem Benignarum Resolutionum Regiarum cum Regia Commissione ibidem adfutura in Comitatuque hoc Szeverinensi processuros exmitteret, interea autem exactionem quanti Contributionalis et Domestici in partibus Transcollapianis Jurisdictioni praefati Inclyti Comitatus Zagrabiensis prius subjectis, jam vero Comitatui huic Szeverinensi accedentibus, inde a 1-ma Novembris anni currentis 1777. sisteret, Litteris suis isthic in Copia advolutis officiose requisivisset, quo minus Benigna haec dispositio Regia circa Objectum partium ad complendam novi hujus Comitatus integritatem ex Districtu Transcollapiano eidem Comitatui Zagrabiensi

subjectarum et Comitatui huic nostro resignandarum Clementer elargita, debito effectui mancipari potuerit, illud omnino obstitit, quod praefatus Comitatus Zagrabiensis nullum ex parte sua ad qualemcunque praemissorum intuitu pertractationem, vel proceduram, ex rationibus in advoluto itidem isthic in Copia ejusdem Comitatus Responso contentis, ingressum se facere posse declaraverit.

Quantum tamen ipsam Comitatus hujus Instaurationem attinet, non obstante eo, quemadmodum in erectione novi hujus Comitatus Benignitatis Regiae et vere maternae ad provehenda Boni publici commoda Sollicitudinis insigne documentum perenni gratitudine suscipimus et homagiali devotione sumus venerati, ita congregatis pro praescripto Termino reliquis Comitatus hujus Statibus et Ordinibus, ejusdem Comitatus Instaurationem et in merito nonnullorum etiam aliorum in Benignis Resolutionibus Regiis expressorum, discutique per nos clementer demandatorum negotiorum, generalem Congregationem omnino celebravimus, cujus Acta dum Excelso Consilio Regio hicce acclusa demisse submittimus, una Excelso Consilio Regio humillime referimus, relate ad 4-um in iisdem Actis contentum Articulum, Salaria Magistratualium nostrorum, aliasque in Schemate isthic adnexo contentas necessitates domesticas eferre universim florenos 7050, *Communitatis vero Fluminensis annuum quantum Contributionale calculatum in Actis Commissionis Aulicae die 18-a Aprilis 1776 ad florenos 978 xr.* 19$^1/_2$ *assurgere* ex Contributione denique pro anno 1766. per Statum Militarem exacta pro Statu Provinciali nonnissi florenos 1043 xros. 34$^3/_4$ cadere. —

Hinc ad complendam quidem praeviam in Schemate Salariali expressam Summam, quemadmodum pro imponendo Dominiis quoque Chabar, Brod et Grobnik, Dominiis item Cameralibus, ex Districtu antehac Commerciali efformatis, Quanto Contributionali, necessariam eatenus per Suam Majestatem Sacratissimam mediante Benigno de dato 26-a Juli 1776 ex Consilio Cancellariae Regiae HungaricoAulicae ad Excellentissimum Dominum Gubernatorem Fluminensem emanato Decreto Aulico et tenoribus postremae Benignae Resolutionis demandatam eorundem Dominiorum Conscriptionem relate ad efformandam justam proportionem omnino proxime aggrediemur, ita et fundamento relate nempe ad Constitutivum et summam ipsius quanti Contributionalis ad mentem ibidem provocati Decreti Aulici Quantum Contributionis juxta ejectationem anni 1770 in Schemate per Suam Majestatem Sacratissimam Benigne approbato contentum in fl. 3742 xr. 50 per nos ex generali hac Congregatione, inclusa etiam parte, quae ex praemissa Summa Communitati Commerciali Buccariensi inhaesura est, et per nos Communitatemque illam peracta mox Conscriptione, pro justo et aequo ab invicem separabitur, assumptum haberi demisse significamus, tamque Summam hanc, quam et refusionem Anticipationis florenorum 10.000 in Benignis Resolutionibus Regiis contentam, pro Salariis Status Personalis, comparatione praeterea Domus Comitatensis, aliisque necessitatibus extraordinariis, in praeadvoluta Tabella uberius expressis, adinterim deservientis nobis applacidare gratiose dignetur. — Caeterum illud etiam Excelso Consilio Regio humillime referimus, quod cum plenariam repartitionem et ejectationem praemissi Quanti Contributionalis antelatis Dominiis uberius imponendi, impositae item Domesticae relate ad quantitatem Summae Benigna Ratificatio Regia, relate vero ad proportionem individualis Quanti ipsa Locorum Conscriptio praecedere debeat, ne interea omnis incassatio in aggravium ipsorummet Contribuentium suspensa remaneat, per mo-

dum interimalis impositae, hoc titulo cuivis Domui xros 45. simus adrepartiti, *ea ratione, ut huic oneri etiam Possessiones binae Academiae Fluminensis Podbreg et Lopacza per immutationem praestationum Sbir et Sztrasa compellatarum, et hactenus per easdem dependi solitarum, simili modo sub titulo Contributionis subjecta habeantur.*

Quantum porro specificatos in Tabella Cassae Domesticae florenos 2000 concernit, Excelso Consilio Regio demisse referimus, hos titulo refusionis anticipationis Cameralis in fl. 10.000 eventualiter adnotatos quidem haberi, demissam nihilominus opinionem nostram illam esse, quod ab his plebs Contribuens Comitatus hujus relevari omnino posset, si ad Tenorem hic adnexi Cameralis Intimati, ad Excellentissimum Dominum nostrum Supremum Comitem expediti, in sortem hujus bonificationis ipsum praeadnotatorum 3742 florenorum et crucigerorum 50 Contributionale Quantum assumatur, exindeque Cassae Militari Zagrabiensi nonnisi annui floreni 1742 crucigeri 50 per quinquennium dependantur, donec nempe per annuos florenos 200 Cassae Camerali Posoniensi dependendos praemissa anticipatio fuerit expuncta.

Super quibus omnibus dum gratiosam Excelsi Consilii Regii Resolutionem humillime efflagitamus, una quoad superius insinuatam Partium Transcolapianarum per Deputatos Comitatus Zagrabiensis instituendam resignationem in iisdem Partibus inde a 1-a Novembris anni currentis sistendam Contributionem attinet, quo debita manipulandae Comitatus hujus tum Jurisdictionis, cum et Cassae ratio iniri possit, eidem Excelso Consilio Regio demisse supplicamus, quatenus congruos eatenus ordines ad praefatum Comitatum Zagrabiensem expedire gratiose dignetur. Qui in reliquo altis Excelsi Consilii Regii gratiis humillime commendati perseveramus.

Ex opere: De Jure Croatiae ad Urbem Portumque Fluminensem.

CCLXIV.

Anno 1778. die 10. Aprilis. Viennae.

Maria Theresia Comitatum Severinensem instituit.

Nos Maria Theresia, Divina Favente Clementia Romanorum Imperatrix Vidua, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, Lodomeriae, Gallitiae, Bosniae, Serviae, Cumaniae et Bulgariae Regina Apostolica, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae et Carnioliae, Magna Princeps Transylvaniae, Marchio Moraviae, Dux Brabantiae, Limburgiae, Lucemburgae, Geldriae, Vürtembergae, Superioris et Inferioris Silesiae, Mediolani, Mantuae, Parmae, Placentiae et Gvastallae, Auschviczy et Zatori, Princeps Sveviae, Comes Habspurgi, Flandriae, Tyrolis, Hannoniae, Kyburgi, Goritiae et Gradiscae, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviae, superrioris et inferioris Lusatiae, Comes

Mamurci, Domina Marchiae Sclavonicae et Mechliniae, Vidua Dux Lotharingiae et Barri, Magna Dux Hetruriae &c. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit Universis: Quod Nos, posteaquam pro singulari illa vereque Materna, qua in percharum Nobis Hungariae Regnum Partesque Eidem adnexas nullo non tempore ferimur, Propensionis et Benevolentiae studio, incessanti in provehendis omni ratione fidelis Nobis subditae Gentis Hungarae commodis vigilantes cura et sollicitudine, Commercium quoque Regni hujus, quod angustis nimium hucadusque Limitibus circumscriptum erat, ex quo nihilominus innumerae omnem in Rempublicam promanant Utilitates, quodve ad solidam perfectamque Regni cujusvis felicitatem ut plurimum conferret, novis incrementis augere, illudve in perpetuum Materni affectus Nostri Testimonium et argumentum quam firmissime stabilire benigne decrevissemus, atque hoc Consilio ardentissimis Regnicolarum votis jam dudum exoptatam, summisque omni tempore Desiderijs suspiratam Partium Maritimarum, quae dissolutis Maritimis Regni Croatiae Comitatibus distinctis subinde Gubernijs creditae erant, Reincorporationem motu proprio, ac tempore ubi minime putabatur, benigne resolvissemus, hacque ratione iteratis in Regni Diaetis antenatorum Fidelium Statuum et Ordinum Regni precibus clementer deferendo, factae etiam Eisdem Inaugurationis Nostrae tempore solenni de reapplicandis successive Sacrae Regni Coronae ijsdem Districtibus et Provincijs, quas ad Eandem ab olim Jure pertinuisse, temporumque vicissitudinibus ac per varias circumstantias avulsas esse dignoverimus, in Verbo Regio Promissioni Nostrae satisfecissemus, Vigoreque Benignae Resolutionis hujus Nostrae Portus Buccari, Buccaricza et Porto-Ré, cum omni juxta Viam Carolinam posita Colonia, praehabitoque ibidem Commerciali Districtu, Sex Castellanatus Bonorum Buccariensium complectente, ipsam praeterea Civitatem Carlostadiensem in Liberam Regiamque Civitatem evehendam, Regno Croatiae in specie reincorporari fecissemus; ultra haec porro Urbem et Portum liberum Fluminensem peraeque incorporando adjecissemus; Benigne una decrevimus, ut ex neo-reincorporatis praevia ratione Partibus (ijs unice, quae pro Rei Commercialis Manipulatione necessariae, ad immediatam quoad universa Publica, Politica et Judicialia non secus et Oeconomicalia constituti eatenus Gubernatoris Fluminensis Littoralisque Hungarici Jurisdictionem pertinebunt, et adjicientur, Portu utpote et urbe Fluminensi nec non alijs tribus Portubus Buccari, Buccaricza et Porto-Re, cum Incolis ac Terrenis suis, aliisque Locis Districtus ejusdem Littori Maris contiguis, qualia essent Tersactum, Costrena et respective Draga, exceptis), in veteris Vinodoliensis Comitatus locum novus Comitatus Szeverinensis Nomine insigniendus efformetur et erigatur, Eidemque non modo, ut justam Comitatus Extensionem nanciscatur, ferendorumque Onerum, praecipuè vero conservandae Viae Carolinae par efficiatur, verum Manipulationi etiam Commerciali aptior reddatur, Districtus Trans-Colapianus, qui hactenus quidem Jurisdictioni Comitatus Zagrabiensis suberat, ob remotiorem tamen situm difficulter admodum administrabatur, majori publici utilitate adjiciatur. Praemissa autem ratione errigendum, atque per operantem actu in negotio Excorporationis Corporum et Districtuum ex Provinciali ad Militare Localem Commissionem suis Limitibus accurate distinguendum, ad Normam et ad instar aliorum Regni Hungariae Partiumque eidem adnexarum Comitatuum efformari et in omnibus conformem fieri benigne volumus. Atque ideo Politica quaevis et Provincialia objecta, modalitate alias in Regno hoc introducta

et usitata, in Comitatu hoc quoque geri tractarique oportebit; adeoque in gremio illius, dum et quando necesse fuerit, Generales cum Interventu etiam, qui adesse voluerint, Dominorum Terrestrium Eorundemque Officialium, praevie semper per Curentales (uti moris est) invitandorum, Congregationes pro tractandis ejusmodi publicis Negotijs habebuntur; Quantum Contributionale, postquam ex instituenda Comitatus Conscriptione aequa et justa illius Proportio inter Loca Comitatus elaborata fuerit, a Contribuentibus de tempore in tempus sub onere dandarum desuper Rationum medio constitutorum Generalis et Particularis Comitatus Perceptorum, debite semper exigetur et defectu absque omni persolvetur, solutum demum ad Cassam Comitatensem colligetur, inde vero ad Cassam Nostram Militarem erga Quietantias illic percipiendas fideliter administrabitur; Omnia denique, quae ab Incolis quocunque titulo praestanda veniunt, eo quo spectant in tempore aeque praestabuntur et administrabuntur; super omnibus autem perceptis et erogatis constitutus Comitatus Perceptor mox finito anno Militari cum requisitis Probis et Documentis sufficienter instructas Rationes, prout in Hungariae nec non Sclavoniae Regno usu venit, exhibebit, nolens vero vel intermittens compulsivis etiam medijs, idcirco praescriptis, per Magistratum cogetur. Elaborata vero semel inter Contribuentes suo legali modo Proportio absque gravi ratione publicaque Comitatus Determinatione vel in minimo immutari nequibit. Cujus intuitu ea, quae Leges Regni et signanter Articulus sexagesimus Tertius Anni Millesimi Septingentesimi Vigesimi Tertii in praemissis praescribunt, exacte observari debebunt. Processus et Litigia, quae inter Terrestres Dominos, vel alios Nobiles, ibidem sive in personalibus sive realibus vertentur, ac vi Legum Regni Foro Comitatensi dijudicanda competunt, Magistratus pro administratione Justitiae per Partes suo modo requisitus et interpellatus, servatis de jure servandis, in hoc sibi concredito Comitatu dijudicanda assumet et decidet, Partibusque Justitiam juxta Regni Leges exacte et celeriter administrabit, admissa pro qualitate Causarum et Dictamine Legum intra vel extra Dominium, si causa appellabilis sit, a Vice-Comitibus et Judicibus Nobilium in Partibus (uti dicitur) procedentibus ad Sedem Judiciariam Comitatus, singulis Annis quoties necesse fuerit in Comitatu debite aeque celebrandam, inde autem ad Tabulam Nostram Banalem Appellatione. Occasione vero celebrandarum Sedium Dominalium Judex Nobilium cum Jurato Assessore praesentes semper adesse debebunt, diligenter illa, quae ijsdem secundum praescriptum Legum incumbunt, curaturi. Et quia Magistratum hujusce Comitatus adinstar aliorum Comitatuum jure etiam Gladij gaudere benigne velimus, Hinc jure hoc in solerter perquirendis et pro demerito puniendis Praedonibus aliisque malefactoribus ad exigentiam sancitarum eatenus Patriae Legum, pro quiete et Tranquillitate publica utentur. Statum porro Personalem et Salarialem Magistratualium Comitatus hujus, per Nos pro prima hac vice erga Propositionem clementer per Nos resoluti Supremi Comitis Josephi Maylath de Székhely, Consiliarii Nostri Intimi, praefati Portus et Urbis Fluminensis totiusque Littoralis Hungarici Gubernatoris, benigne denominatorum (subdivisione Comitatus hujus pariter juxta Opinionem ejusdem in duos Processus, alterum Maritimum, alterum Colapinum nominandum, instituenda, individuali autem Processus unius ab altero Divisione Ipsi Magistratui ac respective Universitati Comitatus relinquenda) illi conformem, qui in alijs quoque Regni Hungariae Partiumque eidem adnexarum Comitatibus praeexistit ac respective

rectae proportionis exegit ratio, efiximus. Quoniam autem in Regno Hungariae Partibusque eidem adnexis illa observaretur Modalitas, quod quivis Comitatus Competentia Supremis Comitibus alijsque Officialibus et Servitoribus Comitatensibus Salaria ex Cassa sua Domestica persolvat: Ideo hic quoque ea Methodus observanda erit, ut universa Salaria et Stipendia Magistratualium et eorsum spectantium aliaeve quaevis particulares Comitatus Expensae exinde persolvantur; Cassa haec tamen Domestica cum Contributionali nunquam commisceatur et confundatur, verum separatae et distinctae super hoc Rationes a Perceptore quotannis indispensabiliter exigantur, exactaeve revideantur, censuratae vero utriusque Ordinis Rationes, esto ab invicem separatae connexive tamen se habentes, Sigillo Comitatus et Subscriptione Magistratualium authenticatas, constituto in Regnis Croatiae, Dalmatiae et Sclavoniae Consilio Regio Varasdinum mittantur, cui nunc dicto Consilo Regio in omnibus ad instar aliorum Comitatuum Regnorum Croatiae et Sclavoniae suberit, ac medio ejusdem de cunctis demissas suas Repraesentationes Majestati Nostrae facturus et benigna etiam Mandata Nostra eodem canali percepturus .est. Cum vero pro pertractandis publicis Negotijs Domus quaepiam Comitatensis, qua omnes reliqui etiam Comitatus provisi essent, foret necessaria, pro tali in deligendo apto Loco errigenda, vel vero aere parato comparanda, errectaeque vel comparatae Domus Instructione Cassa Domestica Comitatus, unde similes erogationes fieri valerent, nulla adhuc praeexistente, Anticipationem Decem Mille florenorum ex Aerario Nostro Camerali, ea tamen cum Obligatione: Quo Summa haec intra quinquennium cum annua rata bonificetur, benigne resolvimus; Ipsam autem Bonificationem, habita reflexione Contribuentis novelli hujus Comitatus Populi, ea ratione praestandam clementer admittimus: Ut ex interimaliter Comitatui huic admensa Ter Mille Septingentorum Quadraginta Duorum florenorum, Quinquaginta Cruciferorum, Quotta Contributionali, per Quinquennium, donec nimirum anticipata haec Summa integre expuncta fuerit, Bis Mille florenis in Sortem Quanti Contributionalis imputatis, Cassae Militari nonnisi Annui Mille Septingenti Quadraginta Duo floreni, Quinquaginta Cruciferi, inferantur. Denique quum ad plenum et perfectum Comitatus hujus Stabilimentum ejusdemque Instaurationem Concessio Sigilli Authentici, sub cujus videlicet munimine Judiciariae Sententiae, Contractus item Solennes, nec non Emptiones ac Venditiones aliaeque publicae Forenses videlicet et Politicae Negotiationes et Expeditiones firmiores ac fidedigniores reddi possent, quaeque ad perpetuam rei memoriam rectarumque Actionum Normam ut plurimum faciunt, adhuc desideraretur: Hinc ad humillimam Fidelium Nostrorum totius Universitatis Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium novelli hujusce Comitatus Szeverinensis Supplicationem, ex prima sua in Mercopail celebrata Congregatione Nostrae propterea factam Majestati: Quo idem ex gratia et Clementia Nostra Caesareo-Regia ad legalem caeterisque Comitatibus parem positus Activitatem Informationes suas altioribus Instantijs Nostris reliquorum regulatorum Comitatuum adinstar sub fide dignitate de Lege Regni Comitatibus competente submittere, Processusque Juridicos coram se promovendos ac alias tam in Juridicis quam Politicis occurrentes Expeditiones suas sub authentico facere, Negotia denique Comitatus hujus tanto majori cum Exactitudine manipulare possint, ex speciali Caesareo-Regia Gratia Nostra deque suprema Potestatis Nostrae Plenitudine id clementer indulgendum et concedendum esse duximus: Quatenus Sigillum pro

praemisso Usu confectum habere, eodemque in signatione omnium et quarumlibet Expeditionum suarum instar aliorum praefati Regni Nostri Hungariae Partiumque Eidem adnexarum Comitatuum Ceraque rubra uti possint. Cujus quidem Sigilli Arma et Insignia sequentia forent: Scutum videlicet erectum, horizontaliter seu transversim sectum, ac superiore Parte polariter bipartitum; Pars prima exhibet Tesselas antelati Regni Nostri Croatiae Argento et minio stratas: Pars secunda e Digmate pervetustae et a Seculis florentis Familiae Majláth de Székhely, ex qua nimirum rementionato huic Comitatui Szeverinensi de providentia Nostra Regia primus obtigit Supremus Comes et Moderator, refert in Area Cyano tincta Anchoram Argenteam, Pugione aureo, fulgente Copulo et viridi Ramo Olivae decussim inscriptis, oneratam. Pars demum Scuti inferior caerulea, ad Allusionem Portus Regii in Comitatu hocce Szeverinensi constructi, cernitur inter praealtos candicantes Scopulos seu Montes petrosos Commercialis Maritima Navis, expansis Velis, albo viridi et rubro Coloribus Ungaricis tinctis extremitati Navis sinistrae infixo minuto Rubro Vexillo, Crucem et quaternos Fluvios Ungaricos referente. In Centro majoris hujus Scuti continetur aliud minus Pectorale dictum Scutum Aureum, de peculiari Clementissima Concessione Nostra initialibus Augustissimi Imperatoris Filii Nostri Carissimi et Nostri nominum I. u. M. T. conspicuum. Eidem huic Scuto Majori incumbit Corona Vulgaris aurea; Telamonum Vices obeuntibus hinc Leone aureo, illinc Aquila nativi Coloris, Capitibus a Scuto aversis. Sigillum vero ipsum haec Epigraphe seu superinscriptio: S i g i l l u m C o m i t a t u s S z e v e r i n e n s i s, circumdare visitur: Quemadmodum haec omnia in principio seu Capite praesentis Doplomatis Nostri, Pictoris edocta manu et artificio proprijsque et genuinis suis coloribus clarius depicta et ob Oculos intuentium lucidius posita esse conspicerentur; annuentes et ex certa nostra scientia animoque deliberato concedentes, ut Idem Comitatus Szeverinensis vigore praesentis benigni Diplomatis Nostri plenum suum stabilimentum et Consistentiam accipiens, atque ad parem cum reliquis Regni Nostri Hungariae Partiumque Eidem adnexarum Activitatem per Nos positus a modo in posterum futuris et perpetuis semper Temporibus in omnibus et singulis Litteralibus Instrumentis et Expeditionibus tam Forensibus quam Juridicis aliisque quibuslibet Nomine Universitatis saepefati Comitatus Szeverinensis expediendis Litteris Cerave rubra ex benigno Indultu et Gratia Nostra speciali clementique Annuentia uti semper possit ac valeat, Imo indulgemus, annuimus et concedimus, roboramusque et approbamus hujus Nostri Secreto Majori Sigillo Nostro, quo ut Regina Hungariae utimur, impendenti communiti Diplomatis vigore et Testimonio. Datum per manus Fidelis Nostri Nobis sincere dilecti Spectabilis ac Magnifici Comitis Francisci Eszterházy de Galantha, Perpetui in Frakno, Aurei Velleris et una Insignis Ordinis Sancti Stephani Regis Apostolici Magnae Crucis Equitis, Camerarij Consiliarique Nostri Actualis Intimi, Comitatus Mossoniensis Supremi Comitis, Curiae Nostrae Regiae Magistri et per antelatum Nostrum Hungariae Regnum Aulae Nostrae, prout et praefati Insignis Ordinis Sancti Stephani Cancellarij, in Archi-Ducali Civitate Nostra Vienna Austriae, Die Decima Mensis Aprilis Anno Domini Millesimo Septingentesimo Septuagesimo Octavo, Regnorum Nostrorum Hungariae, Bohemiae et reliquorum Anno Trigesimo Octavo. Reverendissimis, Illustrissimis, Reverendis item ac Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis Josepho e Comitibus de Batthyan Perpetuo in Némethujvár, Sacri Romani Imperij Principe, Strigoniensis, Adamo

Libero Barone Patachich de Zajezda, Colocensis et Bacsiensis Ecclesiarum canonice unitarum Metropolitanarum Archi-Episcopis; Comite Francisco Zichy de Vásonkő Jaurinensis; Comite Carolo Eszterhazy de Galantha Agriensis; Christophoro e Comitibus Migazzi de Vaal et Sonnenthurn, Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinale, Principe Sacri Romani Imperij, Administratore Vaciensis; Josepho Gallyuff Zagrabiensis; Joanne Baptista Cabalini de Szlavnigrad Szegniensis et Modrusiensis seu Corbaviensis; Mathaeo Francisco Kerticza Bosnensis seu Diakoviensis et Syrmiensis; Comite Ladislao Kollonich de Kollegrad Transylvaniensis; Carolo Szalbek Scepusiensis; Comite Francisco Berchtold Libero Barone ab Ungerschitz Neosoliensis: Comite Antonio de Reva Rosnaviensis; Josepho Bajzath Veszprimiensis; Joanne Szilly Szabariensis; Ignatio Nagy de Sellye Albaregalensis; Emerico Kristovics Csanadiensis; (Sedibus Magno-Varadiensi, Nittriensi et Quinque-Ecclesiensi vacantibus); Antonio Zlatarich Belegradiensis; Georgio Richvaldstky Tenagriensis; Stephano Nicolao Jaklin de Elephant Electo Almisiensis; Comite Sigismundo Keglevich de Buzin Electo Makariensis; Ladislao Kovács Electo Scardonensis; Raphaele Szent-Ivanyi Electo Arbensis, etc. Ecclesiarum Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus; nec non Serenissimo Duce Domino Alberto per Regnum Nostrum Hungariae Locumtenente Nostro Regio, Spectabilibus item et Magnificis Comite Georgio Fekete de Galantha, Judice Curiae Nostrae Regiae; Comite Francisco de Nádasd, Perpetuo Terrae Fogaras, Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bano; Comite Adamo de Batthyan, Tavernicorum; Illustrissimo Sacri Romani Imperij Principe Nicolao Eszterházy de Galantha, Nobilis Nostrae Turmae Praetorianae Hungaricae Capitaneo; praelibato Comite Francisco Eszterházy de dicta Galantha, Curiae, Comite Joanne Csáky de Keresztszeg, Agazonum, Comite Francisco Döry de Jobbaháza, Pincernarum, Comite Joanne Erdödy de Monyorokerék, Cubiculariorum, Comite Antonio Károly de Nagy Károly, Dapiferorum, Comite Leopoldo Pálffy ab Erdöd, Janitorum Nostrorum Regalium per Hungariam Magistris, ac Comite Joanne Pálffy ab Erdöd, Comite Posoniensi, caeterisque quam plurimis saepefati Regni Nostri Hungariae Comitatus Tenentibus et HONORES.

Maria Theresia m. p.

Comes Franciscus Eszterházy m. p.

Franciscus Gyüry m. p.

(*Magnum Sigillum Regium pendens in zona aurea.*)

Orig. perg. in Archivo I. Comitatus Zagrabiensis.

CCLXV.

Anno 1790. die 2. Septembris. Budae.

Veto Bani Comitis Joannis Erdödy de Acatholicis in Regna Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae non admittendis, in Comitiis Regni Hungariae dictum.

Siquidem occasione praesentium Comitiorum per Diplomaticum in merito Augustanae et Helveticae Confessionis addictorum ab Inclytis Statibus et Ordinibus Regni Hungariae conditum Articulum id constitutum sit, ut memoratae Religiones ad Statum Pacificationum Linciensis et Viennensis reponantur et pro repositis ipso facto declarentur, quin ulla Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae facta fuerit exceptio:

Hinc, ne dictis Regnis, in quibus memoratae Augustanae et Helveticae Confessioni addicti nec Religionis exercitium, neque Possessionum capacitatem unquam habuerunt, ex supracitato II. Statuum Regni Hungariae Deciso imminere possit praejudicium, Ego, qua praerepetitorum Regnorum Banus, hisce declaro: me tam positivae Articulorum utpote 46. 1741, 23. 1687, 125. 1715 et 86 1723 Diplomatice quoque confirmatae Dispositioni, quam et Reversalibus Dominorum Augustanae et Helveticae Confessioni addictorum, in Diaeta Soproniensi de Anno 1681 de se extradatis, firmiter inhaerere, ac in conformitate memoratorum Articulorum et Reversalium nullatenus consentire posse aut velle, ut Favores praelibatis Dominis per supracitatum Articulum praesentis Diaetae concessi, ultra quam intra ambitum Regni Hungariae, adeoque huc non intellectis Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, extendantur. Et siquidem non obstante iterata tam mea, quam et Ablegatorum, ex Parte dictorum Regnorum ad hanc Diaetam exmissorum, interpositione, supradicti de Regnis his sonantes Articuli salvati haud essent, ad aboliendum omne in Regnis Directioni meae creditis praejudicium (Juribus caeteroquin praelibatorum Regnorum sua via prospecturus), solemniter protestor et contradico praesentium vigore, petendo super hujusmodi Protestatione et Contradictione Authenticas Litteras Testimoniales extradari. Datum Budae die 2. Septembris Anno Domini 1790.

Comes Joannes Erdödy m. p.
Regnorum Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae Banus.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae inter Acta Banalia. A. 1790. N. 113.

ADDITAMENTA.

I.

Anno 1151.

Geysa II., Hungariae, Dalmatiae Croatiaeque Rex, juramentum Colomani Regis, civitatibus Croatiae et Dalmatiae praestitum, civibus Tragurinis renovat.

Anno Dominice Incarnationis MCLI., in anno regni mei II. Ego Geysa secundus, rex, secundi Bele regis filius, sceptra paterni Regni, scilicet Hungarie, Dalmatie, Croatie, Rameque jure hereditario optinens, juro super sanctam crucem vobis Tragurinis fidelibus meis civibus firmam pacem, mihi et filiis meis et successoribus tributarii ne sitis, Episcopum vero et Comitem, quem Clerus aut populus elegerit, confirmabo etc. etc.

(Caetera ut in privilegio Colomani, quibusdam exceptis, quae hic in favorem Traguriensium speciatim statuuntur.)

Farlati Illyricum Sacrum T. IV. p. 330.

II.

Anno 1242. Clissae.

Bela IV. Rex Jadrensibus privilegia, eisdem a praedecessoribus suis concessa, confirmat.

In Nomine Patris et Filij et Spiritus Sancti. Amen. Bela Dei Gratia Rex Hungarie, Dalmatie, Chroatie. Uniuersis litteras presentes inspecturis Salutem in Domino. Presentium tenore uolumus fieri omnibus manifestum, quod ciues Jadrenses ad nos communi proposito uenientes promisserunt, quod

secundum Privilegia, a predecessoribus nostris eisdem concessa, nobis fidelitatem debitam obseruarent. Quorum uotis benigno concurrentes assensu, habito diligenti nostrorum principum consilio, decreuimus promittendum, ac promissum obseruandum, quod conuentionem, quam carissimus frater noster felicis memorie **Rex Colomanus** cum eisdem maturius ordinauerat, ratam haberemus et firmam, et effectui sepius per eosdem postulatam faceremus mancipari. Cuius conuentionis serie continetur: quod mediante fideli nostro homine, secundum consilium proborum uirorum in Jadra existentium, tantam summam pecunie, qua destructio muri, uel ruina ex parte maris ad nostrum commodum et honorem ualeat reparari, dare tenemur. Et insuper terram iacentem a Nedyri usque Reguna, preter illam, quam modo possident; item superius usque ad martindam in mare, preter terram pertinentem ad Comitatum Nonae, et terram Jubil, que est Hospitaliorum, quas eisdem non contulimus. Predicti uero Jadrenses debebunt nobis et successoribus nostris seruicia camere regie communiter exhibere, secundum quod avo nostro inclite recordationis Bele regi seruicia et fidelitatem seruarunt, salva libertate, quam ab eodem Bela habuerunt. Ut igitur dicte rei series inconcussa permaneat, litteras nostras eisdem concessimus auree bulle nostre impressione roboratas. Datum in Clitia per manus Venerabilis Patris Stephani Vaciensis Episcopi, eodem Vaciense in Archiepiscopum Strigoniensem, Benedicto Albensi preposito in Archiepiscopum Colocensem postulatis, Reuerendo Bartholomeo quinque Ecclesiense, et Bartholomeo Vesprimiense, Stephano Zagrabiense, Episcopis, et alijs Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Arnaldo Palatino et Comite Simigiense, Dionisio Bano, Laurentio Voyuoda, Matheo tauarnicorum nostrorum, Railando dapiferorum nostrorum magistris existentibus et alijs magistratus et Comitalus Regni nostri tenentibus. Anno ab Incarnatione Domini millesimo Ducentesimo quadragesimo secundo, Regni autem nostri anno septimo.

Ex Msc. Pactorum libro primo, pag. 173, in Archivo Viennensi.

III.

Anno 1248. In insula Leporum.

Maria Regina hospitibus in Virovitica privilegia tribuit.

Maria, Dei gracia Regina Hungarie, omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam posteris, presentem paginam inspecturis, salutem in salutis auctore. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod nos hospitibus nostris de **Vereuche** congregatis et congregandis eandem libertatis condicionem duximus ordinandam, quam hospites de **Sugust** ex Regie benigni-

tatis gracia favorabiliter optinuerunt. Ita tamen, quod ipsi singulis annis racione Census quadraginta Marcas in monetis Domini Regis cum eadem celeritate secundum magis et minus, sicut se qualitas temporis optulerit, in festo Sancti Michaelis, homini nostro ad hoc a nobis pro tempore constituto, solvere teneantur; preterea racione victus annuatim nobis debent dare sexcentos panes, sex boves pascuales, centum Gallinas, vini sexaginta cubulos, centum cubulos annone, cum cubulo quatuor palmarum. Nos siquidem prememoratis hospitibus, ut congregati conserventur, et congregandi securius valeant sustentari, terram ipsorum certis metis circumquaque duximus distinguendam. Cuius terre prima meta incipit a parte meridionali de magna uia, que de Valcha ducit versus Vereuche, ubi est terrea meta sub Ilice, inde progreditur versus torrentem, que dicitur Malacka potach, et transiens tendit ad quoddam virgultum, ubi est meta terrea, hinc protendendo per metas terreas per quandam planiciem vadit ad viam, que ducit in Vereuche, et ibi juxta ipsam viam est meta terrea, et transiens directe tendit ad silvam nomine Kabonak ad uiam, que est juxta silvam Ravn, et transiens directe per eandem silvam vadit ad quandam arborem, que vulgo Gyrcian dicitur, ubi est terrea meta, et hinc ad quandam uiam, que tendit versus Vereuche, ubi est meta terrea sub arbore, que Ihor dicitur, et inde ad arborem, que Has (hrast) vocatur, hinc ad arborem pomiferam, super qua est meta cruce signata, et inde tendit ad torrentem, que Seinna potok dicitur, et hinc transiens juxta silvam per metas terreas vadit ad unam viam versus occidentem, et ibi est meta terrea, inde reflectitur versus meridiem, et in radice cuiusdam montis juxta viam est meta terrea, hinc ascendit ad eundem montem, et in vertice ejusdem montis sub arbore Cerasi est meta, et descendit de monte versus occidentem, et in radice ejusdem montis sub arbore Cerasi est meta terrea, et hinc tendit directe versus fluvium Vereucha ad quoddam molendinum, et in superiori parte ipsius molendini transit ad arborem piri, ubi est meta terrea, et inde ascendit ad montem, in cujus supercilio est meta terrea, hinc descendendo ad quandam vallem ascendit ad unum ...... sub arbore Has est meta, et inde tendit ad vineam Pribnoy, hinc procedit ad arbores geminatas, quarum una est Has et altera Bik, ubi est meta terrea, et inde ascendit ad unum Berch, et per eundem Berch per metas ligneas descendit ad quoddam virgultum, ubi est meta terrea, et hinc reflectitur versus septentrionem ad viam, per quam itur de Vereuche ad villam Dus, et transiens ipsam viam directe vadit per saltus et planicies, metis in arboribus signatis ad Cheret, ubi supra arborem yegune est meta, et inde tendit in Dumbro per ligneas metas, pervenit ad quandam viam, ubi sub Ilice est meta, hinc transiens ipsam viam tendit ad aliam viam, que Kyriszt vt dicitur, ubi est meta terrea, et crux in arbore signata, et per eandem viam vadit ad Lypocha, et per eundem fluvium Lypocha venit ad magnam viam, que ducit in Vorost, et juxta ipsam viam sub Ilice est meta terrea, et per eundem Lypocha vadit inferius, et cadit in fluvium Burzoch, hinc transiens tendit ad gurgitem Chodoycha, et per eundem Chodoycha venit juxta Dravam, et procedit inferius et pervenit ad terram Ecclesie de Dobocha, ubi est meta in arbore yeguna cruce assignata, et inde separando de Drava reflectitur versus orientem, et per quandam semitam venit ad torrentem Donoch, et procedendo ab eodem Donoch cadit in fluvium Prisechna, in cuius fine fluvij est meta terrea, et inde per planicies eundo pervenit ad uiam, que ducit in Belchev,

et transiens viam directe tendit ad fluvium Sylacoycha, ubi sub arbore pyri est meta, et per eundem fluvium vadit inferius et cadit in fluvium Vereuche, et per ipsam Vereuche tendit inferius et exit de aqua ad arborem Gyrtyan, sub qua est meta, hinc procedit per magnam silvam, per arbores cruce signatas, et venit ad flumen quoddam Kopynna nomine, et ab eodem flumine reflectitur versus meridiem, et tendit inferius ad quandam viam, in cuius transitu ex utraque parte aque sunt mete, et vadit per silvam, et in transitu silve est meta terrea iuxta viam, et ibidem iuxta eandem silvam in quoddam parvo loco reflectitur ad orientem, ubi est meta terrea, et inde procedit versus Ebres ad meridiem transit per uiam, ubi est meta sub virgulto, et hinc tendit iuxta silvam Ebres, versus occidentem, ubi in arbore Has est meta, et inde declinat versus meridiem ad quandam viam, ubi est meta terrea, Hinc per eandem viam per metas terreas procedit versus occidentem, et venit ad viam, que Kyrist vt dicitur, et ab eadem via versus orientem in quodam parvo loco reflectitur ad meridiem, ubi sub arbore piri est meta, et inde procedit versus Grabroch metis terreis et arboribus cruce signatis, pervenit ad viam, que est iuxta Grabroch, et silvam Grabroch transit directe et iuxta silvam circumeundo pervenit ad magnam viam, que de Vaska ducit in Vereuchew, et per eandem magnam viam reflectitur ad priorem metam et sic terminatur. Ut igitur huius nostre ordinacionis series robur obtineat firmitatis, presentes litteras dupplicis sigilli nostri munimine concessimus roboratas. Datum in Insula Leporum per manus fidelis nostri Cancellarij Magistri Acus, Thesaurarij Albensis Ecclesie, Anno Domini Millesimo, ducentesimo quadragesimo octavo.

(Sigillum pendens.)

Originale in perg. in Archivo Regni Croatiae. N. R. A. Fasc. 590. N. 29.

IV.

Anno 1257. 2. Idus Jannuarii.

Bela IV. Rex hospitibus in Jastrebarska libertates tribuit.

Bela, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, vniuersis presentes litteras inspecturis salutem in eo, qui regibus dat salutem. Sublimitas regia, cuius est proprium in multitudine populi gloriari, solet ampliorem subditis concedere libertatem, ut per hoc famulantium numerus augeatur. Proinde ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod hospites nostri de Jaztrabarcka de comitatu de Podgoria, nobis humiliter suplicarunt, ut libertatem, qua utuntur hospites nostri de Petrina et de Zomobur, eis concedere dignaremur. Cuius

quidem libertatis forma hec est: ut uidelicet eos nullus iudicum nostrorum preter maiorem uille eorundem, quem uoluntarie elegerint, audeat iudicare, et si ab ipsorum iudice conquerentibus satisfieri non poterit, iudex eorum in nostra presencia et non alias super ipsa causa citatus teneatur et debeat respondere; et in quocunque casu inter ipsos hospites, uel per eosdem hospites contra extraneos aliquos, uel per extraneos contra ipsos hospites causa orta fuerit, eadem causa non duello, sed iuramento ac testimonio decidatur. Statuimus eciam, quod si banus eis ad ualorem unius marce dampnum fecerit, in centuplo restauret eisdem; tamen bano non aliud nisi domos suas occasione descensus dare teneantur, pro aliis uero necessariis precium recipiant; et si aliquis ipsorum prole caruerit, tam ipso uiuente quam a seculo transmigrante, bona sua cuicunque uoluerit libere conferat retinenda; et si quis ipsam uillam intrare uoluerit moraturus, omnia bona sua, domos uidelicet et alia, que possidet, omnibus scientibus liberam habeat uiuendi facultatem, et recedens de uilla, eandem retineat libertatem. Statuimus eciam, ut sacerdotem quemcunque uoluerint in suam recipiant ecclesiam, de decimis eorum proud (sic) mos est hospitibus ubicunque manentibus disponentes. Nec hoc uolumus sub silencio pertransire, quod predicti hospites nostri nobis annuatim pro collecta centum pensas, et pro tributo fori triginta pensas soluere tenentur. Ad hec, cum ijdem hospites nostri de Jaztrabarcka se terra dicerent indigere, Stephano bano tocius Sclauonie et Capitaneo Stirie dilecto et fideli nostro dedimus in mandatis, ut de terra filiorum Cuetk (Cvetko) et de terra filiorum Kundis, et de terra generacionis Draguzlay iobagionum castri de Podgoria et eciam castrensium eisdem ad tria aratra assignaret. Qui nobis personaliter retulit et per suas litteras intimauit, quod ipsis hospitibus de terra predictorum hominum, ad tria aratra iuxta nostrum preceptum assignasset, sub hys metis: Prima meta incipit a septemtrione iuxta unum monticulum, ubi est meta terrea, et inde uadit in uirgultum, ubi est meta terrea. Deinde descendit in riuulum D a l y c h, per quem uadit inferius ad portum antiquum. Deinde cadit ad magnam uiam, per quam uadit ad partes orientales, cuius dextra pars ad locum fori, sinistra uero pars pertinet generacioni Draguzlai. Deinde tendit ad partem meridionalem, ubi frutex quercus uocatur et uadit ad pirum crucesignatum, sub qua est meta terrea, inde uadit ad arborem zylfa crucesignatam, inde cadit ad riuulum C h e b d y n, ubi est meta, et ibi sumit filios Kundis sibi commetaneos. Deinde itur ad occidentem per eundem riuulum C h e b d y n, parum eundo exit de riuulo ad terram filiorum P r i b a et peruenit ad terram filiorum Cueetk, cuius dextra pars loco fori, sinistra uero pars filijs P r i b a noscitur pertinere. Deinde venit ad metam terream ad occidentem, deinde ad fruticem quercus, ubi est meta terrea, deinde uenit ad pirum crucesignatum, ubi est meta terrea, deinde ad fluuium P o d g o r i a, ubi est meta terrea. Deinde per eundem fluuium superius eundo peruenit ad m a g n u m p o r t u m, ubi iuxta viam est meta terrea. Deinde ad occidentem ad metam terream in horozt fundatam, ubi dextra pars loco fori, sinistra uero pars filijs Cuetk noscitur pertinere. Silua autem ibi existens communis esse debet iobagionibus castri et castrensibus ac hospitibus memoratis, sicut in eiusdem bani uidimus litteris contineri. Vt igitur premissa robur perpetue obtineant firmitatis, presentes litteras in testimonium perpetue firmitatis dari fecimus, sigilli nostri duplicis munimine roboratas. Datum per manus magistri Smaragdi, Albensis ecclesie prepositi, aule nostre uicecancellarij, dilecti

et fidelis nostri. Anno ab incarnacione domini millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo. ij (2) Idus Januarij, Regni autem nostri anno uicesimo secundo.

(Sigillum avulsum.)

Originale in perg. in tabulario Communitatis Liberi et Regii Oppidi Jastrebarsko.

V.

Anno 1298—1307. Chasmae.

B. Augustinus Zagrabiensis Episcopus, Privilegium liberae villae sub Castro Ugra in Comitatu Zagrabiensi sitae, a praedecessore suo Michaele concessum, confirmat.

Frater Augustinus, miseracione diuina Zagrabiensis Episcopus, omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, Quod accedens ad nostram presenciam communitas hospitum libere ville nostre sub castro de vgra, per venerabilem patrem dominum Mychaelem Episcopum predecessorem nostrum ad libertatem et subscriptas condiciones libertatis in eundem locum agregata, exhibuit nobis litteras priuilegiales eiusdem domini Episcopi, condiciones seu constitutiones libertatis ipsius communitatis continentes, petensque a nobis cum precum instancia, ut easdem litteras nostris litteris priuilegialibus confirmare dignaremur, quarum tenor talis est: Mychael dei gracia episcopus Zagrabiensis omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Vniuersorum noticie harum serie declaramus: Quod condiciones libertatis hospitum noue libere uille nostre de vgra tam presencium quam futurorum a nobis eisdem concesse eatenus ordinauimus et stabiliuimus ordinatas, quod ijdem hospites nostri mayorem uille quemcunque uoluerint ex communi voluntate eligendi seu preficiendi ac mutandi annuatim liberam habeant facultatem. Idemque maior ville ipsorum vniuersas causas pecuniales inter ipsos emergentes, vna cum senioribus ipsius ville videlicet pleno iure et iudicia pro sui vsu exigent consueta, scilicet duodecim denarios pro iudicio. Maiores uero causas, ueluti homicidia, latrocinia, furta et incendia, wlnerumque illaciones et percussiones hominum in die fori accidentes, comes noster de vgra siue castellanus pro tempore constitutus vna cum maiori ville teneantur iudicare. In quibus quidem causis due partes iudiciorum cedant ipsi comiti, terciam vero percipiat maior ville eorundem. Que quidem iudicia singula secundum merita sev qualitatem causarum exigantur et non ultra; et nulle cause inter ipsos ad duellum iudicentur, sed

per testes idoneos et iuramenta eorundem cause terminentur. Preterea quicunque ex ipsis alias se transferre uoluerit, curias et domos ac alias possessiones suas, si quas habuerit, liberum habeat vendendi arbitrium, et cum bonis suis recedendi quo elegerit, debito tamen curie sue persoluto. Si quis eciam ex eisdem hospitibus nostris heredum solatio destitutus decederet, bona sua et possessiones cuicunque uoluerit legandi et relinquendi liberam habeat opcionem. Statuimus eciam in ipsa libera villa nostra liberum forum absque exaccione alicuius tributi, die dominico celebrandum, ad quod forum die sabbati quicunque voluerint conueniant libere, usque meridiem diei lune si placuerint permansuri. Cuius quidem fori institucionem in detrimentum seu destitucionem fori fratrum nostrorum Capituli Zagrabiensis in Casna (Cassina) antiquitus preordinati esse uolumus, cum iidem fratres nostri, reformato tempore, facultatem habebunt ipsum forum restaurandi. Nec id pretermittimus, quod predicti hospites nostri a medio quadragesime nunc venturo, ad anni spacium, nobis et castellano nostro de vgra nullum censum debitum, dacia vel collectas dare aut seruicia exhibere teneantur, ymo exempti sint ab huiusmodi honere seruiciorum, siue debito; Completo uero anno annuatim in tribus festiuitatibus, uidelicet in festo sancti Regis Stephani, natalis domini, ac resurrectionis eiusdem, pascualem pecudem, singulas galinas, de singulis mansionibus, et singulos duos panes, nec non tres marcas in denariis Zagrabiensibus nobis oferre teneantur. Castellano uero nostro similiter in ipsis tribus festiuitatibus vnam ouem, viginti galinas et quinquaginta panes offerent anuatim. Volumus eciam, quod si (qui) seruiencium nostrorum fenum, pabulum aut aliquas res eorundem auferent violenter, maior uille ipsorum equum eiusdem auferendi habeat facultatem, et assignandi dampnum et iniuriam pacienti, donec eidem satisfiat de illatis. Ipsos eciam hospites nostros exemimus et liberos esse annuimus ab omni viagio, nec compelli debeant in equis uel pedites Legaciones seu litteras deferre ad nos uel alias nostris pro causis quibuscunque destinati. In cuius rei memoriam ęt perpetuam stabilitatem presentes eisdem contulimus litteras sigilli nostri patrocinio communitas. Datum Chasme (in dominica reminiscere, per manus magistri Dominici lectoris, nec non Zagrabiensis tunc prothonotarij nostri, Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo octauo). Nos igitur more pii patris, instancie et peticionum eorundem hospitum nostrorum inclinati censentes racioni consonum: tenorem eiusdem priuilegii diligenter inspectum iuste et racionabiliter emanatum conperientes, non abrasum, nec cancellatum, neque alicuius littere uicio deformatum, presentibus inseri fecimus et sigilli nostri autentici munimine roborari. In cuius nostre ordinacionis et rei memoriam perpetualem presentes eisdem hospitibus nostris contulimus sigilli nostri autentici (appressione) communitas. Datum et actum Chasme in festo sancti Georgii Martyris per manus discreti viri magistri Cirilli, prepositi chasmensis, protonotarii nostri. Anno domini M^{o} CCC^{o} Septimo.

Originale in pergameno cum Sigillo avulso, et transsumptum Jacobi Episcopi Zagrabiensis, a. 1348 in perg. una cum Transsumpto Capituli Zagrabiensis a. 1331. MSC. recentissimum, asservatur in mea collectione Diplomatum originalium.

VI.

Anno 1302. in crastino Pentecostes. In Hocucha (Okučani?).

Mladinus Šubić, Bosnae et Croatorum Banus, Spalatensibus immunitatem commercii et alia Privilegia concedit.

Nos Mladinus, Banus Boznensis, omnibus quibus expedit, tenore presentium significamus universis, quod nos diligenter consideratis et inspectis fidelitatibus et servitiis Nobilium et Communitatis Spalati, obsequiose hactenus impensis et in posterum toto posse inpendendis, hanc gratiam nostram damus, donamus et confirmamus specialem. Quod omnes mercatores Spalatenses, per uniuersum dominium nostrum Chroatiae et Boznae emere, vendere, comparare, mercimonia apportare et auferre libere valeant et possint. Nihilominus hi omnes alii mercatores sua mercimonia in Ciuitate Spalatensi volentes et desiderantes apportare, non careant eadem gratia nostra supradicta, quoniam ipsis mercatoribus super fidem nostram Deo debitam yllare promittimus obseruare. Super quo omnibus Comitibus nostris, Rectoribus, officialibus et custodibus viarum, pro tempore constitutis, Croatiae et Boznae, per haec scripta firmiter praecipiendo mandamus, quatenns praefatos mercatores Spalatenses et omnes alios in praedictam Ciuitatem Spalatensem cum mercimoniis venientes et redeuntes, in nullo aliqualiter molestare vel etiam impedire praesumatis, sed potius eisdem vestrum consilium et auxilium, si opportunum fuerit, impendatis, sub obtentu nostrae gratiae plenioris; quod si quis vestrum ausu temerario secus fecerit et huiusmodi mandati nostri transgressor extiterit, noverit se pro certo suae personae propriae periculum incurisse; et quia sigillum nostrum Banale nondum erat paratum, praesentes antiquo sigillo fecimus sigillari. Datum in Hocucha in crastin. Pentecostes sub Anno Domini 1302.

Lucius de Regno Dalm. et Croatiae. Hist. Lib. IV. Cap. XIII.

VII.

Anno 1307. die 4. Januarii. Scardonae.

Privilegium, a Paulo Croatorum Bano et Bosnae Domino Arbensi Communitati concessum.

Paulus Banus Croatorum et Dominus Bosne omnibus Christi fidelibus, quibus expedit, presentes litteras inspecturis salutem in omnium saluatore. Quum dignum petentium desiderijs dignum est nos facile prebere assensum, et ea, que in tempore fiunt, ne simul cum tempore labantur, expedit ut patrocinio litterarum roborentur. Hinc est quod ad universorum notitiam harum serie uolumus peruenire, quod consideratis dignis et justis petitionibus egregij, prouidi et sapientis viri domini Marci Michaelis honorabilis Arbensis Comitis, nec non Judicum, consiliariorum et vniuersorum eiusdem Ciuitatis: omnes terras, possessiones, pascua et nemora, que uel quas in dominio nostro habent et possident, eisdem et eorum heredibus heredumque successoribus, proutcunque (?) in eorum priuilegiis Regalibus et Banalibus tam de castro Jablana quam de aliis plenius continetur: perpetuo et irreuocabiliter, pacifice et quiete, cum omnibus suis pertinentiis habendas, possidendas et tenendas, sine contradictione aliqua per nos et nostros successores, in perpetuum confirmamus, collaudamus et approbamus, atque Jure perpetuo et irreuocabili roboramus. In cuius rei memoriam et maiorem firmitatem presentes litteras concessimus, sigilli nostri munimine roboratas. Datum Scardone die Quarta intrante Jannuario Millesimo, trecentesimo septimo.

Signum Notarii:

Ego Antonius Nimireus, Arbensis Archidiaconus, auctoritate apostolica Comes Palatinus et Imperiali Notarius publicus ac Judex Ordinarius: ex priuilegio autentico dicti pauli bani, scripto in pergamena cum sigillo cereo impendenti, quod priuilegium positum est in Archivo uel Sanctuario Arbensi, fideliter excopiaui.

Originale in civitate Arbensi, ni fallor, apud familiam Nimireo. Copia in Archivo Musaei Nationalis Zagrabiae.

VIII.

Anno 1358. die 20. Februarii. Venetiis.

Tabulae pacis inter Ducem Joannem Delfino et Ludovicum I. Hungariae Regem initae.

(Vide Doc. XCVI. P. I. p. 127.) Incipit: „Joannes Delfino Dei gratia Dux Venetiarum“. In fine post Juramentum: „et omnium Sanctorum suorum“ (pag. 130) sequitur conclusio:

Quod quidem iuramentum prestitimus in manibus venerandi in Christo Patris D. Stephani Zagrabiensis Episcopi et Magnifici viri Domini Nicolai Regie Curie Jadrensis, Ambasciatorum et Procuratorum D. D. Regis ad hoc specialiter constitutorum, sicut constat per litteras Regias, scriptas Jadre sub anno Domini 1356 die 20. Febr., sigillatas sigillo suo secreto. Nomina autem nostrorum Nobilium, qui nobiscum iurauerunt, sunt hec:

S. Joannes Lauredano Petrus Carauello Joannes Mocenigo Andreas Fosculo Laurentius Dandulo Marcus de Priolo	Consiliarii nostri Venetiarum.
et DD. Petrus Steno Marcus Barzano et Daniel Victuri	Capita Consilii de 40.
DD. Marcus Cornario Petrus Gradenico Franciscus Bembo	Procuratores S. Marci
DD. Andreas Erizzo et Nicolaus Faledro	Procuratores Ecclesiae S. Marci.

D. Marcus Lauredano
et D. Pancratius Sorgio Procur. Comm. Ven.

DD. Petrus Badoaro.
Bernardus Justiniano Proc. S. Marci.
Petrus Memo.
Bertucius Grimani
et Marcus Mauroceno.

Omnes honorabiles ciues nostri Veneti pro se ac heredibus et successoribus eorum et tota Ciuitate Venetiarum predictum iuramentum prestaverunt. Actum Venetiis in Ecclesia S. Marci presentibus Reverendo Patre D. Raimundo electo Patracensi (sic) Archiepiscopo. Ven. V. D. Neapoleone de Libertis Ordinis S. Joannis Ierosolomitani Priore. Ven. D. Paulo Cantore et Canonico Zagrabiensi et D. Ladislauo Carenzo Duder ....., rogatis et aliis.

Anno Domini 1358 Indictione 11 die dominico 25. Febr. feliciter. Amen.

Ex antiqua Copia in mea collectione Diplomatum.

IX.

Anno 1387. die 22. Julii. In Sutiska.

Tvartko, Bosnae Rex, Communitati Clissae privilegia concedit.

Nos Tuartko etc. ..... Itaque ad nostram accedentes presentiam Viri Nobiles et discreti, antiquique nostri fideles, scilicet nobiles de Clissa, D. D. Francus Archipresbiter ciuis Clissi, et Matheus Georgij de Rogauichi ac Ostoya Juradini, Nuntij et Ambasciatores ex parte communitatis Clissie .... conseruabimus in omnibus Ordinationibus, quas dicunt habuisse tempore predecessorum nostrorum D. D. Banorum Mladini et Pauli, atque Comitis Georgij: scilicet nobis et nostris heredibus teneantur semper et in perpetuum Omagij fidelitatem obseruare. Item prefata Communitas possit sibi eligere Comitem, cui teneatur annuatim dare duo exenia, videlicet in Natiuitate Domini et in festo Pascatis. Item tributa, quae congregantur in Burgo Clissi de forensibus et de carne, seruentur pro comunitate fidelium nostrorum Clissiae et teneantur dare Comiti Clissi 300 libras, et ad datium vnquam ipsos compellemus. Item Prefata Communitas possit sibi semper eligere Judices, et omnia bersagia seruientia pro predicta Camera nostra .... Datum in Aula nostra Regali Sothesca 22. Mensis Julij sub Anno Domini 1387.

Joannis Lucii Memoriae di Traù pag. 512.

X.

Anno 1390. die 11. Junii. In Sutiska.

Stephanus Tvartkus, Bosnae Rex, Sibenicensibus promittit, se eorum libertates, eisdem a Ludovico Hungariae Rege concessas, conservaturum.

Nos Stephanus Twartcho, Dei gratia Rascie, Bosnie, Maritimeque &c. Rex. Omnibus Christi fidelibus, tam presentibus, quam futuris, presentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Preheminens regalis sublimitas

divini juris et humane legis, auctoritatibus autenticis de Regimine Principum eiacentibus, non solum de ordine status Regni, verum etiam ex dispositione civitatum proponens universum exitum reipublice debet disponere, et etiam providere, bone rei dare consultum, publiceque utilitati dare subsidium, magne virtutis nomen in eternum et sortiri; verum si laudabile sit antiquas bonas consuetudines et municipales leges conservare, equa laude priora usitata nova debent jurisdictione roborari, ut fruentibus bonis legibus, consvetudinibusque approbatis civitates et Regna valeant feliciter augeri. Ad universorum proinde notitiam harum serie volumus pervenire. Quod viri nobiles et prudentes Dominus Duymus Furatych, et Dominus Joannes Naplavich, ambaxiatores et syndici communitatis civitatis Sibenici, ad nostram Majestatem transmissi, attentius nos rogantes, ut omnia privilegia, libertates et gratias eorum olim ab illustrissim .... collatas, presertim felicis recordationis Domini Ludovici, Regis prefati Regni Hung .... pro eisdem, eorumque heredibus nostro privilegio dignaremur confirmare; eosque permittere .... ipsorum: sicut tempore prefati Domini Ludovici Regis vsi fuerunt .... profectum et statum bonum totius Regimni, ex bono Regime, pro quo de .... dictorum civium nostrorum Sibenicensium recensitorum, ut ipsi de virtu .... vigeant, et tranquilitate quiescant, ac in facultatibus habunde gratulenter .... libertate .... temporibus in favoribus et prerogativis ipsius civitatis fuerunt obseru .... protectionisque libere observentur; ut ipsa civitas nostra regalibus munitionibus ex .... et gratiis confirmetur, propositis petitionibus ipsorum syndicorum, et ambaxiatorum, ac civium predictorum ex parte totius .... talis jam dicte civitatis, statuta, reformationes, et consvetudines ipsius civitatis Sibinici propriorum Regum olim Hungarie datas, presertim per inclytum Principem, Dominum regem Ludovicum, fratrem nostrum dilectum, mediante juramento manutactis corporaliter sacro sanctis Evangeliis, acceptamus, ratificamus, et aprobamus; de Baronum nostrorum consilio prematuro, Regia auctoritate, pro eisdem fidelibus nostris civibus, civitatis Sibenici, ipsis, eorumque heredibus, successoribus, et posteritatibus universis, perpetue confirmanus, ratificamus et approbamus, inviolabiterque promittimus; cameram vero salis, et trigesime pro nostra Majestate reservantes; nullum aliud dacium ipsis inferentes; et quod sal nostre Camere in civitate Sibenici, debeat vendi eo pretio, quo venditur in alijs nostris camaris Dalmatie; volentes etiam omnem gratiam per Majestatem nostram ipsis collatam, nullo modo infringere, ei perpetuo firmam et ratam habere, et tenere; promittentes eisdem fidelibus nostris Sibinicensibus, nostro mediante juramento, tenere eos in pace bona et quieta, ipsos et civitatem Sibenici tutam et tutos facere, defendere, tuerique viriliter, et potenter juxta nostram possibilitatem contra omnes homines, volentes ipsos opprimere; et hoc ideo, quia Syndici vice et nomine communitatis Sibenici, ut de ejus syndicatu constat, Magistri, filii quondam Gvilelmi de Albanis de Regio, publica imperiali aucturitate notary, nunc vero juraty Cancellary communitatis Sibenyci juraverunt corporaliter, deosculando lignum Dominice vivifice crucis, nobis et nostris heredibus et successoribus, de nostro corpore legitime procreatis, omagium fidelitatis observare, recognoscentes nos pro ipsorum Domino naturali; nullumque alium Dominum recipere, nec habere pro suis temporibus preter nos et nostros heredes, et successores, ut prefertur; submittentes

se ipsorumque filios, successores et posteros, totamque civitatem, cum omni populo ipsius civitatis, et toto ejus districtu, sub dominio, tuitione, et protectione nostre Majestatis perpetuis temporibus, ut constat per ipsorum duo privilegia unius tenoris confecta, alterum ideomate litterali, alterum vero idiomate Sclavico, autentico sigillo eorum pendenti, ipsius communitatis consveto. Nos vero tenebimur ipsos conservare, et tenere in suprascriptis libertatibus, promittentes etiam prefatis nostris fidelibus communitati Sibenici, quod nunquam ponemus, nec ponere faciemus duanam seu tributum recipere circa vel ante portas predicte civitatis Sibenici; insuper addimus, largimur et donamus ad territorium, seu districtum predictorum fidelium nostrorum Sibenicensium medietatem ville Helmlani, que medietas, ut dicitur, semper fuit Dominij, cum omnibus attinentiis, que ad prefatam medietatem pertinebant. In quorum omnium, et rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes concessimus litteras nostras privilegiales, pendentis authentici sigilli nostri dupplicis munimine roboratas. Datum in aula nostra regali Soteske, per manus Thome de Lusach, aule nostre Vice-Cancellary dilecti et fidelis; presentibus Magnificis et egregiis viris Dominis Comite Dabissa, Comite Stypoye Hervatinich, Comite Paulo Radinovich, Triphone de Katharo, aule nostre protovestiario, Vlatchone Uojvoda de Usora, Comite Priboye Masnovich, Supano, Vylyaco, Sancovich, et ....snovich. nostro Pincerna, nostris fidelibus et dilectis, sub Anno Domini Millesimo, trecentesimo — nonagesimo — die undecima mensis Juny.

(Locus Sigilli pendentis.)

Ex authographo Coll. Nicol. Jankovics. Féjer Codex Dipl. Hung. T. 10. V. 1. p. 615.

XI.

Anno 1390. die 22. Julii. In Suteska.

Stephanus Tvartko, Rasciae et Bosnae Rex, jura et libertates Insulae Brachiae, eidem a Ludovico Rege concessa, confirmat.

Nos Stephanus Tuarco, Dei gratia Rassiae, Bosnae, Maritimaeque rex. Omnibus Christi fidelibus, tam praesentibus, quam futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in eo, in quo in terris Regnantium solia sunt errecta. Praeeminens Regalis sublimitas Divini juris, et humanae legis auctoritatibus authenticis de regum Reg. Principum jacentibus non solum de ordine status regni, verum

etiam ex dispositione Civitatum, et Insularum proponens, et diversum exitum Reipublicae debet disponere et, etiam providere, bonae rei dare consultum, publicaeque rei dare subsidium; magnae virtutis nomen in aeternum est sortiri. Verum si laudabile sit antiquas bonas consvetudines, et municipales leges conseruare aequa laude ... priora usitata nova jurisdictione roborare, ut fruentibus bonis legibus, consvetudinibusque aprobatis Civitates, Insulaeque Regnorum, valeant feliciter augere. Ad universorum notitiam proinde harum serie volumus pervenire: Quod ad nostram accedentes praesentiam viri nobiles Georgius Doymi, Nixa Petrulli, et Michael Baloy Ambascatores, et Sindici de Insula Brachiae missi per praedictam Communitatem Brachiae cum litteris Magnifici Viri D. Jonas (Joannis) Bani Macuae, Regnorum nostrorum Vicarii Generalis, quas eis in persona Nostrae Majestatis, nostra auctoritate in cautela infrascripta concessit, se ipsos, totamque Insulam, cum omni populo, et districtu ipsius Insulae Brachien. vice, et nomine praefatae Insulae, nobis, et nostris Haeredibus de nostro corpore legitime procreatis, cum fidelitate offerentes, ut in eorum Sindicatu constat per manum Magnifici Radini Dragote Civis Sibenicensis, Imperiali auctoritate Not. publici, et vere jurati Cancelarii comunitatis Brachiae, juraverunt corporaliter deosculando Lignum Dominicae Crucis, nobis, et nostris haeredibus, et perpetualiter observare, recognoscentes nos pro eorum Domino naturali, nullumque Dominum alium recepisse, nec habere perpetuis temporibus praeter nos, et nostros haeredes, et committentes se, ipsorumque filios, successores, et posteros, totamque Insulam cum omni Populo ipsius et toto ejus districtu sub tuitione, et protectione nostrae Majestatis, perpetuis temporibus, ut constat per ipsorum Privilegia, unius tenoris confecta, alterum Idiomate litterali, alterum vero Idiomate Slavico, cum authentico ipsorum sigillo pendente Communitatis ipsius consueto.

Qui quidem Ambasciatores, et Sindici praefatae Insulae nos attente rogaverunt, ut omnia Privilegia, libertates, et gratias olim ab Illustr. Regibus ipsis colatas, praesertim a felicis recordationis D. Ludovico R. R. Hungariae, fratre nostro dilecto, quod eis, eorumque haeredibus nostro privilegio dignaremur confirmare, eosque permittere, ut gratiis, libertatibus, Statutis, reformationibus, et consvetudinibus ipsorum sicuti tempore praefati Regis D. Ludovici usi fuerunt.

Nosque attendentes fidem, et legalitatem praefatae Communitatis, habitoque Consilio, Baronum nostrorum matura deliberatione, considerantes utilitatem, profictum, et statum bonum totius Regni nostri, ex bono regimine, pro quo Deo auxiliante continue laboramus, prosequi, et nancisci, fidelitatibus praedictae Communitatis Brachien, ut ipsi de virtute boni praesidentis, in pacis tranquilitate quiescant, et in facultatibus abundent, et gratulentur: volentes ut ipsa Cummunitas nostra Brachiae Regalibus intentionibus exaltata in dictis Privilegiis, et Gratiis confirmetur, propositum petitionibus ipsorum Sindicorum, et Ambasciatorum praedictorum ex parte totius Communitatis jam dictae Insulae Brachiae, plenum mandatum habentium favorabiliter exauditi, omnia et singula Privilegia, libertates, et gratias, caeterasque litteras emanatas in favorem dictae Insulae, Statuta, Reformationes, et consuetudines ipsius Communitatis Brachiae per ipsos Reges olim Hungariae datas, praesertim per Inclitum D. Ludovicum, mediante juramento manutactis Sacrosanctis Evangeliis, acceptamus, ratificamus, et approbamus Regia nostra auctoritate pro eisdem fidelibus nostris Communitatis Bra-

chiae, ipsis, eorumque haeredibus successoribus, et posteritatibus universis, perpetuo confirmamus, ratificamus, et approbamus inviolabiliterque observare promittimus; Cameram vero Salis, et XXX. pro nostra Majestate reservantes, nullum alium Datium ipsis inferentes, nisi illud quod tempore praefati Regis Ludovici fuerit usitatum; et quod Sal nostrae camerae in praedicta Insula vendatur eo pretio, quo venditur in aliis Cameris nostris Dalmatiae.

Insuper addimus, et fidelibus nostris Communitatis Brachiae ad majorem ipsorum consulationem, de nostra gratia spetiali .... ut eadem Communitas possit libere eligere sibi in Comitem unum ex nostris fidelibus, cum confirmatione tamen nostrae Majestatis. Volentes etiam omnem gratiam, per Majestatem nostram ipsis collatam, nullo modo infringere sed perpetuo firmam, et ratam habere. Promittentes ipsos, ipsorumque Universitatem in bona pace et quiete tenere, defendere, àc tueri, contra omnes homines volentes ipsos opprimere, viriliter, et potenter juxta posse nostrum. In quorum omnium, et rei memoriam, firmitatemque perpetuam, praesentes concessimus, et litteras nostras privilegiatas pendentis, et authentici sigilli nostri duplici munimine (fecimus) roborari.

Datum in Aula nostra Regali Suteschae per manum Thomae de Lusach, Aulae praefatae V. Cancelarii dilecti et fidelis, praesentibus Magnificis et Egregiis Viris D. D. Comitibus Barissa (Dabissa) Comite, Stipoe Harvatone Comite, Paulo Radini, Triphone di Cattaro Aulae nostrae Protovestiario, Valadone (Vlatchone) Vojvoda, Uhoja (de Usora) Comite, Priboe Masnorcich Bubano (Supano), Biliaco Sencovich, et Sladiuhio Masnovich nostro Pincerna, nostris fidelibus, et dilectis sub Anno Domini: 1390. Ind. XIII. die 23. Mensis Julii.

(L. S.)

Francesco Minalli Cancelier della Brazza ha d' altra fida mano fatta copiare d' altra simile authentica esistente appresso del Sig. Vicenzo Prodi, incontrato, sottoscritto e sigillato.

(L. S. N.)

Niccolo Wragnizan Nod. Pub. ha fatto copiare da fida mano dal Libro de' Privilegj a stampa, sottoscritto e sigillato.

Cicarelli. Osservazioni sull' isola della Brazza. Venezia 1802, p. 126.

XII.

Anno 1390. die 30. Augusti. In Sutiska.

Stephanus Tvartko, Rasciae et Bosniae Rex, Spalatensi Ecclesiae protectionem spondet.

Stephanus Tuartcho Dei gratia Rasciae, Bosinae Maritimaeque Rex, omnibus et singulis Christi fidelibus, tam praesentibus quam futuris praesentium notitiam habituris, salutem in eo, in quo in terris regnantium solia Principum et Regum sunt erecta. Si Regia excellentia sublimatur, eique laus et honor accrescunt, et ipsius nomen extollitur, et status suscipit felicia incrementa, cum magnanimitatis dona, gratitudinis vicissitudine quadam, quae illius pars est maxima, dispensat, et subditis praemia juxta eorum merita pari sorte largitur, quanto magis si in Ecclesias fidei catholicae, ecclesiastica, quae personas, praecipue sibi subditas, et ob ejus reverentiam, per quem Reges regnant et Principes dominantur, praesertim in justis petitionibus exhibet se gratiosam, favorabilem et benignam; attento igitur hoc, et quod per eum regnamus, qui fidei catholicae, cujus plantulam me recolo, Fundator, Caput et Rector, Ecclesiasticarumque Personarum pastor, et earum et nostrum omnium Dominus et custos. Quumque Reverendus in Christo Pater Dominus Andreas de Gualdo, Legum doctor, eadem Dei gratia Archiepiscopus civitatis nostrae Spalati, fidelis Consiliarius et Capellanus noster spiritualis, ad nostram accedens praesentiam, nobis humiliter et devote (repraesentavit), ut ipsum et Ecclesiam suam praedictam, in ipsorum juribus, jurisdictionibus, possessionibus, decimis, reditibus et consuetudinibus, quibus praedecessores sui temporibus Domini Ludovici Regis usi fuerant, confirmare, manutenere, protegere, et defendere, ac tueri gratiose studeremus, petierit. Nos igitur attendentes fidem, legalitatem ipsius, ac morum honestatem, et inclinati ipsius humillimis, devotis, et justis supplicationibus, et nunc de certa nostra scientia, et mera liberalitate, eumdem et dictam suam Ecclesiam, ejusque successores, nobiles et villanos, nec non possessiones, terras, tenutas, mollendinas, territoria jura et bona ipsorum praesentia et futura, et quocumque justo bono habita, et habenda, cum universis possessionibus, terris, tenutis, jurisdictionibus, metis, confiniis, villis, hominibus et habitatoribus suis gratiose sub protectione et tutela nostris specialibus, tenore harum recipimus et confirmamus. Quarum vigore committimus et mandamus magnifico viro fideli nostro et dilecto Paulo Clessich, Vaivodae Regni Crovatiae, et aliis nostris officialibus, praesentibus et futuris, in Regnis nostris Dalmatiae et Croatiae constitutis, vel in futurum constituendis, quibuscumque nominibus seu titulis nuncupatis, quatenus ex nunc in antea, vice et nomine nostris et causa in persona nostri, ipsum D. Archiepisco-

pum et suam Spalatensem Ecclesiam, nec non successores suos, qui nobis et nostris haeredibus fideliter adhaeserint, ac etiam omnes villanos, possessiones terras et bona praedicta in juribus, jurisdictionibus, metis, et confinibus et pertinentiis ipsorum praefatis, protegant et defendant, ac protegere, praeservare, defendere debeant, et tueri ab omnibus, eos, vel eas, vel ea impedire, opprimere, perturbare, damnificare, aut laedere volentibus quovismodo. Si quis autem contra praedicta, nostram majestatem praesumpserit attentare, indignationem nostrae majestatis incurrat, harum nostrarum sub testimonio litterarum, quas in consuetudinem praemissorum, sub sigillo nostro concessimus sub appenso; donec tamen in debita fidelitate, obedientia et subjectione nobis, et nostris praefatis haeredibus perstiterint, deu praestiterint valitura: salvis certis tamen juribus alienis. Datum in Aula nostra Regali Sutescha per manus fidelissimi dilecti Thomae dd Luzach praefatae Aulae nostrae Vicecancellarii sub Anno Domini MCCCXC. XXX die Augusti mensis. XIII. Indictione.

Farlati Illyricum Sacrum T. III. p. 334.